Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIV
F
35
NAPOLI

Digitized by Google

LIV
7.
35

NOTITIA
VTRIVSQVE
VASCONIÆ,
TVM IBERICÆ,
TVM AQVITANICÆ,

QVA, PRÆTER SITVM REGIONIS ET ALIA ſcitû digna, NAVARRÆ Regum Cæterarumque, in iis, inſignium vetuſtate & dignitate familiarum ſtemmata ex probatis Authoribus & vetuſtis monumentis exhibentur.

Accedunt Catalogi Pontificum Vaſconiæ Aquitanicæ, hactenus editis pleniores.

Authore ARNALDO OIHENARTO Mauleoſolenſi.



NAPOLI

PARISIIS,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY Typographi Regij, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO VIRO

HENRICO AVGVSTO LOMENIO, VILLAVCLERII

DYNASTÆ, EQVITI TORQVATO, ſacri Conſiſtorij Conſiliario, & Quatuoruiro Regijs Epiſtolis ac diplomatibus ſcribendis.

ARNALDVS OIHENARTVS MAVLEOSOLENSIS S. D.

VASCONIA in publicum prodire parans ad te commeatum petitura accedit, VIR ILLVSTRISSIME,

nec repulſam veretur, dum potiorem ipſius partem Nauarram, *cum annexis Ditionibus, tuæ curæ à Christianiſſimo Rege Ludouico permiſſam, non ſtudiosè tantum à te procurari, ſed affectu etiam diligi conſiderat. Latuit hæc hactenus penè ignota inter ſuos, nunc ſub tui nominis auſpicijs in lucem exire ſi datur, facilè etiam exteris innoteſcet. Quò enim non peruenit præſtantiſſimæ virtutis tuæ fama? Quotuſquiſque eſt vel in Gallia, vel in finitimis regionibus, qui ingenij tui fœlicitatem, mentis aciem, & Iudicij ſynceritatem non habeat perſpectas? Ego certè, qui has in te animi dotes, hæc dignitatis tuæ ornamenta, cum exquiſitâ bonarum litterarum cognitione & ſingulari quadam comitate atque humanitate coniuncta, eò magis*

admirari ſoleo, quo rariora, hoc ſæculo, in tuæ fortunæ viris animaduerto; non potui, illius controuerſiæ, quam in hoc opere cum Hiſpanis aliquot Scriptoribus de origine Nauarræ Regni ac de ſerie primorum Regum habeo, alium quam te iudicem ſumere. Hanc itaque litem ad tuum Tribunal defero. Si ſecundum me ſententiam dicis, vberrimum laboris mei fructum mihi conſequutus videbor; ſin minus, ne tum quidem voti mei expers ero; ſiquidem veritatem huius hiſtoriæ partis, quam fruſtra hactenus in aliorum lucubrationibus requiſiui, te duce inueniam. Recipe igitur arbitrium huius cauſæ, VIR ILLVSTRISSIME, nam mihi, vtcumque res cadat, tuo iudicio ſtare certum eſt. Quod ſi ea non tanti eſt, vt te à ſummis regni negotijs, quibus

occupatus es, ad huius libri lectionem auocare debeat, patere ſaltem hoc mei in te cultus atque obſeruantiæ monimentum extare. Vale.

Summa Priuilegij Chriſtianiſſimi Regis.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate cautum eſt, ne quis in ſuo regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos decem annos, à die impreſſionis primæ inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendumque quouis modo, ac ratione curet; Librum qui inſcribitur *Notitia vtriuſque Vaſconiæ, tum Ibericæ, tum Aquitanicæ, Authore* ARNALDO OIHENARTO *Mauleoſolenſi*, præter Sebaſtianum Cramoiſy Bibliopolam iuratum, Typographum Regium, & Ciuem Pariſienſem, aut illos quibus ipſe conceſſerit, ſub pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis 27. Auguſti 1637.

De mandato Regis

Sic ſignatum

VICTON.

Hæc prima editio perfecta fuit 15. die Nouembris 1637.

SYNOPSIS CAPITVM TOTIVS OPERIS.

LIBER PRIMVS.

Præfatio ſummam operis continens.

CAPVT I. *QVI Vaſconum nomine comprehendantur.* pag. 2.

CAPVT II. *Variæ Cantabriæ deſcriptiones à recentioribus allatæ reijciuntur.* pag. 4.

CAP. III. *Vera Cantabriæ deſcriptio proponitur.* pag. 8.

CAP. IV. *Quibus locis bellum contra Cantabros ab Auguſto & eius Legatis geſtum ſit.* pag. 11.

CAPVT V. *Cantabriæ nomen ſub Gothis & Sarracenis Rioiæ attributum fuiſſe.* pag. 16.

CAP. VI. *Regionem Vardulorum, Autrigonum & Cariſtorum à Vaſconibus occupatam videri & & de Cantabrorum variis cladibus.* pag. 18.

CAP. VII. *De ſitu veteris Vaſconiæ & de populis à Strabone Iacetanis dictis, an iidem ſunt cum Lacetanis.* pag. 22.

CAP. VIII. *De ſtatu Vaſconum, tempore Pœnorum & Romanorum in Hiſpania.* pag. 25

CAP. IX. *Quo ſtatu vixerint Vaſcones Gothis in Hiſpania dominantibus. Item de clade ab exercitu Caroli Magni, ad Roncauallim, acceptâ.* pag. 28.

CAPVT X. *De moribus veterum Vaſconum.* pag. 32

CAP. XI. *De lingua Vaſconum & an verum ſit illius nomina in* A *ſingulari numero, plurali verò in* AC *deſinere.* pag. 35

CAP. XII. *De veteri lingua Hiſpanorum, an eadem eſſet cum hodiernâ Vaſconicâ, ſeu Vaſcâ. Ambroſij Moralis id abnuentis rationes expenduntur.* pag. 37

CAP. XIII. *Auctoris ſententia de veteri Hiſpanorum linguâ.* pag. 44

CAP. XIV. *Singularia quædam linguæ Vaſconicæ, déque vocabulorum Vaſconicorum declinandi & coniugandi ratione..* pag. 57

LIBER SECVNDVS.

Tractationem de Vaſconibus Ibericis continens.

CAPVT I. D*E Nauarris eorumque Regione* NAVARRA *dictâ.* pag. 73

CAPVT II. *De præcipuis Nauarræ regionis oppidis atque vrbibus.* pag. 76

CAP. III. *De primo ordine, hoc eſt, Eccleſiaſtico, qui publicis conuentibus intereſſe ſolet, déque inſignioribus ſacerdotiis Nauarræ.* pag. 91

CAP. IV. *De Nobilibus qui ſecundum Nauarræ ordinem conſtituunt. Déque eorum muneribus & dignitatibus.* pag. 104

CAPVT V. *De Concilio ſeu Conuentu publico trium ordinum Nauarræ, & quibus de rebus in eo agetur. Item de ritu Regum inaugurandorũ.* 112

é

CAP. VI. *De diuerſis Nauarræ Iudiciorum Tribunalibus: item de eâ iuriſdictione, quam Hermandatum vocant, & de Nauarrorũ moribus.* 120

CAP. VII. *De Iaccenſibus populis & Aragoniæ Comitatu, item de Calaguritanis, deque SS. Hemiterio & Cheledonio, & Quintiliano Rhetore ac Prudentio poëtâ.* pag. 132

CAP. VIII. *De reliquis Vaſconiæ Ibericæ populis, Alauenſibus ſcilicet, Biſcainis & Ipuſcuatibus.* p. 143

CAP. IX. *De origine Nauarræ Regni, ac de primis illius Regibus variæ diuerſorum Authorum ſententiæ examinatæ.* pag. 175

CAPVT X. *De titulo Suprarbienſis Regis, quem nonnulli Scriptores primis Nauarræ Regibus tribuunt, deque fabuloſis quibuſdam, ab eiſdem illorum Regum Hiſtoriæ inſperſis.* pag. 200

CAP. XI. *Altera de primis Nauarræ Regibus opinio diſcuſſa.* pag. 223

CAP. XII. *Authoris ſententia de antiquis Nauarræ Regibus, deque Eneconis primi Regis gente & patriâ, atque etiam de Ariſtæ cognomento ei aſcripto.* pag. 245

CAP. XIII. *Primum ſtemma, progeniem Eneconis-Garſiæ ad Sanctium vſque cognomento Maiorem continens, additis in ea, quæ maximè ambigua ſunt, obſeruationibus.* pag. 267

CAP. XIV. *Alterum ſtemma quod poſteros Sanctij Maioris exhibet vſque ad Sanctium vltimum, cui Incluſi cognomen fuit.* pag. 303

CAP. XV. *Poſtremum ſtemma, quô reliquorum Regum ſtirpes, à Theobaldo I. huius nominis Nauarræ Rege, Campaniæ & Briæ Comite,*

vſque ad Eleonoram Reginam, Franciſci Phœbi & Catharinæ auiam, deſcribuntur. 332

CAP. XVI. *Appendix ſtemmatis Regij Nauarrici, de inſignibus Regum gentilitiis, cum Catalogo tam Proregum, qui cum ſummo imperio Nauarræ præfuerunt, quam Vexillariorum, Magiſtrorum Equitum, ſeu Conſtabulariorum & Mareſcallorum illius Regni.* pag. 354

CA. XVII. *Veterū Aragoniæ atq; Bizcayæ Comitū ſeries.* 365

LIBER TERTIVS.

In quo ſpeciatim de Vaſconibus Aquitanicis agitur.

CAPVT I. *QVO tempore de Hiſpaniâ in Aquitaniam migrarint Vaſcones, de plurimis excurſionibus ab ipſis in agrum Aquitanicum factis, & de variis ex eo illorum cum Francis dimicationibus.* png. 383

CAPVT II. *De Regione Nouempopulaniæ à Vaſconibus occupata & de tempore huius occupationis.* p. 389

CAP. III. *De nominibus Vaſconum, Vacceorum, Vaſculorum & Baſclorum, à variis authoribus ad deſignandos Vaſcos vſurpatis.* pag. 395

CAP. IV. *De Vaſcitaniæ ſeu Vaſcorum Regionis ſitu, & de illius gentis moribus ac de veteribus Principibus, Ducibus & Comitibus Vaſconiæ Citerioris.* pag. 400

CAPVT V. *De ſitu Gaſconiæ ac Gaſconum moribus, & de Ducibus ſeu Comitibus qui iis vſque ad Caroli Calui tempora præfuerunt.* pag. 409

CAP. VI. *De Sanctio citerioris Vaſconiæ Comite à Gaſ-*

conibus in Principem ſeu Ducem electo, déque Mitarræ cognomento illi in quibuſdam monumentis tributo, & de ipſius poſteris, ac in eo Principatu ſucceſſoribus. pag. 419

CAP. VII. *Series Comitum Burdigalenſium, cum Catalogo Archiepiſcoporum illius ciuitatis, & Epiſcoporum Condomienſium.* pag. 430

CAP. VIII. *Vaſconiæ Aquitanicæ vetus in varios Comitatus & Vicecomitatus diſtributio, & de Regione* Gaſconiâ *propriè dictâ, cum Catalogo Archiepiſcoporum Auſcienſium, & Epiſcoporum Vaſatenſium & Adurenſium.* pag. 443

CAP. IX. *De Aquis Tarbellicis, ac de Aquitaniæ nomine, cum ſerie Vicecomitum Aquenſium & Tartaſſienſium, & Catalogo Epiſcoporum Aquenſium.* pag. 466

CAP. X. *Series Vicecomitum Leomanenſium, cum Catalogo Epiſcoporum Lactorenſium & Epilogo reliquorum Gaſconiæ Vicecomitum, ac Dynaſtarum Lebretenſium.* pag. 478

CAP. XI. *Series Comitum Fidentiacenſium, Armaniacenſium, Aſtaracenſium, & Vicecomitum Feſenſaguelli. Item de Comitatibus Gauræ & Magnoaci.* pag. 489

CAP. XII. *De Comitatibus Bigorræ & Conuenarum & de Gaſconiâ Tholoſanâ, cum Catalogis Comitum, Vicecomitum, atque Pontificum illarum Ditionum.* pag. 505

CAP. XIII. *De Comitatu Vaſconiæ Citerioris, cum ſtemmate Fuxenſium Comitum Bearni Regulorum & ſeriê Vicecomitum & Epiſcoporum illius Regionis.* pag. 539

NOTITIÆ

NOTITIÆ VTRIVSQVE VASCONIÆ.

LIBER PRIMVS.

Præfatio ſummam operis continens.

VASCONVM nomen celebre olim in Hiſpania citeriore fuit. Hi bello & militia clari cum Annibalem expugnatâ Sagunto victorem in Italiam ſequuti fuiſſent, & ſub eius ſignis diu aduerſus Romanos ſtrenuè militaſſent; interiecto tempore contra eundem, & Carthaginenſes vtriuſque Hiſpaniæ Imperio inhiantes vnà cum reliquis citerioris populis Romanos ſibi ſocietate & amicitia coniunxerunt: in quâ ipſi deinceps conſtantiſsimè perſtiterunt, cum aliæ paſsim gentes mutato conſilio à fide diſcederent, Romanoſque eatenus armis & maleficiis laceſſerent, quoad ab ipſis vincerentur. Gothis poſtea in Romanorum locum ſuccedentibus, & vniuerſa prouincia ab iis occupata, & velut ſub iugum miſſa, ipſi nihilominus libertatem ſuam egregiè propugnarunt: Suos verò fines ita tutati ſunt, vt etiam illatis vltrò bellis in proximas Autrigonum, Cariſtorum, Vardulorum, & Aquitanorum ſedes proferrent. Sarracenos denique Hiſpa-

niam eum innumerabilibus copiis ingreſſos ; & fuſis prælio Gothis vndequaque graſſantes non modo ſuſtinuerunt : ſed etiam eoſdem bello adorti Ducibus hinc Regibus Pompelonenſibus, hinc Aragoniæ Principibus, ita continuis prœliis & multiplicatis ſtragibus per quadringentos circiter annos fregere, vt ſoli vnà cum Cantabris atque Aſturibus, qui eadem ſub Regibus Legionenſibus alia ex parte præſtabant, liberatæ Hiſpaniæ authores dici poſsint. Huius gentis res domi foriſque geſtas exponere cum difficile ſit, eo quòd nulla extent de illis conſcripta vetera monumenta, ſumma tamen aliqua tradenda eſt, tum congeſtis iis quæ apud peregrinos Authores de eadem ſparſa leguntur, cum deſcriptis Principum in ea familiarum ſtemmatibus, quatenus ea vel ex publicis tabulariis, aut ex priuatis optimatum aliquot ſcriniis eruere licuit.

Qui Vaſconum nomine comprehendantur.

CAPVT PRIMVM.

VASCONVM nomine hîc comprehendimus etiam eos, quos vulgò Cantabros vocant : iam enim obtinuit vſus, non in ſcholis ſolùm inter grammaticos ; ſed etiam in publicis literarum monumentis apud celeberrimos noſtræ & ſuperioris ætatis ſcriptores; è quibus Iouium, Iulium, & Ioſephum Scaligeros, Thuanum, Ferronum, Florianum Ocampo, Petrum Martyrem, M. Delrium, & Marianam nominare libet, vt quos Galli Baſcos, ſeu Biſcainos, Hiſpani Vaſcongados appellant (ij ſunt propriè Vaſcones) Cantabri Latinè dicerentur, eorumque lingua quæ his Vaſcuenze; illis

Baſca, aut Biſcaina eſt, multumque à communi aliorum Galliæ atque Hiſpaniæ populorum ſermone diſcrepat pro Cantabricâ haberetur: ideò fortè quòd Cantabris vicini ſint & vt ab aliis Vaſconibus diſtinguerentur, qui in illa Aquitaniæ parte, quæ antiquis Nouempopulania erat, collocati, hodie, leui literæ V in G mutatione Aquitanis admodum familiari, Gaſcones nuncupantur. Conſtat tamen à Floriano, Martyre, Mariana, aliiſque Hiſpanicarum rerum ſcriptoribus non omnes prorſus qui ea lingua vtuntur, quæ ipſis Cantabrica eſt, Cantabrorum nomine comprehendi: ſed eos duntaxat qui multis ab hinc annis Caſtellæ Regno contributi Viſcaini, Alauenſes & Ipuſcuates dicuntur: At Ambroſius Morales lib. 8. cap. 53. lib. 11. cap. 63. & alibi paſſim Cantabriam prorſus cum Viſcaia confundit: Lucæ verò Tudenſi, qui & ipſe Hiſpanus Scriptor circa annum Chriſti 1230. florebat, Cantabri ſunt ij populi, qui Regibus Pompelonenſibus ſuberant, Nauarri vulgò dicti; quorum regio magna ex parte veteri Vaſconiæ reſpondet: ipſos denique Pompelonenſes Reges non alio ferè nomine, quam Cantabrienſium aut Cantabriæ Regum indigetat: cuius ſententiæ acceſſiſſe videtur Prudentius Sandouallius in Catalogo Epiſcoporum Pompelonenſium dum Pompelonem facit metropolim Cantabriæ, hancque Oceano, Pyreneis montibus, Ibero, Aragone, aut Gallico amnibus definit. Quantum autem hæ regiones à vera Cantabria abſint, capite ſequenti innoteſcet.

Variæ Cantabriæ deſcriptiones à recentioribus allatæ reijciuntur.

CAPVT II.

CANTABRIA à recentioribus variè deſcribitur alijs alios fines ei aſſignantibus. Florianus Ocampo lib. 4. cap. 3. putat hoc nomine comprehenſos eſſe Viſcainos, Alauenſes, & qui hinc totum illum tractum, qui ad Lucronium Rioiæ oppidum patet, incolunt: vbi etiam extare ait, hactenus Cantabriæ nomine vicum in edito colle, qui huic regioni nomen dederit. Florianum ſequitur Garibaius lib. 6. cap. 27. vbi præter iam dictas ditiones, Ipuſcuam & montanam Regionem illis adiacentem, Cantabriæ adſcribit. Huic ſuffragantur Mariana, Ludouicus Nonius, Ambroſius Salazarius, aliique non pauci. Prudentius Sandouallius in commentario rerum Monaſterij ſancti Æmiliani à ſe edito fol. 56. his verbis illam deſcribit. *La tierra de Cantabria llegaua haſta los montes vergidios donde eſtan el Monaſterio de ſant Millan, y boluia por grañon haſta la villa de Cereço y de alli tocaua en treuiño de ſuerte que lo-groño, que fue cabeça deſta prouincia, Clauijo, Albelda, Viguera, Naiara y otros Lugares eſtaban en las entrañas de Cantabria cuya parte ſe llama agora Rioxa y antigamente Ruconia.* In quo ſequutus eſt Rodericum Toletanum & Lucam Tudenſem, qui Cantabriæ nomine Rioiam potiſſimum & circuniectas regiones intelligunt. Idem Sandouallius parùm ſibi conſtans in vita Pelagij Regis pag. 85. de Cantabria verba faciens hæc habet: *Y no es como algunos penſaron lo-groño ni Nauarra ni Rioxa ſino las montañas de Santillana val de buron deſde ſan Vincente*

de la Barquera haſta Mier y Traſmiera baxando por el Rio Ezla haſta donde agora es ſahagun y Carrion y era la cabeça donde reſidia el que tenia en honor y gobierno eſta tierra la ciudad de Cea, que era grande y fuerte deſdeque los Romanos fueron ſeñores de Eſpaña. Ioannes de Puente in eo libro, cui titulus eſt. *De la Conuenientia de las dos Monarchias*, lib. 3. cap. 23. Cantabriâ contineri vult præter Ipuſcuam, Alauam, Viſcaiam, & Rioiam, Aſturias de Santillana dictas vſque ad locum, cui nomen llanes, & quidquid terrarum ab Ibero amne ad montem Idubedam interiacet. Nos etſi certum Cantabriæ ſitum repræſentare vſquequaque haud poſſumus, affirmare tamen audemus maximo illos in errore verſari, qui ipſam eiſdem cum Viſcaia, Alaua, Rioia, & Ipuſcua finibus circumſcribunt, quarum ne vna quidem vlli illius parti annumeranda eſt, quod veterum Geographorum præſertim Ptolemei, Melæ, & Plinij libros legentibus palam fiet, nam Ptolemeus ſeptentrionale Hiſpaniæ latus deſcribens, primos ab occaſu ponit Artabros, & iuxta hos ad ortum Aſtures, mox Cantabros, deinde Autrigones atque Cariſtos & tandem Vardulos in confinio Galliæ: A Ptolemeo ſtant Mela & Plinius, niſi quod vterque Autrigones, ac Cariſtos ſub Vardulis videtur comprehendere; quod ſi Cantabros admittimus in Viſcaia, Alaua & Ipuſcua, quæ vltimæ gentes à parte Pyrenei claudunt Hiſpanias, vbi terrarum ſedes ſuas accipient Autrigones, Cariſti, & Varduli, quas inter Cantabros, & Pyrenei iugi promontorium obtinere debuerant? Certè ſi verum attendimus Ipuſcuates & Alauenſes Vardulis & Cariſtis, at Viſcainos & Burcuenſes Autrigonibus, Rioianos denique Beronibus reſpondere comperiemus. Nam primò vt ab Ipuſcuatibus & Viſcainis ordiamur: Deuam fluuium per Ipuſcuam labi nemo.

eſt qui neſciat: at eius oſtia Ptolemeus in Cariſtis ponit: Mela autem hunc amnem Tritium Tobolicum Vardulorum oppidum (quod H. Coquus Mondragon eſſe putat) attingere affirmat. Idem Ptolemeus oſtia fluuij Neſuæ, vel Neruæ (vtramque enim lectionem reperio in exemplaribus editis) ad Autrigonũ fines trahit, eundẽmq; per Autrigones & Origeuiones deſcendere, Mela author eſt: ſed hunc amnem ipſummet eſſe, qui per Bilbao & Portugalete Viſcaię oppida fluens non procul inde Oceano infunditur, ne ij quidem negant; quorum ſententiam hîc oppugnamus, è quibus Florianus lib. 1. cap. 2. & Andreas Poça illius regionis incola in eo tractatu, cui *De las antiquas poblationes de Eſpaña*, titulum fecit, Florianus quoque, Iacobus Galdaſtus, Garibaius, Ioſephus Moletius, Tarapha atque Morales Flauiobrigam, quam Ptolemeus in Autrigonibus, Plinius in Vardulis collocat, in Viſcaia ſtatuunt, putantque fuiſſe vbi nunc Bilbao vel Vermeo vrbes ſitæ ſunt. Vt autem quod de Viſcaia, & Ipuſcua diximus, idipſum de Alaua pronuntiemus multis mouemur rationibus: nam & hæc regio in Vardulis erat (Bardyetæ & Bardyali vocantur Straboni) quorum fines etiam vlteriùs verſus meridiem & occidentem proceſſiſſe Alauâ, quemadmodum & Cariſtórum; ita vt proxima Pompelonenſis ditionis loca contingerent, patet ex eo quod Ptolemeus Tullonium & Tritium Tubolicum Vardulorum ciuitates in eodem gradu latitudinis cum Pompelone locat & quod Author Itinerarij Antonino tributi, Aſturicâ Burdigalam petentibus inter Virouesſcam, quæ adhuc nomen retinet in regione Burebæ & Pompelonem, poſt Vindeleiam & Deobrigam Autrigonum vrbes, poſt Beleiam item & Suiſſatium (quod Ptolemei Sueſſatium eſſe affirmat Çurita notis in Itinerarium)

Cariſtorum oppida, Tullonium & Albam Vardulorum ciuitates in itinere oſtendit 47. tãtùm milliaribus paſſuum Pompelone diſtantes, quæ duodecim leucas noſtras ſi æquant vix certè ſuperant. Vnde manifeſtum fit, ſancti Vincentij atque Lagardiæ oppida, quæ non ita pridem Nauarræ Regibus ſuberant, in Vardulis olim conſtitiſſe aut ſaltem ſub Cariſtis, inter quos & Cantabros etiam ex hac parte inrerpoſiti erant Autrigones, (Allotrigæ, vt videtur, dicti Straboni,) latè vltra citraque Iberum effuſi. Horum vrbs Virouesca nunc l. circiter milliaribus paſſuum à finibus Alauæ diſtat Occidentem verſus vnde, antequam ad Cantabros perueniatur, occurrit rurſum Tricium aliud Vardulorum oppidum, teſte Plinio, xi. mil. paſ. à Virouesca diſtans diuerſum à Tritio Tobollico, quod in Vardulis Deuæ flumini inſidere docuimus ex Mela & Ptolemeo, licet vtrumque confundat Çurita; diuerſum item à Tritio Metallo, quod inter Beronum vrbes nominat Ptolemeus. Denique ne vel in Rioia Cantabros conſiſtere patiamur prohibent Strabo & Ptolemeus, dum ille Cantabros Coniſcos Beronibus finitimos eſſe teſtatur: hic autem Autrigonibus ad meridiem ſtatim Berones ſubiicit, quorum vrbem Variam ad traiectum Iberi amnis ſitam Lucronium eſſe exiſtimat Morales; At Garibaius & Çurita Vaream vicum modico à Lucronio interuallo ſitum. Aliam eiuſdem gentis vrbem Tricium Metallum nomine Naiaram eſſe volunt Sampyrus Aſturicenſis, Rodericus Toletanus, Lucas Tudenſis, aliique Nauarricarum rerum Scriptores: Çurita autem notis ad Itinerarium, manere adhuc Tritij nomen vico iuxta Naiaram, affirmat: Atqui cum hæc tria oppida, Lucronium, Vaream & Naiaram, hodie Rioia poſſideat, vnà cum circumiectis vicis atque agris Bureuam verſus, quis tam

cœcus qui non videat, Cantabrorum fines multis olim milliaribus ab Alaua & Rioia, abfuiſſe ? Quod autem Florianus atque eum ſecuti Garibaius, Sandouallius & alij plerique Cantabriam vrbem, caput gentis, in ora Iberi amnis, non procul à Lucronio, ſitam fuiſſe, arbitrantur, noménq; adhuc ſeruare locum, vbi condita erat, in edito colle, affirmant, nihil hoc ad veterem Cantabriam pertinet, cum nullus Author, antiquæ aut mediæ ætatis, huiuſmodi vrbis meminerit, conſtétque ex his, quæ iam diximus, Lucronij ſedem olim in Beronum & Vaſconum confiniis extitiſſe.

Vera Cantabriæ deſcriptio proponitur.

CAPVT III.

CVM ibi ab ortu inciperent ſedes Cantabrorum, vbi deſinebat regio Autrigonũ, non puto multùm à vero aberrabimus ſi Cantabriæ initium in eo tractu, qui à Villa-francâ montium de Oca dictâ ad portum Laredo nomine in Oceani Cantabrici littore poſitum excurrit, ſtatuamus: diſtat enim Villa-franca duabus tantum leucis Viroueſcâ Autrigonum oppido: Laredo autem quatuor circiter leucas recedit à Neſua eiuſdem gentis fluuio: Ad Occidentem verò Cantabriam finiemus, non vico ſanctæ Iulianæ, vt Sandouallius, neque portu llanes nuncupato, vt Ioannes à Ponte, nec denique Saliâ flumine (vulgo *Rio de Sella*) vt voluiſſe videtur Fredenandus Pintianus notis in Melam, fretus vt putat authoritate ipſius Melæ & Plinij, ſed vlteriùs æſtuario maris Luarca dicto, & ſpatio illo terrarum, quod inde ad locum, qui *Tierra de Vierço* dicitur & montes contiguos, tendit: A Luarca enim vſque

vſque ad fluuium illum, qui in confinio Aſturiæ atque Galiciæ, Caſtropolij & Ribadei oppida interfluit, ſex circiter leucarum eſt interuallum, quem fluuium Melſum Strabonis eſſe arbitramur, cum haud alius in ea regione occurrat, cui melius verba Strabonis conueniant: à Melſo autem Aſturiæ fluuio parùm diſtare Noegam vrbem & in propinquo eſſe Oceani æſtuarium, quod Aſtures à Cantabris diuidit, author eſt idem Strabo. Porrò è montibus illis, qui terram de Vierço circumſtant, oritur Silus fluuius, qui cum Minij aquas augeat inter eius fontes cenſeri poteſt: quod ſi quem ſubeat mirari Cantabriæ fines à nobis tàm latè ad Occidentem porrigi, perpendat velim à Poſſidonio, apud Strabonem lib. 3, caput Minij amnis ad Cantabros referri; ab Oroſio quoque lib. 6. cap. 21. Medullium montem, qui ad eamdem gentem pertinet, Minij aquis annecti: quod niſi de Silo intelligas, qui naſcenti Minio miſcetur, producendi erunt Occidentem verſus adhuc multò latiùs veteris Cantabriæ fines ad intimam vſque Galliciam, vbi hodie Minij fontes exiſtere nemo eſt qui neſciat. A Septentrione alterum Cantabriæ latus excipiebat Oceanus: alterum verò ad meridiem deſcendebat in planam regionem, quæ montibus Ouetanis ſubiecta eſt, atque per agrum Legionenſem & pagum illum, vbi nunc terra de Campos eſt, Legione vrbe & Vaccæis ac Turmodigis populis ad dexteram relictis, penetratoq; Idubedâ monte, perueniebat ad proxima Beronibus loca, quibus locis, referente Strabone, habitabant olim Cantabri Coniſci, aut Coniaci dicti: niſi Concanos legere malis apud Strabonem cum Delrio notis in Hypolitum Senecæ: quin & vlteriùs ex hac parte proceſſiſſe Cantabros ad confinia ſcilicet Intercatiæ, Telæ, & Pintiæ vrbium, quæ Vacceorum gentis erant, coniicere quis poſſet

B

ex eo, quod Author Itinerarij, Aſturicâ Cæſaraugustam per Cantabriam iter facturos, per ea oppida ducit. Cæterum in illa planitie, vbi nunc eſt terra dicta de Campos, ſita erat Amaya vrbs Cantabriæ, tempore Gothorum Regum, non ignobilis vel potius arx primaria, vt ex Chronico Ioannis Biclarienſis colligere licet, nec procul inde tempore Romanorum Camarica alia eiuſdem regionis vrbs: ſi quidem, vt ſentit Çurita, eadem eſt cum Camala, quam author Itinerarij in itinere, quod à Virouesca Legionem tendit, collocat. Alias præterea vrbes in Cantabria memorat Ptolemeus, Concanam, Ottauiolcam, Argenomeſcum, Vadiniam, Vellicam, (hæc Belgica eſt Oroſio lib. 6. cap. 2.) Iuliobrigam & Moroecam, quibus Strabo lib. 3. ex Aſclepiade Myrleano, addit Opſicellam à Laconibus, vt credit, conditam, quod miror Ludouicum Nonium, cap. 44. ſuæ Hiſpaniæ, Iuliobrigæ tribuere, contra Strabonis authoritatem, quam nihilominus eo loco vſurpat. Arracilli etiam oppidi meminere Florus lib. 4. cap. 12. & Oroſius vbi ſupra, quod tempore belli Cantabrici ab Auguſto Cæſare captum atque dirutum eſt; Vrbem denique maritimam Noegauceſiæ nomine deſignat Ptolemeus, cuius nomen licet à vulgatis editionibus Latinis Ptolemei abſit, extat tamen in manuſcripto exemplari Græco Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis. Portum inſuper Cantabrorum nomine Victoriæ Iuliobrigenſium celebrat Plinius xl. mil. paſſuum à fontibus Iberi diſtantem. Idem author lib. 3. cap. 3 quatuor tantùm populos Cantabriæ agnoſcit è quibus ſolos memorat Iuliobricenſes. Iuliobrigam Garibaius lib. 6. cap. 22. & H. Coquus in tabula Hiſpaniæ, putant fuiſſe in ea regione, vbi nunc eſt Aguilar de Campo, quorum ſententia mihi nequaquam aſpernanda videtur, cum non multùm hic locus diſtet à

fontibus Iberi, quem Plinius lib. 3. cap. 3. non procul à Iuliobriga oriri ait, ac de cætero in amœna planitie iaceat; Andreas tamen Poça libro quem *de antiquo idiomate Hiſpanorum* ſcripſit. Santander oppidum in Oceani littore ſitum eſſe mauult. At ego eò loci non tàm Iuliobrigam ipſam poſitam fuiſſe exiſtimo, quàm portum Victoriæ Iuliobrigenſium, quem xl. mil. paſſ. diſtare ab Iberi fontibus obſeruat Plinius. Cæterùm omni prorſus ratione carent, qui Iuliobrigam cum Lucronio Vaſconum oppido confundunt, cum multis milliaribus hic locus diſtet à vetere Cantabria & ab Iberi fontibus. Celebrat etiam Plinius fluuium Cantabrorum Sadam, vel Sangam, quem eundem cum Salia Melæ eſſe perſuaſum eſt Pintiano. Saliam autem ipſummet eſſe, qui hodie *Sella* indigenis dicitur, arbitratur Morales lib. 13. cap. 2. Plures itidem fluuios in hac regione agnoſcit Mela, à quibus tamen nominandis abſtinet, eo quod noſtro, vt ait, id eſt Latino ore concipi nequeant, niſi quod obiter Saurij meminit, quod præter Cantabros Salenos etiam alluere teſtatur, hic forſan eſt, qui hodie Piſuerga Hiſpanis dicitur, & à Salenis populis manſiſſe videtur nomen Saldañæ vrbi in ea regione.

Quibus locis bellum contra Cantabros ab Auguſto & eius Legatis geſtum ſit.

CAPVT IV.

EXPOSITO ſitu Cantabriæ, quantum in tam obruta vetuſtatis caligine facere licuit, operæ pretium facturi videmur, ſi quâ parte bellum Cantabricum, olim ab Auguſto Cæſare geſtum fuerit excutiamus: ſunt enim variæ

hac de re Authorum ſententiæ, quarum pleræque, quia cum iis quæ capite ſuperiori aſſeruimus, pugnant, ruere illa neceſſe eſt, niſi hæ conuellantur. Carolus Nauarræ Princeps bellum Cantabricum ſcribit fuiſſe geſtum in Nauarra inter Eulatem ſcilicet & Ameſcuam, non longè à Peralta vico: hunc ſequitur P. Antonius Beuterus lib. 1. cap. 23: ſed quemadmodum hæc opinio nullo nititur veræ hiſtoriæ fundamento, ſic toto cœlo aberrat Garibaius lib. 6. cap. 27. vbi illud ad Ipuſcuam patriam ſuam trahit ductus affinitate vocum *Vinnij* vel *Vindij*, *Medullij* ſeu *Edullij*, *Segiſamæ*, & *Arracilli*, quæ in huius belli narratione occurrunt cum nominibus *Hirnio* vel *Hernio*, *Menduria*, *Beiçama* & *Arrexil*, quæ etiamnum in Ipuſcua durant, quamquam, vt verum fatear, Garibaius huius ſententiæ non tam Author, quam comprobator fuit: illam enim, iam ante, traditam reperio à quodam nobili Ipuſcuate in libello inedito cui titulus, *Recopilation de Coſas de Guipuſcua* his verbis: *Oydia ſe veen veſtigios en lo mas alto llamado Aldaba y aßi ſe vee oy en dia en mucha diſtantia que cae todo cerea Beiçama donde Octauiano aſſentò ſu Real y auiendo expugnado el lugar de Regil los Cantabros ſubieron à la montaña Hiernio que aora llaman ernioa.* Et paulò pòſt. *Hazeſe mention de Beiçama y hurriſtil haſta oy retienen ſus nombres y del monte de Medulia que agora ſe llama Maduria y de Hurnio llamado comme es dicho Hernio de los quales hizo mention Nebricenſe y todo ello Cae en Guipuzcoa quaſi en medio della.* Sed, amabo, quantum abit vox Vindij ab Ernio, Medullij à Maduria, Segiſamæ à Beiçama, & Arracilli à Rexil. Deinde cum Medullium montem Minio flumini imminere dicat Oroſius, quomodo hoc Maduriæ Ipuſcuæ monti conuenire poteſt, qui octo ad minus dierum iter à Minio diſtat? Certè cum ex

Dione, Floro & Oroſio perſpicuum ſit hoc bellum in ipſa Cantabria geſtum eſſe, nequicquam hi Authores ad Ipuſcuam, quæ ad Vatdulos ſpectat, trahunt: vt inde ſuæ genti magnanimitatis famam concilient: tutior multo ſententia Moralis videtur, qui lib. 8. cap. 57, bellum hoc, aut potius bella à Legatis Auguſti geſta fuiſſe circa oppidum Gijon & Vallem de Coraco dictam, non procul à Monaſterio beatæ Mariæ Couadongæ, colligit ex veteribus ſepulchris & inſcriptionibus, quæ non ita pridem iis locis extabant: quamquam, ne quid diſſimulem, non tam contra Cantabros quàm contra Aſtures ibi dimicatum putat, ideò ſcilicet, quia vtrumque locum in regione Aſturum, vti nunc, ſic olim fuiſſe exiſtimat, cuius tamen contrarium ex iis, quæ ſupra attigimus, clarè elucet. Nunc vt de Vinnio & de Medullio montibus aliquid dicamus, Vinnium quidem, inter veteres ſcriptores Ptolemeus, inter recentiores verò Florianus, Coquus & Poça in medio Aſturiarum collocant, vbi montes, præ cæteris Hiſpaniæ, in immenſam altitudinem exſurgere notant Morales & Sandouallius. Vtriuſque verba digna ſunt quæ hic referantur, Morales lib. 13. cap. 2. *Dos leguas Pequeñas deſtas dos poblationes de cangas en à quella ſierra llamada Auſeua eſta la cuenca llamada Couadonga.* Et paulò pòſt. *Eſta eſte ſitio dentro de las montañas llamadas de Europa à las vertientes, que ya ſon de Aſturias, porque ſiendo eſtas ſierras las muy celebradas en Caſtilla con ſolo nombre de montañas, por à quella parte que ſierran los llauos del Reyno de Leon, las llamaban communamente de Europa, y parten con ſus cumbres las Aſturias de Ouiedo y Santillana, Aſsi que ſiendo todas las vertientes del medio dia, del Reyno de Leon: las Setentrionales que van luego à la mar, ſon de ambas Aſturias: y aunque no es poſsible dar à entonder del todo con palabras la eſtrañeça de*

aquel ſancto Lugar, por lo fragoſo de la ſierra, por lo brauo y eſpantoſo de la roca y por las grandes marauillas que en el ſe repreſentan à quien attentamente lo conſiderara: mas toda via proſiguiendo ſe aqui llañamente la deſcription, ſe comprehendera mucho de lo que ay en todo, &c. Sandouallius autem in eo libro quem de Monaſterio ſancti Toribij conſcripſit, his verbis montes iſtos deſcribit. *La prouincia de Lieuana es vna de las montañas mas aſperas de Eſpaña cuyas ſierras particularmente las que llaman de Europa à viſta del mar de ſan Vincente de la Varquera, parece que llegan al Cielo llaman ſe Aſturias de Santillana o ſanta Iuliana, es tierra fertil de pan &c. No tiene grandes poblationes de Lugares que el Mayor es la villa de Potes que tendra docientos vezinos, mas ay ſolares muy antigos de Caſas muy nobles de Hidalgos y Caualleros: no ſe ſabe que los Mores granaſſen eſta tierra, antes parece que no llegaron à ella, ny era poſsible por ſu mucha aſpereça, y aſsi ſe conſeruaron en ella ſus antiquiſsimos moradores, y della commenço Don Pelayo la reſtauration de Eſpaña ſaliendo contra los Moros que le acometieron por Couadonga tierra alli vezina.* Idem in vita Pelagij Regis pag. 85. *Por ſer eſta tierra tan braua* (loquitur de Cantabria) *y del gouierno de Faſila padre de D. Pelayo, acogio ſe en ella D. Pelayo huy endo de Vitiza, y agora ſe valio en ella lleuantando ſe contra los Moros recogiendo los Chriſtianos que tunieron animo para reſiſtir al enemigo y ſe hizieron fuertes en Valdeon y en Couadonga y en otros montes aſperiſsimos donde no podian yr grueſſos exercitos.* Medulium autem montem, ſi in orâ Galliciæ vbi conſtituitur ab Oroſio inueſtigemus, reperiemus ſupereſſe adhuc veſtigia huius nominis circa terram de Vierço dictam & Sili fluminis caput, quod Minium ex parte componit, vt teſtimonio ipſius Moralis conſtare poteſt; hæc enim habet in tractatu deſcriptionis Hiſpaniæ

fol. 46. *Eſta à la ſalida de Galicia* (loquitur autem de monte inſigni qui olim auri argentique venis abundabat) *en la tierra llamada el Vierço, no lexos de Vila-frànca, y muy cerca del inſigne Monaſterio de Cerracedo de la Orden de Ciſter, es encima de la Ribera del Rio Sil cuyas comarcas ſon muy celebradas en Plinio por muy abondoſas de oro, que todo lo demas, llaman aquella montaña de las Medulas.* Minij autem nomine etiam Silum comprehenſum fuiſſe à veteribus, ſuprà diximus, nec ratione id caret, cum Minio (vnde nomen amni datum teſtatur Iuſtinus lib. 44.) magis abundet Silus quam alij fontes Minij amnis, teſte Morale vbi ſupra fol. 48. his verbis. *Pues al rio Miño ſe le dio el nombre deſte metal o color que en latin ſe llama Minium, los Gallegos Dizen agora que ſe le dio ſin Razon al rio el nombre, pues no ſe halla en ſus riberas el vermellon ſi no en las de otro rio llamado el Sil, que entra en el.* Porrò fruſtra ſunt, qui Segeſamam, vbi Auguſtus Cantabriam aggreſſurus, caſtra poſuit, alibi quam in Vaccæis quærunt (erat hic populus vicinus Cantabris) nam Segiſamam vrbem Vacceorum agnoſcunt Polybius apud Strabonem, & Ptolemeus lib. 2. cap. 6: Idem Morales lib. 8. cap. 57. putat Auguſtum Cæſarem bellum, quod contra Cantabros cœperat, aduerſus Callaicos, aut Gallecos proſequutum, perſuaſus verbis Oroſij, qui lib. 6. cap. 21. Cantabris ad Vellicam & Arracillum fuſis, Antiſtium & Firmium Legatos vlteriores Galleciæ partes, quæ montibus ſyluiſque & Oceano terminantur, magnis grauibuſque bellis perdomuiſſe narrat: Sed hic Oroſium non de Gallecis populis, qui iam pridem pacati erant, nihilque tunc mouebant, ſed de ipſiſmet Cantabris loqui, qui Vellica & Arracillo pulſi, ad inacceſſa & prærupta loca montium ſuæ regionis, quæ ad Galleciam vergunt, conceſſerant, facilè iudicauerit

quiſquis verba Oroſij ritè expenderit; præcipuè ſi cum iis, quæ de eodem bello ſcripſere Dio atque Florus, conferantur. Gallecię autem ideò mentio iniecta eſt ab Oroſio, quod totum trans Durium tractum verſus Septentrionem & Aſtures, Cantabroſque Callaicam vocabant veteres, teſte Strabone lib. 3. quin & ipſos Cantabros & Aſtures Gallecię portionem fuiſſe affirmat Oroſius. Ex iam dictis perſpicuum eſſe arbitror Cantabriam veterem maximam partem Legionenſis Regni ambitu ſuo complexam fuiſſe, vtramque ſcilicet Aſturiam tam de Santillana quàm de Ouiedo dictam, vnà cum terra de Campos, & parte Legionenſis agri & Caſtellæ veteris, quibus in locis ac præſertim circa Auſeuam & Couadongam, quæ Vindij montis partes ſunt, cum Pelagius prima Regni ſui fundamenta iecerit adiutus ope incolarum & aliorum Chriſtianorum, qui eò tanquam ad tutiſſimam arcem confugerant, videtur tandem Cantabrorum virtus, quæ iam à tot ſeculis inter mortua & quaſi ſepulta iacebat, in hoc pereuntis Hiſpanię momento commodùm reuixiſſe.

Cantabriæ nomen ſub Gothis & Sarracenis Rioiæ attributum fuiſſe.

CAPVT V.

NON tamen iiſdem ſemper finibus ſtetere Cantabri: Etenim cum Cæſar Auguſtus eos poſt decennale bellum viciſſet, de montanis locis in campeſtres tranſtulit, vt ex Dione & Floro liquet; quorum vterque cùm de regione in quam tranſlati ſunt, ſileat, quidni ſuſpicemur eos in Beronum & Turmodigorum conualles proximas, necnon ad vltimas deſinentis Vaſconiæ oras, deſcendiſſe; indéque

indéque nomen Cantabriæ huic tractui communicatum. Certè non video quò opportunius hanc gentem efferam & contumacem, traducere potuerit Auguſtus, quam ad illos tres populos, quos ſemper pacatos & fidos experti ſunt Romani. Vt vt ſit, certum eſt iam à tempore Gothorum Regum Rioiam & confinem agrum ad Iberi ripam vſque Cantabriæ nomen vſurpaſſe. Author namque vitæ ſancti Æmiliani huius nominis Monaſterium, in media Rioia poſitum, tempore cladis Cantabricæ à Leuuigildo Rege illatæ, excidiſſe affirmat, illudque excidium ſancto viro diuinitùs reuelatum fuiſſe. B. quoque Ildefonſus in Commentario rerum à Rege Vuambâ geſtarum, hunc Regem narrat, cum expeditionem contra Vaſcones ſuſcepiſſet, ad eos debellandos in partibus Cantabriæ ſubſtitiſſe: Rodericus Toletanus & Lucas Tudenſis, Sanctio Garciæ Pompelonenſi Regi, Innici nepoti, tribuunt Cantabriæ armis acquiſitæ laudem, ob partas Nageram & Vigueram Rioiæ vrbes; Iberus quoque amnis, qui Vaſconiam prꝺterlabitur, ideóque aliàs Vaſconis cognomentum tulit apud Prudentium in Hymno Laurentij Archileuitæ & Feſtum Auienum, Cantaber amnis dictus eſt Eulogio in epiſtola ad Vuiliefindum Pompelonenſem Epiſcopum. Itidémque Garciæ Pompelonenſi Regi, in quodam diplomate anni 946, apud Sandouallium in hiſtoria Monaſterij ſancti Æmiliani §. 39. Quod ſi antiquiora tempora reuoluas, vnde hoc vt Calagurritanos, qui verè Vaſcones erant, Iuuenalis ſatyra 15, nunc Vaſconum, nunc Cantabrorum nomine deſignet, niſi fortè ex vnius gentis, circa eum tractum cum altera permiſtione? Hinc puto ſatisfiet Floriano, Garibaio & aliis, Cantabriam vrbem fuiſſe, non procul ab Ibero

ſitam contendentibus, ſi dixerimus extitiſſe quidem (ſiue vrbs ſiue arx illa fuit;) ſed poſt deuictos ab Auguſto Cantabros, vel ab iiſdem in hanc oram tranſlatis, conditam, vel (quod magis crediderim) longo poſt interuallo temporis, à Regibus Pompelonenſibus, contra Sarracenorum citra Iberum irruptiones, munitam.

Regionem Vardulorum, Autrigonum & Cariſtorum à Vaſconibus occupatam videri & de Cantabrorum variis cladibus.

CAPVT VI.

NON deerunt fortè qui minus probent quod Viſcainos, Alauenſes & Ipuſcuates, ſtrenuas & bellicoſas gentes, à Cantabris abiudicem, perinde quaſi eo ipſo obſcuris & imbellibus Autrigonum, Cariſtorum & Vardulorum populis, veniant aſcribendi. Mihi verò non hæc ſtat ſententia; quin potius exiſtimo horum populorum genus magnâ ex parte, vnâ cum nomine, iampridem excidiſſe, eorumque patriam à gente aliqua forti, & pugnaci occupatam tempore Gothorum Regum: hactenus enim ſtetit Vardulorum nomen (ſub quo etiam Autrigones & Cariſtos comprehenſos fuiſſe ſuprà docuimus:) nec quod ſciam vllus Author, Idacio ętate poſterior, huius populi meminit: At quorſum, inquies, ſi in Vardulorum ſedibus nouos incolas admittere expedit, Cantabros inde excludimus habitatione proximos, viribus potentes & inuadendis vicinis regionibus iam à tempore Romanorum aſſuetos? Ideò certè quia iis bellis, quæ cum Auguſto Cæſare atque eius Legatis

geſſerė, ita totum Cantabricæ gentis robur interiit, vt exinde nihil vnquam generoſum, nihil tanta gente dignum exequi aut meditari auſi ſint: quinimò deſtituta ſuis cultoribus regio, patuit iniuriis & irruptionibus exterorum. Nec moueor vanis quorumdam Ipuſcuenſium ſcriptorum ſermonibus, Cantabros (cuius gentis nomine deſignari ſe putant) numquam à Romanis victos fuiſſe contendentium; illius autem belli, quod Auguſtus Cæſar contra eos ſuſceperat, aleam omnem trecenorum vtrimque militum certamini permiſſam, victores Cantabros effeciſſe, déque eo bello ipſummet Auguſtum v. libros edidiſſe quorum adhuc, ſi Deo placet, extare fragmenta in Biſcaiâ iactant: ſunt enim hæc mera vigilantium ſomnia, nec aliâ refutatione indigent, quàm quod, nullo certo authore, ex obſcura ignobilium quorumdam ſcriptorum officinâ prodeunt & cum his, quæ de hoc bello ab antiquis & fide dignis hiſtoricis Dione, Floro atque Oroſio tradita ſunt, ex diametro pugnant: quod vt clariùs liqueat ipſorum verba hîc referre non pigebit. Dio itaque lib. 53. poſtquam de Cantabris atque Aſturibus, à Cariſio & Caio Furnio Auguſti Legatis, acie victis & in ſeruitutem redactis verba fecit, hæc ſubiungit. *Cantabrorum pauci viui in hoſtium poteſtatem venerunt, nam cum de libertate deſperaſſent, vitâ quoque contemptâ, incenſis munitionibus ſe ipſos interfecerunt aut vnà conflagrarunt, alij publicè ſumpto veneno obierunt, ita maxima ac ferociſsima pars Cantabrorum perijt*: Et eodem libro, defectione eorum qui in eo bello capti & poſteà, dominis ſuis interfectis, domum reuerſi fuerant, expoſitâ; quid Agrippa, ſumptâ in eos expeditione geſſerit, his verbis declarat. *Cantabros, qui eſſent militari ætate, omnes propè deleuit: reliquos dearmauit*

C ij

& de montanis locis in campeſtres tranſtulit. Florus quoque lib. 4. cap. 12. & Oroſius lib. 2. cap. 21. poſtquam de prœlio ad Belgicam facto, in quo Cantabri ab Auguſti Legatis fuſi fugatique fuerant, ac de Arracillo oppido expugnato, obſeſſoque Medullio monte egere, his verbis narrationem iſtius belli concludunt. Flori verba; *Poſtquam extrema barbari vident certatim igne, ferro inter epulas venenoque, quod ibi vulgò ex arboribus taxis exprimitur, præcepere mortem, ſeque pars maior à captiuitate quæ videbatur vindicauere. Hæc per Antiſtium, Firmium, Agrippam Legatos hybernans in Tarraconis maritimis Cæſar accepit, ipſe præſens hos deduxit montibus, hos obſidibus adſtrinxit, hos ſub coronâ iure belli venundedit:* Oroſij verba; *Itaque vbi ſe gens hominum trux naturâ & ferox, neque tolerandæ obſidioni ſufficientem, neque ſuſcipiendo bello parem intelligit, ad voluntariam mortem ſeruitutis timore concurrit, nam ſe pœnè omnes certatim igne, ferro aut veneno necauerunt.* Sed & longo, ante Auguſti ætatem, interuallo, Cantabros à Romanis ſubactos fuiſſe diſcimus ex his Flori lib. 48. Epitomes Liuianæ verbis, vbi de P. Cornelio Æmiliano hæc tradit. *L. Lucullus Conſul, cui Claudius Marcellus ſucceſſerat, pacaſſe omnes Celtiberiæ populos cum videretur Vacceos, Cantabros & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hiſpaniâ ſubegit.* Manſiſſe autem eos exinde in fide Romanorum, vſque ad bellum ciuile inter Pompeium & Cæſarem exortum, ipſius Cæſaris lib. 1. de bello ciuili verbis edocemur, quæ ſic habent; *His rebus conſtitutis equites auxiliaque toti Luſitaniæ à Petreio, Celtiberis, Cantabris, Barbariſque omnibus qui ad Oceanum pertinent, ab Afranio imperantur:* An autem potiori conditione aut fortunâ ſub Gothis vixerint quam ſub Romanis, ea quæ mox dicturi ſumus demon-

ſtrabunt. Auctor eſt Idacius, in Chronico, non ita pridem, à Iacobo Sirmundo edito, temporibus Auiti Imperatoris & Martiani (circa annum nempe Chriſti 455.) Herulos mari aduectos per Cantabriæ & Varduliæ loca maritima impunè graſſatos fuiſſe: vniuerſam autem Cantabriam, non ita multò poſt, ab extraneis gentibus occupatam fuiſſe, eoſque qui occuparant, à Leuuigildo Rege pulſos, diſcimus ex Ioanne Biclarienſi: eamdem rurſus à Francis captam & poſſeſſam fuiſſe, eorumque duce Francione mortuo, in poteſtatem militum Conſtantinopolitani Imperatoris deueniſſe, & tandem iis vi armorum eiectis, à Siſebuto Rege Imperio Gothorum annexam, affirmant Fredegarius cap. 33. ſui Chronici atque Aymonius lib. 4. cap. 13. hiſtoriæ Frācicæ: Tempore denique Vuambæ Regis Vaſcones impreſſione factâ eamdem inuaſiſſe, teſtatur Roderic. lib. 3. cap. 3. Nulla itaque ratio ſuadet vt Cantabros domi ad proprios tuendos lares imbecilles, aliò victricia arma intuliſſe credamus & longè expeditius videtur, iſtud Varduliæ armis partæ facinus finitimis Vaſconibus tribuere; quorum vires regnantibus in Hiſpania Gothis integrę erant; ideoque ſeu odio Gothorum, ſeu ſtudio propagandorum finium, frequentes in vicinas regiones excurſiones faciebant. Occurrunt inſuper alia huic ſententiæ confirmandæ argumenta non leuia, à ratione nominis, ſimilitudine morũ, & cõmercio vnius linguæ inter vtramq; gentem deſumpta, namque tres illos populos Biſcainos inquam, Alauenſes & Ipuſcuates Galli vno nomine Baſcos appellant, quæ vox ſolo declinandi & pronuntiandi modo à nomine Vaſconum diſcrepat Hiſpani autem ipſos Vaſcongados, eorum autem linguam Vaſcuence nominant, ab iiſdem Vaſconibus ductâ vtrâque denomina-

tione. Habitu autem & moribus, quantum cum reliquis Vaſconibus conſentiant, norunt qui in iis regionibus diutiùs verſati ſunt. Accedit authoritas Ioannis Biclarienſis & Sebaſtiani Salmanticenſis, è quibus hic bellum, quod Froila Rex Legionenſis huius nominis primus contra Vaſcones geſſit, contra Alauenſes ſpeciatim geſtum fuiſſe indicat, dum Adefonſum Froilæ filium, è regno à Mauregato deiectum, Alauam ad propinquos matris ſuæ aufugiſſe commemorat; mater enim Adefonſi nomine Munimina è gente Vaſconum erat, eamque Froila pater bello Vaſconico captam ſibi coniugio copulauerat, teſte eodem Sebaſtiano; Biclarienſis quoque, cum Leuuigildum Regem anno Regni ſui 13. partem Vaſconiæ occupaſſe & ciuitatem quæ Victoriacum nuncupatur, ibi condidiſſe narrat, Vaſconiæ nomine Alauam videtur deſignaſſe: ſi quidem in hoc pago duntaxat & nuſquam alibi in totâ Vaſconiâ, extat ciuitas huius nominis, quam multis poſt ſęculis à Sancio Pompelonenſi Rege cognomento Sapiente inſtauratam fuiſſe crediderim, non autem de nouo conditam, vt volunt aliqui.

De ſitu veteris Vaſconiæ & de populis à Strabone Iacetanis dictis, an iidem ſint cum Lacetanis.

CAPVT VII.

VASCONIA olim ſita erat vbi nunc Nauarra, latiùs tamen patebant eius fines quam hodiernæ Nauarræ: ſi quidem trans Iberum continebat Calagurrim & Graccurim (quæ vrbs non multùm diſtabat à territorio oppidi quod nunc Alfaro dicitur:) à meridie

verò veterem Comitatum Aragoniæ; at à Septentrione attingebat Oceanum Cantabricum in ea parte Ipuſcuæ vbi nunc Fontarrabia eſt. Et de Calagurri quidem eam in regione Vaſconum fuiſſe teſtantur Strabo & Ptolemeus qui eam Calagorinam vocat, quibus ſuffragatur Iuuenalis ſat. 15: De Graccuri verò author nobis eſt idem Ptolemeus qui eam inter Vaſconum vrbes enumerat; à Septentrione autem ad Oceanum vſque proceſſiſſe, hinc colligitur quod Manlaſci fluuij oſtia in Vaſconum regione ponit idem Ptolemeus (licet in hoc non conſentiat cum vulgatis editionibus, manuſcriptum exemplar Ptolemei, quod in Bibliotheca Regia aſſeruatur, ibi enim hic fluuius Vardulis non autem Vaſconibus tribuitur:) Strabo quoque Idaſunam vrbem Vaſconum, vel potius Oidaſſunam, vt habent quidam ſcripti libri, teſte eruditiſſimo Caſaubono, ad ipſum Oceanum ſitam eſſe affirmat, qui ſitus hodie Fontarrabiæ oppido non malè conuenit; conditum enim eſt in littore ferè Oceani, alluiturque fluuio qui etiamnum Vidaſſonis nomen ſeruat, idemque videtur eſſe cum Eaſone Melæ. Iam quod ſpectat ad Comitatum Aragonenſem, hunc in Vaſconibus fuiſſe clarum eſt ex Ptolemeo, qui Iaccam, caput eius regionis, inter Vaſconum vrbes enumerat. Porrò qui Iaccetanos Strabonis ab hac vrbe deducunt, longè errant; hinc enim procul aberant verſus meridiem & ad eam partem Aragoniæ, vbi Ilerda vrbs, (nunc Lerida) ſita erat, vergebant, vt tam ex Strabone quam ex Ptolemeo cognoſcimus: Itaque Iaccetani ſpectabant ad eam Hiſpaniæ Tarraconenſis partem, vbi hoc tempore deſinit Aragonia & incipit Catalonia; erantq; interiecti, Vaſcones inter & Iaccetanos, Ilergetes, vt ex deſcriptione Ptolemei clarè liquet, quos

autem Strabo Iaccetanos vocat, eoſdem eſſe cum Lacetanis, quorum frequens apud Cæſarem, Liuium & Plinium mentio, ſenſit Interpres Ptolemei, itidemque Fuluius Vrſinus notis ad librum 1. Cæſaris de bello ciuili, quibus ego libenter ſubſcribo; in eo tamen quod Vrſinus mendum ſubeſſe putat in vulgatis Cæſaris, Liuij atque Plinij codicibus, legendumque exiſtimat Iaccetanis pro Lacetanis, fretus authoritate Strabonis & Ptolemei, qui hanc vocem à litera I, incipiunt, Ego contra cenſeo, emendandum ſcilicet Strabonis locum legendumq; apud eum Lacetani pro Iacetani, & ſimiliter apud Ptolemeum: nam cum ſemel tantum aut bis apud Strabonem hæc vox Iaccetani reperiatur, Ptolemei verò exemplaria varient (nam pleræque editiones Accetani habent non Iacetani) vocabulum autem Lacetani ſæpius apud veteres Authores occurrat (ſiquidem illud omnia ferè Cæſaris, Liuij & Plinij exemplaria retinent) propius verò eſt vnius literæ mendum in vnicum Strabonis locum irrepſiſſe, quam in tot aliorum Authorum libros. Lacetanos autem proximos fuiſſe Ilergetibus, adeò vt etiam ſæpè pro vna eadémque gente vſurpentur, diſcimus ex Liuio decadis 3. lib. 8. Idem author, Lacetanos finitimos facit Auſetanis, qui Iberi ripas accolebant. Vrbes Vaſconum enumerat Ptolemeus, præter iam dictas Ituriſſam, Pompelonem, Biturim, Andeluſium, Nementuriſſam, Curnonium, Baſcontum, Ergauiam, Tarragam, Muſcariam, Setiam & Alauonam. Ituriſſæ ſitus in pago Vaſtanenſi quærendus eſt, circa vicum qui ſancti Stephani Lerinenſis nomen obtinet, non autem in aduersâ plagâ ad meridiem, vt voluere interpretes Ptolemei & Andreas Scotus in Melam, neque circa Toloſetam in Ipuſcuâ, vt ſenſit Gaſtaldus, eumque ſequutus

quutus Moletius. Plinius lib. 3. cap. 3. in recenſendis his populis, qui Cæſarauguſtani conuentus erant, meminit Caſcantēſium, Graccuritanorum, Arocelitanorum, Calaguritanorum, qui Fibularenſes cognominantur, Carenſium, Ergauicenſium, Ituriſſenſium & Ilumberitanorum, quos omnes hactenus Nauarra complectitur, ſeruatis veteribus appellationibus, ſi Graccuritanos excipias, Ergauicenſes & Ituriſſenſes, quorum primos circa Alfarum oppidum collocauimus, (Falluntur enim qui ad Agredam trahunt) proximi fortè ab Arga fluuio nomen acceperunt, at poſtremi dici nunc poſſe videntur Vaſtanenſes: Ituriſſæ enim ſitum in iis partibus fuiſſe diſcimus è Mela, Ptolemeo & Authore Itinerarij. Cæterùm poſterioribus ſeculis, mutata eſt aliquantum Vaſconiæ facies; nam Gothis in Hiſpania rerum potientibus, cum Vaſcones neque eorum Imperium ferre poſſent, neque ſatis eis virium ad reſiſtendum, æquis locis, ipſorum potentiæ ſuppeteret, dimiſsâ planâ regione in ſuos ſe montes receperunt, indéque ad proximas Vardulorum, Autrigonum & Aquitanorum montanas regiones ſe effuderunt.

De ſtatu Vaſconum, tempore Pœnorum & Romanorum in Hiſpania.

CAPVT VIII.

QVIS ſtatus eſſet Vaſconum, ante aduentum Pœnorum in Hiſpaniam, incompertum eſt: at ab eo tempore & poſt expugnatam Saguntum, cum Annibale Italiam petente, contra Romanos arma coniunxiſſe, ex ſequentibus Silij Italici locis colligitur: & pri-

mo quidem Silius libro 2. populos illos, qui Annibalem in Italiam ſequebantur, enumerans, Vaſconum his verſibus meminit.

Nec Cerretani, quondam Tyrinthia caſtra
Aut Vaſco inſuetus galeæ, ferre arma morati.

Lib. 5. in narratione prœlij contra Flaminium Conſulem geſti.

Erumpunt multuſque Maces Garamaſque Nomaſque
Tum quo non alius, venalem in prælia dextram,
Ocyor attulerit, conductaque bella probarit
Cantaber & galeæ contempto tegmine Vaſco.

Lib. 9. de pugna Cannenſi agens.

—— ſubiere leues, quos horrida miſit
Pyrene, populi, varioque auxere tumultu
Flumineum latus, effulget cetrata iuuentus
Cantaber, ante alios, nec tectus tempora Vaſco,
Ac torto miſcens balearis prælia fundo.

Lib. 10. de eadem pugnâ & Paulo Conſule Romano verba faciens.

Ac iuuenem quem Vaſco leuis, quem ſpicula denſus
Cantaber vrgebat, lethalibus eripit armis.

Non tamen diuturna fuit hæc ſocietas, imo breui Vaſcones, perinde atque alios Hiſpaniæ citerioris populos, in partes Romanorum conceſſiſſe, vt credam facit hic Liuij locus lib. 1. decad. 3. *Cnæus Scipio in Hiſpaniam cum claſſe & exercitu miſſus, cum ab oſtio Rhodani profectus Pyreneoſque montes circumuectus, Emporiis appuliſſet claſſem, expoſito ibi exercitu, orſus à Lacetanis vſque ad Iberum flumen, partim renouandis ſocietatibus, partim nouis inſtituendis Romanæ ditionis fecit; inde conciliata clementiæ fama, non ad maritimos modo populos, ſed in mediterraneis quoque ac montanis ad ferociores iam gentes valuit,*

nec pax modo apud eos, ſed ſocietas etiam parata eſt, validæque aliquot auxiliorum cohortes ex iis conſcriptæ ſunt. Solos hic nominat Liuius Lacetanos : ſed, cum alios deinde populos etiam mediterraneos & montanos adiungat, vix eſt vt Vaſcones præteritos voluerit, qui omnium maximè Lacetanis proximi erant pariterque Ilergetibus, quos etiam, licet hîc non expreſſerit, fuiſſe tamen inter eos quibus cum ſocietatem contraxerat Scipio, indicat eodem libro, his verbis. *Vixdum digreſſo eo* (loquitur de Scipione, qui Tarracone Empurias receſſerat) *Aſdrubal aderat, & Ilergetum populo, qui obſides Scipioni dederat, ad defectionem impulſo, cum eorum ipſorum iuuentute, agros fidelium Romanis ſociorum vaſtat.* At ſubinde Vaſcones illos, qui ſub ſignis Annibalis in Italiâ militabant, domum reuocatos fuiſſe, coniicio ex hoc loco, eiuſdem authoris decad. 3. lib. 5. vbi poſtquam de recepta à Romanis Sagunto, diſſeruit, hæc ſubiicit : *Celtiberûm iuuentutem, eâdem mercede, quæ pacta cum Carthaginenſibus erat, Imperatores Romani ad ſe perduxerunt & nobiliſſimos Hiſpanos ſupra 300, inde in Italiam ad ſollicitandos populares, qui inter auxilia Annibalis erant, miſerunt.* Quin autem Romanorum amicitiam ſanctè exinde ſemper coluerint Vaſcones, nullus dubitandi locus relinquitur, veterum, qui res Romanas ſcripſere, libros legentibus : ſiquidem cæteris ferè omnibus populis Hiſpaniæ à Romanis deficientibus, nihil vmquam ab hac gente turbatum, nulla etiam contra illam bella à Romanis ſuſcepta reperire eſt, niſi quod bello ciuili, quod inter Syllam & Marium exarſit, ſoli inter tot Vaſconum populos, Calagurritani Sertorio Marianarum partium Duci adhæſerunt, pro quo vltima quæque perpeſſi, ſingulare inuiolatæ in Du-

cem ſuum fidei & inuicti animi Vaſconum, documentum fuere; ipſos quoque viciſſim à Romanis, ſemper amicè & gratioſè habitos, credere æquum eſt, vt veros & fidos ſocios decebat ab illo populo, qui *beneficio, quàm metu obligare homines mallet, exteraſque gentes fide ac ſocietate iunctas habere, quam triſti ſubiectas ſeruitio,* (verba ſunt Scipionis Romani Ducis Hiſpanos apud Liuium decad. 3. lib. 3. alloquentis) ita vt nullâ in re, Vaſconum libertatem læſam, nullas in illorum regionem colonias miſſas, nullas eorum ciuitates ſtipendiarias factas (quod in pleriſque aliis Hiſpaniæ populis vſu venit) vſquam legamus; ſed eos integris viribus, florente republica, moribus, linguâ & patriæ finibus immutatis vſque ad Gothorum in Hiſpaniam aduentum perduraſſe, plurimis veterum Authorum teſtimoniis admoneamur. Quanti autem apud Romanos fuerit huius gentis virtus & fortitudo, hinc æſtimare licet, quod in longinquis & grauibus expeditionibus, Vaſconem militem adhibebant; Teſtis enim eſt Tacitus lib. 4. hiſtor. cap. 7. in eo bello, quod Vitelliani contra Britannos & Germanos eorumque Ducem Ciuilem ſuſtinuere, inclinantem iam in hoſtes victoriam, Vaſconum cohortes feruente prœlio accitas, Romanis aſſeruiſſe.

Quo ſtatu vixerint Vaſcones Gothis in Hiſpania dominantibus. Item de clade ab exercitu Caroli Magni, ad Roncauallim, acceptâ.

CAPVT IX.

LABASCENTE Romanorum in Hiſpania Imperio & Sueuis ac Gothis prouinciam ingreſſis, non

eadem ſorte cum iis vixere Vaſcones; ſed perpetuis ferè conflixere bellis, dum aut ſuos fines tuentur, aut alienos inuadunt; Primum illis certamen, cum Rechiario Rege Sueuorum, fuit, quem ducta in vxorem Theodorici Regis Gothi filia, Vaſcones deprædatum fuiſſe narrat Idacius. Rurſus Leuuigildo regnante, partem Vaſconiæ ab eo occupatam fuiſſe, affirmat Biclarienſis, quod de Alauâ regione non ita pridem à Vaſconibus armis occupatâ intelligendum eſſe, ſupra monuimus. At tempore huius filij, Recaredi Regis, crebras in Regnum Gothicum irruptiones, à Vaſconibus factas fuiſſe, teſtatur Iſidorus in Chronico; Meminit quoque idem author expeditionis à Gundemaro Rege contra Vaſcones ſuſceptæ, quæ non alium habuit euentum, præter vaſtationem agrorum: Siſebuto autem regnante, nouos motus in montibus à Vaſconibus factos fuiſſe, eoſdémque à Rege cõpreſſos, diſcimus ex Chronico veteri Moiſſiacenſi, nuper ab Andræa Ducheſnio viro erudítiſſimo edito: Eoſdem, tempore Suintillæ Regis, crebris excurſionibus Terraconenſem prouinciam infeſtaſſe & Ologitim ciuitatem, quæ hoc æuo contractè, *Olite*, dicitur, Vaſconicè verò *Erriberri* (id eſt vrbs noua) ad Gothos pertinentem, & à ſe, vt videtur, euerſam propriis impenſis inſtaurare coactos, refert Lucas Tudenſis ex Iſidoro: Sub Recenſuindo rurſus Rege, nouas irruptiones in Regnum Gothorum fecere, copiis Regiis quæ prohibere conabantur, exitioſas, teſte Iſidoro Pacenſi, cuius verba, quia apud Rodericum Toletanum corruptè leguntur, ſicuti à Prud. Sandouallio ex ἀρχετύπῳ edita ſunt, hîc inſerenda iudicauimus. *Huius*, inquit, *temporibus* (id eſt Regis Recenſuindi) *eclipſim Solis, ſtellis in meridiem viſentibus omnibus, Hiſpaniam territat, atque incurſa-*

tionem Vaſconum, non cum modico exercitus damno proſpectat. Demum regnãte Vuambâ, quum Vaſcones quietis ignari, vt ait Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 3, loca Pyrenæi & Cantabriam inuaſiſſent, indignum Gothorum dignitate ratus Rex, diutius offenſiones huius gentis perferre, eam Imperio ſuo ſubiicere ſtatuit. Conflato itaque ingenti exercitu, Vaſconum fines infeſto agmine ingreditur, eoſque poſt vaſtatos agros & incenſa ædificia, pacem petere coëgit. Non ſum neſcius hanc cladem à Vuamba illatam, Vaſconibus Aquitanis tribui à Roderico, ſed maiorem fidem meretur Iulianus Archiepiſcopus Toletanus, æqualis illorum temporum ſcriptor, qui eam Vaſconibus Iberis imputat. Quæ exinde ab hac gente, extincto Gothorum in Hiſpania Imperio, contra Sarracenos geſta ſunt, hîc ideò prætermittimus, quia deinceps de iis, in hiſtoria Nauarræa, opportunior ſeſe offeret dicendi locus. Ea verò quæ trans Pyrenæum in Aquitania contra Francos fortiter præſtiterunt, poſtremâ parte huius operis referentur. Hîc interim nolim omitti, ea quæ inter ipſos & Caroli magni exercitum, citra Pyrenæum contigere; inſignem ſcilicet illam & toto orbe decantatam ſtragem, quam is exercitus, ad Roncauallim, anno Chriſti 778 paſſus eſt. Vaſcones libertatem quam illibatam ſub Romanis conſeruarant, contra Sueuos, Gothos & Sarracenos intrepidè defenderant, magna ex parte ſub Carolo amiſere. Hic enim dum Hiſpaniam ab Ibnabala Regulo Sarraceno ſollicitatus, cum valido exercitu, contenderet, per Vaſconum & Nauarrorũ terras iter faciens, vtrumque populũ ſuo ſubeſſe Imperio & ditioni coëgit & tributo impoſito vectigalem fecit, Pompelonem etiam oppidũ, Caput gentis, dirutis mœnibus, per ſpeciem defectionis

præcauendæ, in vici formam redegit, teſtibus Eginhardo & aliis illius ſeculi hiſtoricis, qui res à Carolo geſtas literis mandarunt: Perculſa itaque hac iniuriâ & contumeliâ bellicoſa gens, dum vindictæ occaſionem quærit, regredientis exercitus Francici extremum agmen in Pyrenæi faucibus animoſè adoritur & licet militum numero impar, genere etiam armorum inferior, totum calamitoſa clade proſternit: ſed præſtat audire Eginhardum loquentem cui, vt Regiæ aulæ Notario, Caroli res maximè notæ fuere: Hic itaque in eo commentario, quem de iſtius Principis vitâ compoſuit, quid in hac expeditione Hiſpanicâ geſtum ſit, his verbis declarat. *Ipſe per bella memorata, primò Aquitaniam & Vuaſconiam, totumque Pyrenæi montis iugum, & vſque ad Iberum amnem qui apud Nauarros ortus & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertuſæ ciuitatis mœnia, Baleárico mari miſcetur: deinde Italiam &c. ita perdomuit, vt eas tributarias efficeret* De clade autem ad Roncauallem accepta, ſic, *Cum agmine longo, vt loci & anguſtiarum ſitus permittebat, porrectus iret exercitus, Vuaſcones in ſummi montis vertice poſitis inſidiis (eſt enim locus ex opacitate ſyluarum, quarum maxima eſt ibi copia, inſidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem & eos qui nouiſſimo agmine incedentes ſubſidio præcedentes tuebantur, deſuper incurſantes in ſubiectam vallem deijciunt, conſertoque cum eis prœlio, vſque ad vnum omnes interficiunt ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ iam inſtabat, protecti, ſummâ cum celeritate in diuerſa diſperguntur. Adiuuabat in hoc facto Vuaſcones & leuitas armorum & loci in quo res gerebatur ſitus: è contra Francos & armorum grauitas & loci iniquitas per omnia Vuaſconibus reddidit impares. In quo prœlio Eghartus Regiæ menſæ Præpoſitus, Anshelmus*

Comes Palatij & Rotlandus Britannici limitis Præfectus, cum aliis compluribus, interficiuntur, neque hoc factum ad præſens vindicare poterat quia hoſtis, re perpetratâ, ita diſperſus eſt, vt ne fama quidem remaneret, vbi nam gentium quæri potuiſſet. Idem Eginhardus, ſeu Ademarus, vel quiſquis eſt Auctor Annalium Caroli Magni & Ludouici Pij quos primus Coloniæ Germanus Nuenarius Comes edidit, hanc cladem ſic paucis perſtringit: *Pompelonem reuertitur* (loquitur de Carolo Rege) *cuius muros, ne rebellare poſſet, ad ſolum vſque deſtruxit, ac regredi ſtatuens, Pyrenæi ſaltum ingreſſus eſt, in cuius ſummitate Vaſcones, inſidiis collocatis, extremum agmen adorti, totum exercitum magno tumultu perturbant, & licet Franci tam animis, quàm armis præſtare viderentur, tamen & iniquitate locorum & genere imparis pugnæ inferiores effecti ſunt. In hoc certamine plerique aulicorum, quos Rex copiis præfecerat, interfecti ſunt: direpta impedimenta, & hoſtis, propter notitiam locorum, ſtatim in diuerſa dilapſus eſt: cuius vulneris accepti recordatio, magnam partem rerum fœliciter in Hiſpania geſtarum, in corde Regis obnubilauit.*

De moribus veterum Vaſconum.

CAPVT X.

VASCONVM mores eoſdem olim fuiſſe, qui Luſitanorum, affirmat Strabo lib. 3. Geogr. illos autem non aptiore penicillo depingere poſſim, quam ipſius Strabonis verbis, quæ è Græco in Latinum verſa, ſic habent. *Ferunt Luſitanos eſſe inſidiandi, indagandique peritos, celeres, leues, verſatiles, aſpide vtuntur paruâ, cuius diameter duorum pedum, caua foras, loris ſuſpenſa:*

non

non enim fibulas aut anſas habent: ad hæc ſica aut enſis, plerique lineis, rari loricatis vtuntur thoracibus, aut tres criſtas habentibus galeis, cæteri neruis contra ictus formatis aſpidibus vtuntur: pedites ocreas quoque vſurpant, ſpicula ſingulis plura, nonnulli etiam haſtâ vtuntur æreâ cuſpide: quoſdam eorum, qui ad Durium amnem accolunt, Laconicâ ferunt vti vitæ ratione, bis vnguento vtentes & candentibus lapidibus calefacientes & frigidâ lauantes, vnoque cibi genere purè frugaliterque viuentes: immolando ſtudent Luſitani, & exta intuentur non exſecta, præterea & laterum venas inſpiciunt, ac tangendo etiam diuinant, quin & ex captorum extis coniiciunt ſagis ea occultantes: deinde, cum ea pulſum edunt, infra primum ex cadauere aruſpex futura prædicit: captiuorum manus dextras amputant, diiſque conſecrant, omnes qui in montibus degunt victu vtuntur tenui, aquam bibunt, humi cubant, crines mulierum in modum demittunt, mitris faciem velati pugnant, maximè capros edunt & Marti caprum immolant, prætereaque captiuos & equos; quin & ritu Græco centurias victimarum, id eſt hecatombas, quotannis inſtituunt, vt & Pindarus ait, immolare centena omnia, certamina etiam gymnica armata & equeſtria edunt pugno, curſu, velitatione & inſtructo cohortatim prælio: montani duobus anni temporibus glande veſcuntur quernâ, ſiccatam indéque contuſam molentes, atque è farinâ panem conficientes, itaque eas ad ſuum tempus reponunt: Zytho etiam vtuntur, vini parum habent & quod prouenit ſtatim in conuiuia cum cognatis inſumunt: butyrum eis olei vſum implet, cœnant ſedentes, habéntque ad parietes conſtructa in hunc vſum ſedilia: priora in ſedendo loca ætati, dignitatique referuntur, cœna circumgeſtatur, inter potandum ad tibiam ſaltant, & ad tubam choreas ducunt, interim exilientes & poplitibus flexis rectum corpus

demittentes: In Baſtetania id etiam mulieres faciunt vna alteram manu tenentes, nigro omnes vtuntur veſtitu, plerumque in ſagis degunt, in quibus etiam ſupra thoros herbaceos dormiunt, vaſis vtuntur cereis, vt & Celtæ: mulieres veſtibus vtuntur floridis, loco pecuniæ permutatione vtuntur, aut de lamina argentea aliquid abſciſſum dant: morti addictos coniectos de ſaxis præcipites agunt, parricidas eductos extra fines aut flumina lapidibus obruunt, matrimonia more Græco contrahunt: ægrotos veteres Ægyptiorum conſuetudine, in viis deponunt, vt qui eum morbum experti ſunt iis conſulant, coriaceis vſi ſunt nauigiis vſque ad Brutum, ob exundationes & paludes, nunc raris vtuntur lintribus, ſal illis purpureus, ſed albus fit terendo Talis ergo vita eſt montanorum, eorum qui Septentrionale Hiſpaniæ latus terminant Callaicorum, Aſturum, Cantabrorum vſque ad Vaſcones & Pyrenam, omnes enim eodem viuunt modo.

Hæc vniuersè Strabo de omnibus populis qui Septentrionale Hiſpaniæ latus incolunt: at ſpeciatim Vaſcones aruſpicinæ admodum peritos fuiſſe, innuit Lampridius in vita Alexandri Seueri: Tibiarum quoque vſum iis proprium fuiſſe ſignificare videtur vox Vaſcæ tibiæ (ab eo enim quod indigenæ in recto *Vaſco* dicunt ritè formatur Latinum Vaſcus, vt aliàs dicemus.) Occurrit autem hæc vox apud Iul. Solinum cap. 5. Seruium in lib. XI. Æneidos & Auctorem veteris Gloſſarij Latino-Græci, qui eam Græcè μελετητικὸν αὐλὸν vertit, ideò fortè, quod non tam arte quàm aſſidua exercitatione eius tyrocinium conſtet: (etſi non deſunt qui ibi μελικὸ ſcribendũ cenſeant) tria enim tantummodo habet foramina, quibus quodlibet ſonitus aut moduli genus, diſtinctè & concinnè reddũt qui eius artem callent, Cur autem Seruius eamdem πλαγιαυλὸν vocet, non aliam poſſum

reddere rationem, quam quod non recto nec tranſuerſo poſitu, vt cæteræ tibiæ, ſed obliquo ſtaret in manu tibicinis eâ perſonantis, idque etiamnum comprobat hodiernus vſus tibiæ, qui apud Vaſcones maximè viget, nec enim alio ferè organo vtuntur in ſuis choreis & ſaltationibus; Alia tamen mens eſt doctiſſimi Salmaſij quod attinet ad explicationem Vaſcæ tibiæ, ſuis in Flau. Vopiſcum notis & in Plinian. exercit. ad cap. 5. Solini, neque ego authoritati tanti viri repugnare auſim. In bello autem leui armaturâ vſos fuiſſe Vaſcones, coniicimus ex Eginhardo & aliis, qui de rebus Caroli Magni ſcripſere: galeæ etiam vſum contempſiſſe monet Silius Italicus pluribus locis. At citra bellum qualis eſſet eorum habitus notat hic locus è lib. 5. cap. 2. Aymonij deſumptus, *Cui filius Ludouicus* (loquitur de Ludouico Pio) *pro ſapere & poſſe obedienter parens, occurrit ad patris præſentiam habitu Vaſconum, cum coæuis ſibi pueris indutus, amiculo ſcilicet rotundo, manicis camiſiæ diffuſis, cruralibus diſtentis, calcaribus caligis inſertis miſſile manu ferens: Hæc enim delectatio voluptaſque ordinauerat paterna.*

De lingua Vaſconum & an verum ſit illius nomina in A *ſingulari numero, plurali verò in* AC *deſinere.*

CAPVT XI.

ERAT ſolemne Romanis, populos, quos armis ſubegerant, Latinæ linguæ aſſuefacere, docent id hæc D. Auguſtini verba lib. 19. de ciu. Dei cap. 19. *Data eſt opera, vt ciuitas Imperioſa, non ſolum iugum, verùm etiam linguam ſuam, domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponeret.* Inde eſt quod vernaculæ linguæ Gallorum iuxta,

ac Hiſpanorum, prorſus interciderint, Romanenſi in earum locum ſubſtitutâ, ſi Britannos Armoricos & Vaſcones excipias, qui ſuas conſtanter ad hęc vſque tempora retinuerunt, Vaſconicam Magnus Scaliger Cantabriſmum vocat in tractatu de Europæorum linguis & diatriba de hodiernis Francorum linguis, numeratque inter matrices linguas Europæorum, addito etiam elogio, in hæc verba, *Cantabriſmus incipit à ſuburbicariis Baionæ Lapurdenſium & itinere ſex aut ſeptem dierum in intima montanæ Hiſpaniæ extenditur, Galli eos qui eâ linguâ vtuntur vocant, Baſcos vel Baſculos: Hiſpani regionem, in qua illa dialectus locum habet, generali nomine Baſcuença vocant, nihil barbari, aut ſtridoris, aut anhelitus habet, leniſsima eſt & ſuauiſsima, eſtque ſine dubio vetuſtiſsima & ante tempora Romanorum illis finibus in vſu erat.* Eâ nunc cis Pyrenæum vtuntur maxima pars Nauarræ, vniuerſa Ipuſcua, Alaua, atque Biſcaya: trans Pyrenæum verò tres illæ ditiones quæ Vaſcitaniæ ſeu Vaſcorum regionis nomine deſignantur, ſcilicet Lapurdum, inferior Nauarra, & Sola. Huius linguæ proprium eſſe pleraque vocabula ſingulari numero per A, plurali verò per AC finire aſſeruit Marin. Sicul. lib. 4. cap. vlt. rer. Hiſp. In quo eum fefellit ratio: litera enim A in ſingulari numero & ſyllaba AC in plurali, nominibus Vaſconicis addita in fine, articuli vicem fungitur; ita vt, Vaſconica vocabula hac ratione per A aut AC finire, perinde ſit ac ſi quis dictiones Græcas ab ὁ, ἡ, τὸ auſpicari velit: ſit in exemplum vox, *Guiçon*, hæc ſuaptè hominem ſignificat; at ſi cum articulo efferre velis, vt faciunt Græci, qui τὸν ἄνδρα, Galli qui *l'homme*, & Hiſpani qui *el hombre* dicunt, dicendum erit *Guiçona* & in plurali *Guiçonac*, id eſt οἱ ἄνδρες Græcè, *les hommes* Gallicè,

& *los hombres* Hiſpanicè. In hoc errore ſectatores habuit Marineus Garibaium lib. 4. cap. 4. ſui compendij hiſtorici, & Paul. Merul. lib. 2. parte 2. cap. 8. Coſmograph. Venia danda eſt Marineo, & Merulæ, quibus vt linguæ Vaſconicæ ignaris, & procul ab ea regione, vbi ipſa in vſu eſt, poſitis, non difficile fuit imponere: ſed Garibaius non leuis oſcitantiæ reus eſt, quod cum hæc lingua ipſi vernacula eſſet, grauiùs tamen quam alij in eundem errorem impegit, dum quæ ij ſpeciatim de quibuſdam vocabulis Vaſconicis dictum voluere, hic in vniuerſum de omnibus pronunciare non dubitauit.

De veteri lingua Hiſpanorum. An eadem eſſet cum hodiernâ Vaſconicâ, ſeu Vaſca. Ambroſij Moralis id abnuentis rationes expenduntur.

CAPVT XII.

IIDEM Marineus & Garibaius, vniuerſam olim Hiſpaniam non alia quam Vaſconum ſeu Cantabrorum, vt ipſi vocant, linguâ locutam fuiſſe exiſtimant: quorum authoritati magnum pondus accedit iudicium ſummi viri Ioſephi. Scaligeri idem ſentientis diatribâ de hodiernis Francorum linguis. In eadem fuere opinione Paul. Merul. lib. 2. Coſm. parte 2. cap. 8. & Mariana lib. 1. cap. 5. hiſtoriæ Hiſpanicæ, cuius verba quia elegantia & tanto authore digna ſunt (ſi illud excipias, quod eam linguam barbaram, cultumq; abhorrentem eſſe pronunciat, & quod Cantabros vocat quos Vaſcones dicere debuerat) non puto tædio fore lectori, ſi hîc referantur. *Soli*, inquit, *Cantabri linguam hactenus retinuerunt rudem & barbaram, cultum abhorrentem multumque à reliquis omnibus diſcrepantem*

& totius olim Hiſpaniæ communem (ſic fertur) & antiquiſſimam priuſquam eam prouinciam Romanorum arma ſermoque penetraſſent. Gens enim agreſti rudique ingenio, quæ plantarum inſtar tranſlata, tamen terræ bonitate mitigatur & montanis inacceſſa locis, externi imperij iugum, vel admiſit penitus numquam, vel excuſſit quamprimum, atque cum antiqua libertate veterem gentis atque communem Prouinciæ ſermonem conſeruatum fuiſſe fide non caret.

HANC tamen ſententiam euertere conatus eſt, Morales lib. 9. cap. 3. collectis ex Plinio & aliis, quibuſdam vocabulis Hiſpanicis, vt putat, quæ in hodiernâ Vaſconum linguâ, deſiderari ait. Sed etſi concederemus Morali omnia illa vocabula pura puta Hiſpanica exiſtere, an hoc tanti eſſet, vt ideò plures in eâ prouinciâ linguas toto genere diſcrepantes admittere nos cogeret? An non etiam in aliis linguis hoc vſuuenit, vt longâ temporis intercapedine mutentur voces aliquæ atque loquendi modi? De Latina equidem teſtantur Polybij, Varronis, Quintiliani & A. Gellij verba quæ ſequuntur. Polybius lib. 4. Hiſtor. *Primùm igitur fœdus inter vtrumque populum initum eſt, ſtatim poſt eiectum vrbe Regium nomen L. Iunio Bruto & M. Valerio Conſulibus, ſub quibus etiam Ioui Capitolino templum dicatum duodetriginta annis ante primam Xerxis in Græciam transfretationem quod quanto diligentius fieri potuit interpretati ſumus, tanta enim facta eſt mutatio Romanæ linguæ ab ea tempeſtate in hodiernum diem, vt etiam qui antiquitatis peritiſſimi ſunt, pleraque nonniſi difficulter intelligant.* Varro lib. 4. de lingua Lat. *Quæ ideò ſunt obſcura, quod neque omnis impoſitio verborum extat, quod vetuſtas quædam deleuit, nec quæ extat ſine mendo omnis impoſita, nec quæ rectè impoſita cuncta manet, multa enim verba literis commutatis ſunt interpolata, neque omnis origo eſt noſtræ linguæ è*

vernaculeis verbeis multa verba aliud nunc oſtendunt, aliud ante ſignificabant, vt hoſtis, nam tunc eo verbo dicebant poregrinum qui ſuis legibus vteretur, nunc dicunt eum quem tunc dicebant perduellem &c. deinde ſic, *vetuſtas non pauca deprauat, multa tollit*, & paulò pòſt, *quoniam verborum nouorum & veterum diſcordia omnis in conſuetudine communi, &c.* Quintilian. lib. 9. cap. 3. Orator. Inſtit. *Itaque ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus penè iam quidquid loquimur figura eſt*, Phauorinus philoſophus apud A. Gellium lib. *. cap. 10. adoleſcentem quemdam carpit quod pleraſque voces nimis priſcas & ignotiſſimas in quotidianis communibuſque ſermonibus expromeret. Sextus Cœcilius Iuriſconſ. apud eumdem lib. 20. cap. 10. *Longa ætas*, inquit, *verba, atque mores veteres obliterauit*. Hæc niſi fallor ſatis demonſtrant quibus olim mutationibus lingua Latina obnoxia fuerit: De Gallicâ quoque atque Teutonicâ idem iudicabit quiſquis formulam fœderis, inter Ludouicum & Carolum Reges Ludouici Pij Imperatoris filios, anno 842 percuſſi, quæ apud Nitardum vtrâque linguâ extat, cum hodiernis Gallicis atque Teutonicis contulerit. Contra verò, quod argumentum habet Morales quamobrem voces illas à ſe congeſtas è vetere & germanâ Hiſpanorum linguâ eruras pronuntiet potius, quàm ex nouâ hac & adſcititiâ quæ, quia à Romanâ manauit, Romanenſis dicitur, cum illam quidem Plinij ætate obſoleuiſſe, hanc autem in vniuerſâ Hiſpaniâ, quæ Romanis parebat, inualuiſſe certum ſit & indubitatum? Hoc ſanè conſtat, Plinium in locis à Morale laudatis pleraſque voces pro Hiſpanicis agnoſcere, quas Latinæ eſſe originis ne ipſe quidem Morales negauerit, huiuſmodi ſunt, quæ ſequuntur *cuniculus* pro genere leporis, cuius nominis ratio inde pe-

titur à Varrone de re ruſtica cap. 12. quod ſub terra cuniculos ipſe facere ſoleat vbi lateat in agris, *ſalpuga* pro genere formicæ venenatæ in Bætica quæ vox à Latina ſol puga vel ſolifuga (vtroque enim modo eam effert Plinius lib. 22. cap. 25. lib. 29. cap. 4. & alibi) leuiter immutata eſt, dicta eſt autem ſolipuga vel ſolipunga, teſte Feſto, quod acrior concitatiorque fit feruore ſolis, *cauaticæ* cochleæ quædam in Inſulis Balearibus, ideò ſic dictæ, quod non prorepunt è cauis terræ, vel quod in ſpeluncis naſcuntur, vt innuit idem Plinius lib. 8. cap. 39. & lib. 3. cap. 26, *aues tardæ*, genus anſerum, quas Græci otidas appellant, *viriles* genus torquis quibus viri vtebantur, *ſtrigiles* pro paruulis maſſis auri quæ in ſuperficie maſſæ aut ramenti eminebant, *formacei* parietis genus ex terra quoniam in forma circumdatis vtrinque duabus tabulis inferciuntur veriùs, quam inſternuntur, vt loquitur idem Plinius lib. 35 cap. 14. Par ratio eſt vocis *aſpalathus*, cuius vſum etiam in Oriente viguiſſe, author eſt ipſemet Plinius lib 25 cap. 13. Iam ad voces *Buteo*, *vepiones*, *granum*, *cuſculium*, quod attinet; nequaquam verum eſt eas inter Hiſpanas à Plinio annumerari. Eius verba cap. 49. lib 10. ſic habent: *Venere in Italiam Bebriacenſibus bellis ciuilibus trans Padum & nouæ aues (ita enim adhuc vocantur) turdorum ſpecie paulum infra columbas magnitudine ſapore gratæ: Baleares inſulæ nobiliorem etiam ſupradicto Porphyrionem mittunt, Ibi & Buteo accipitrum generis in honore menſarum eſt: item vipiones, ſic enim vocant minorem gruem*, quo loco vocabulum *ibi* non ad Baleares inſulas, ſed ad Italiam referendum videtur, at verbum *vocant* pro nominatiuo habet ſubintellectam vocem *homines*, vt docent grammatici, non autem *Baleares*, vt voluit Morales. Idem de *grano* &

cuſculio

cuſculio dicendum eſt in hoc loco Plinij lib. 16. cap. 8, vbi de robore loquutus, hæc adiungit, *omnes tamen has eius dotes Ilex ſolo prouocat cocco, granum hoc primoque ceu ſcapus fruticis parua aquifoliæ Ilicis, cuſculium vocant &c.* Accedit eò, quod, vt monet Fabius lib. 8. cap. 2, *fallunt ſæpè verba, vel regionibus quibuſdam familiaria vel artium propria:* huius generis ſunt inter ea quæ Morales firmandæ ſuæ ſententiæ adduxit *Celia* genus potionis ex frumento apud Numantinos, teſte Floro lib. 2. cap. 18. *palacra ſeu palacrana & balutes,* quibus metallici Hiſpani deſignabant maſſas quaſdam auri, quæ in puteis reperiebantur denas excedentes libras, vt teſtatur Plinius lib. 33. cap. 4, *Strigiles* pro maſſis auri paruulis, quæ in aurifodinis occurrebant, & *Cocolobis* pro genere vitis, apud eumdem authorem lib. 33. cap. 3. & lib. 14. cap. 2, Cùm enim iampridem aurifodinæ in vniuersâ Hiſpaniâ euanuerint, vites autem atque vineæ, aut nullæ prorſus, aut admodum raræ olim in Vaſconia fuerint (vt ex Strabone diſcimus) ac etiam nunc pauciſſimæ exiſtant in iis partibus, vbi lingua Vaſconica viget, iniquum videtur, tum aurariarum, cum vitium nomina, hoc ſeculo, ab eâ linguâ exigere. Quod autem etiam nomen *Cetra* Hiſpanicum facit Morales, nullo certo Authore in hoc illum niti arbitror, licet verum ſit, Cetrâ maximè in bello Hiſpanos veteres vſos fuiſſe, quod tamen vlterioris Hiſpaniæ populis potius, quam citerioris in more fuiſſe, videor mihi colligere ex hoc Cæſaris loco lib. 1. de bello ciuili: *Erant, vt ſupra demonſtratum eſt, legiones Afranij III. Petrei II. præterea ſcutati citerioris prouinciæ & cetratæ vlterioris Hiſpaniæ cohortes circiter lxxx equitum vtriuſque prouinciæ circiter* v. *millia.* Cæterùm neque vſquequaque verum eſt, omnia vocabula, quæ pro Hiſpanicis

tradunt veteres Authores, hodiernæ Vaſconum linguæ deeſſe: ſuppetunt enim adhuc nonnulla ea ſcilicet quæ ex antiquiſſimâ & propriâ huius gentis lingua procedũt, non autem ex hac aduentitiâ & nouâ, quam ſquammam Latini ſermonis & rubiginem triuialiũ barbariſmorum vocat Sidonius, Iulius verò Scaliger præfatione x. abortum Latinę linguę. Talia ſunt *lancea* pro genere teli, quod nomen Hiſpanicum eſſe, author eſt Varro apud A. Gellium lib. 15. cap. 30: *gurdus*, quam vocem pro pingui & craſſo vſurpant hodie Vaſcones, *dureta* apud Sueton. in Auguſto pro ligneo ſolio quod hodierni Vaſcones interiecta vocali A *daureta*, vel *taureta* vocant, ſunt enim d & t cognatæ literæ apud eos: *geſum* denique (quod miſſilis iaculi à Vaſconibus *gesi* vel *gesi* dicti nomen eſt) Gallis à quibuſdam Authoribus antehac tributum, Hiſpanis adiudicant Iſaacus Caſaubon. in 3. lib. Strabon. & Mart. Delrius comment. in Senecę Hyppolitum. Nunc illud, quod pœnè pręterieram, minimè relinquendum eſt, illa quę de Ruſtico Termeſtino ex Tacito, de Corſica & de Portio Latrone, ex Seneca adducit Morales, eius ſententiam (quâ veterem Hiſpanorum linguam diuerſam eſſe ab hodiernâ Vaſconicâ probare nititur) nullatenus iuuare, vt ipſorummet Authorum verbis perlectis facilè quiuis iudicauerit, quę ideò hîc referre operępretium duximus: & de Termeſtino quidem ſic Tacitus lib. 4. Annalium. *Iiſdem Conſulibus facinus atrox, in citeriore Hiſpaniâ, admiſſum à quodam agreſte nationis Termeſtinæ. Is Prætorem prouinciæ L. Piſonem pace incurioſum, ex improuiſo in itinere adortus, vno vulnere in mortem adfecit.* Et paulò pòſt de eodem Termeſtino. *Et repertus*, inquit, *cùm tormentis edere conſcios adigeretur, voce magna*, SERMONE PATRIO, *fruſtra*

ſe intrrogari clamitauit, adſiſterent ſocij, adſpectarent, nullam vim tantam doloris fore, vt veritatem eliceret &c. De Corſica autem hæc profert Seneca conſolat. ad Heluiam: *tranſierunt dein Ligures in eam, tranſierunt & Hiſpani, quod ex ſimilitudine ritus apparet, eadem enim tegumenta capitum, idem genus calceamenti quod Cantabris eſt, & verba quædam: nam totus ſermo conuerſatione Græcorum Ligurumue à patrio deſciuit*: at de Porcio Latrone, ſic Seneca lib. 2. controuerſ. 4. (mendosè enim in editionibus vulgatis librorum Ambroſij Moralis citatur ad hoc controu. 13. lib. 3:) *fuit autem Meſſala eruditiſſimi ingenij in omnis quidem ſtudiorum partis, Latini vtique obſeruator diligentiſſimus. Idem itaque cum audiſſet Latronem declamantem dixit ſuâ linguâ diſertus eſt, ingenium illi conceſſit, ſermonem obiecit.* Hæc Taciti & Senecæ verba arguunt quidem fuiſſe propriam Hiſpanis & fortè etiam Cantabris ſeu linguam, ſeu dialectum, non tamen probant eam hodiernæ Vaſconum linguæ diſſimilem extitiſſe: ſed de dialecto intelligendos eſſe hos Authores potius quàm de linguâ, hinc elicitur, quod Latronem non aliâ quam Latinâ linguâ Romæ declamaſſe facilè apparet: ita vt, quemadmodum olim Pollio apud Fabium in Liuio Patauinitatem deprehendit, ſic Meſſala in Latrone Hiſpaniſmum obſeruaſſe videatur. Mela denique lib. 3. cap. 1. dum Cantabrorum populorum atque amnium nomina Latino ore concipere nequit, (quod ipſum nihilominus poſtea, non difficili labore, præſtitum eſt à Ptolemeo lib. 2. cap. 6. Geographiæ,) aſperam & rudem nominum aliquot propriorum naturam notat potius, quàm peculiare loquendi genus illi genti aſſignet.

Auctoris ſententia de veteri Hiſpanorum linguâ.

CAPVT XIII.

IN hac ergo diſcrepantium inter ſe ſententiarum pugnâ, ego, vt pertinaciùs tueri nolim, vnicam fuiſſe antiquis temporibus Hiſpanorum omnium linguam, præcipuè cum Strabo lib. 3. diuerſas fuiſſe pronunciet, ſic neque Vaſconicam iiſdem quibus nunc finibus circumſcribi probauerim: ſunt enim anguſtiſſimi, neque adeò veriſimile eſt, ſagacem naturæ diſpenſatorem, tantulæ genti propriam linguam tribuere voluiſſe, nulli ferè rei opportunam: Ad exercendum verò commercium & tuendum cum finitimis populis conſortium, prorſus incommodam. Itaque, vt paucis meam ſententiam aperiam, hanc vniuerſis illis montanis populis, qui Septentrionale latus Hiſpaniæ incolebant, communem fuiſſe exiſtimo, Vaſconibus ſcilicet, Vardulis, Autrigonibus, Cariſtis, Aſturibus, Cantabris, Gallęcis ac Luſitanis, cum enim hos omnes populos iiſdem vixiſſe moribus eamdémque vitæ rationem coluiſſe conſtet ex Strabone: linguâ quoque concordes extitiſſe æquum eſt credere; ſed & aliorum Hiſpanorum ſermonem adeò huic abſimilem non fuiſſe, quin multa inter eos communia fuerint, & dialecto potius, quàm genere ſermonis diſcrepaſſe (quemadmodum nunc diſcrepant, Caſtellani, Portugalenſes & Catalani) hinc perſuaſum eſt mihi, quod in hac hodiernæ Hiſpanicæ linguæ compage, reliquiæ ſeu rudera quædam deprehenduntur, cum cæmentis Vaſconicæ admodum congruentia; quamplurimæ, inquam, dictiones aut merę Vaſconicę, aut ex his

manifeſtò deductæ, quarum veluti laciniam quamdam è tribus primis Alphabeti literarum ordinibus decerptam hic exhibebo, vbi id obſeruari velim, ſyllabam ze vel te in fine verborum Vaſconicorum poſitam, terminationem eſſe infinitiui præſentis aut nominis verbalis à Grammaticis dicti, Semiuocalem quoque s, minutâ figurâ expreſſam, proferendam vt, ç; duplicem verò z valere, ts, vel, ds.

A

A *Çuçena* Hiſpanicè lilium, Vaſconicè *A-cucena*, hoc rectum vel res recta, lilium autem omnium maximè ſcapum rectum & oblongum emittit.

Alcalde HISPANICE, Iudex, VASCONICE, *Alcate* idem.

Ahaxar Hiſpanicè manu contrectando aliquid immundum & rugoſum reddere. Vaſconicè *Ahatſa*, res contrectando immunda & rugoſa reddita.

Acezar H. ſecernere, cribrare: V. *Aiçaze* idem, item vento exponere.

Aſcua H. pruna: V. *Auſcua*, materia cineris.

Achaque H. cauſa, occaſio, prætextus: V. *Achequia*, idem.

Acequia H. incile, foſſa riui: V. idem.

Ahorrar H. parcere, aſſeruare, à nomine Vaſconico *Ahorra*, vel *Ahurra*, quod palmam compreſſam & ſemiclauſam inſtar perſonæ rem aliquam ſeruantis & retinentis ſignificat.

Ahilarſe H. perire, emori: V. *Hila* mortuus, ſolent enim Hiſpani verbis à nominibus deriuatis vocalem A præfigere, vt in his, *arrugar*, *arruynar*, *auentar*, quæ à ruga, ruina & vento deducuntur.

Albricias H. munera quæ dantur alicui, ob nouæ rei fau-

ſtum nuncium allatum: V. *Albriſteac*, idem.

'*Alcahuete* H. leno: V. *Arcabot*, idem l & r in hac linguâ ſunt cognatæ litteræ.

Alboroto H. tumultus: V. idem.

Alcandora H. induſium: V. pro induſio virili, muliebre enim aliter vocant.

Aliaua H. repoſitorum pharetrarum: V. pera vel ſacculus, quem ruſtici in ſinu geſtare ſolent ad recondendas pecunias, à verbo *aliaze* vel *alxaze*, id eſt reponere, recondere.

Andas H. ſella, lectica: V. *Anda*, lectica.

Almud H. menſuræ genus: V. *Almutia*, idem.

Alquilar H. locare: V. *Alquila* vel *Alquilea*, locatio.

Ama H. nutrix: V. *Ama*, mater.

Amagar H. parare ſe ad lædendum aliquem: V. *Macaze*, idem.

Amontonar H. cumulare, aceruare: V. *Montoa*, cumulus, aceruus.

Ancho H. latus, amplus: V. *Andicho*, magnus.

Azcona H. genus teli: V. idem.

Anſia H. angor, ſollicitudo: V. cura, ſollicitudo.

Apañar H. apparare, coaptare: V. *Apañze*, idem.

Apueſto H. ſpònſio: V. *Apoſtu*, idem.

Argamaſſa H. genus parietis lapide & terra quadam tenaci confecti: V. idem ab *Arri*, id eſt lapis, & *gamaſſa* terræ genere.

Ariſco H. rigidus, intractabilis: V. *Arriſco*, ſaxeus, durus, rigidus, à nomine, *Arri*, id eſt lapis.

Argana H. ſportæ genus quod iumentis imponitur ad deferenda onera: V. *Carcanoa*, idem.

Arriate H. via ſtrata lapidibus, ab eadem voce Vaſconica, *Arri*, id eſt, lapis, & *Ate*, id eſt copia.

Aſco H. nauſea: V. *Aſco* multum, nimium.
Aſmar H. ſuſpicari, exiſtimare: V. *Aſmaze* vel *Vſmaze*, idem.
Atapar H. obturare, tegere: V. *tapaze*, idem.
Ahuchar H. pecuniam in capſulam recondere: V. *Hucha*, crypta, arcula.
Ayo H. iuuenis Principis moderator, videtur deductum à nomine Vaſconico *Aio*, quo deſignatur, qui alium expectat, præſtolatur aut obſeruat.
Achocar H. pecunias condere in aliquo loco retruſo, à Vaſconico *Choco*, id eſt, locus retruſus.
Alcarria H. villa vel pagus, tanquam *Alcar erria*, quod Vaſconicè locum deſignat vbi raræ ſunt domus.
Aldea H. pagus vel ſuburbanum, à Vaſconico *Aldea*, quod locum vicinum ſeu conterminum, ſignificat.
Atocha H. genus ſpartij: V. *Atocha*, ſeu *Otacha* geniſto-ſpartij genus.
Arraxaque H. fuſcina, tridens, à Vaſconico *Araxequi*, id eſt quod retinet firmiter.
Atalaya H. ſpecula, ſpeculator: V. idem.
Atalar H. arbores cædere: V. *Tala*, ſyluarum excidium & vaſtatio agrorum.
Atreuer H. audere, aggredi aliquid confidenter: V. *Atreuize*, idem à nomine *Treue*, quod Vaſconicè deſignat perſonam in re aliqua facienda valdè verſatam & promptam ad eam aggrediendum.
Ayna H. facilè, citò, properè: V. *Ehiña* facilis, vnde aduerbia *Ehin-qui*, & *Ehin-ara*, id eſt facillimè: A, & E, apud Vaſcones ſunt cognatæ vocales & ſæpè inuicem commutantur.
Sunt etiam quædam alia nomina vetera Hiſpanica, ab hac litterâ incipientia, quorum vſus licet iam in familia-

ri ſermone Vaſconum obſoleuerit, olim tamen inualuiſſe coniicimus, ex eo quod eadem adhuc durant in nominibus propriis locorum quorumdam aut familiarum Vaſconiæ, talia ſunt *Atahona*, nomen vici in citeriore Nauarra, *Arroz*, pagus quidam in Hoſpita valle *Atabarraze* vicus in Vicecomitatu Solenſi.

B

B*Aça* Hiſpanicè color fuſcus: V. *Baza*, pro eodem, aut pro quolibet colore.

Baldio H. inutile, vanum, vnde, *miembro Baldado*, pro membro arido, inerti & ſtupore affecto: V. *Baldio* fruſtratorium, inutile, *Balditu* membris captus.

Baldio H. ager compaſcuus, vt interpretatur nebriſſenſis: V. *Bald-lurr*, idem, à *Baldi*, id eſt vanum, inutile, & *Lurr*, id eſt terra.

Baratar H. permutare: V. *Barataze*, idem.

Barragan H. adoleſcens comptus ſeu elegans, item virgo compta, elegans: V. *Berreguin*, idem: iam ſupra monuimus E ſæpè in A verti in his linguis.

Barrenar H. perforare: V. *Barrenaze* altè & profundè aliquid excauare, à nomine *Barren*, id eſt profundus.

Barrena H. genus lancis ruſticæ & paſtoritiæ cauæ & profundæ, ab eadem radice *Barren*, id eſt profundus.

Baſcuence H. lingua Vaſconica ab *Ence*, vel *Ance*, id eſt modus, forma, & à nomine *Vaſco*.

Balſa H. ſtagnum, aqua reſes, V. idem.

Barruntar H. odorari, ſuſpicari: V. *Barrentaze*, idem.

Behetrias ſunt vrbes quędam ſui iuris in regione Caſtellæ, quæ ſibi dominos ſuo arbitrio eligebant, à Vaſconico *Bere-tiriac*, id eſt ſuæ vrbes, vel ſui iuris vrbes,

aut

aut à *Behet-Iriac*, id eſt vrbes inferiores, vel in locis demiſſis ſitæ, quia hæ ferè vrbes in conuallibus conditæ erant & extra aſpera & prærupta montium, quæ non oppidis aut vrbibus, ſed Caſtellis munita erant, vnde etiam Caſtellæ nomen plerique deducunt.

Berro H. ſium, laber: V. locus humidus, ac vmbroſus, in quibus plerumque hæc herba creſcere ſolet.

Biçarro H. adoleſcens elegans & alacer: V. idem, à nomine *Biçarr*, id eſt barba, conuenit autem hoc epitheton iis præſertim adoleſcentibus, quibus prima barbæ lanugo oritur.

Bohordo H. genus iunci, ſeu potius capitellum, aut bulla quædam quæ in eodem iunco creſcit: V. idem.

Borde H. ſpurius: V. *Bord*, idem.

Baia H. portus ſeu ſtatio nauium: V. idem, inde illa apud Vaſcones voti formula, *Baionian helzea*, pro eo quod Latini optatum portum conſequi dicunt.

Borrar H. delere: V. *Borraze*, idem.

Burlar H. illudere, deridere: V. *Burlaze*, idem.

Burjaca H. aſcopera, ſeu mantica, tranſuerſâ faſciâ, ab humero ſuſpenſa pharetræ in modum, quam religioſi peregrinatores geſtare ſolent: V. *Boiraca*, pharetra tranſuerſâ faſciâ ſuſpendi ſolita.

Burbuja H. bullæ quæ in aqua excitantur immiſſo aliquo corpore ſolido: V. *Burbulla*, idem.

Bruzos vel *Bruzes*, *Caer de Bruzes*, in ſinciput concidere: V. *Abruſca*, à radice *Buruzes*, id eſt capite vel ſincipite, cuius rectus caſus eſt *Buruze* & *Buru*.

Burujon H. tumor in capite: V. *Buru-io*, caput læſum.

Burujo H. acinus vuæ, ſeu os oliuæ: item *ſanſa*, ſeu os oliuæ ab eadem radice, *Buru*.

Bucha H. ventriculus animalis ſeu ingluuies auis: V. *Bo-*

chi, buccella panis; ſeu alterius cibi.

Buz H. forma quædam oſculi: V. *Muſu*, cum M, oſculum: ſunt autem B & M in Vaſconicis nominibus cognatæ literæ & ſæpè inuicem commutantur.

Buzos eſt ablatiuus caſus à recto *Buz*, *beuer de Buzoz* ore ipſo in fontem immiſſo bibere: V. *Muſos*, idem.

Buſcar H. quærere, videtur hæc vox orta à Vaſconico *Puſca*, quod tenues ligni, vel ſtramenti particulas ſignificat, & vt apud Latinos à ſcruto fit ſcrutari ſic apud Hiſpanos à *Puſca* vel *Buſca* (vtroque enim modo effertur) potuit formari verbum, *buſcar*.

C

CAço H. genus ſartaginis æneæ: V. *Caxa*, idem.

Caçurra H. l. 2. tit. 5. partita 2. pro verbis abſonis, & diſſentaneis: V. *Gueçurra*, mendacium.

Cachorro H. catulus: V. vnicâ tranſpoſitâ litterâ *chacorr* vel *chacurr*, idem.

Canſar H. fatigare: V. *canſaze*, idem.

Cara H. verſus: V. idem *ſayet-ſcara* verſus latus & omiſſa littera C, *Aizin-ara* verſus anteriorem partem, *guibel-ara* verſus poſteriorem partem.

Caracol H. cochlea: V. idem.

Caratula H. larua: V. *Caratax*, idem.

Carcajada H. cachinnus: V. *Carcaça*, idem.

Carraſca H. ilex: V. idem.

Caſca H. glarea: V. idem.

Caſcara de hueuo H. teſta oui: V. *cuſquia*.

Caſcar H. findere vel findi: V. *Caſcaze*, idem.

Caſta, genus, ſtirps: V. idem.

Clueca H. gallina glocitans: V. *Croca*: iam diximus liquidas L & R eſſe cognatas, crebroq; inuicem cómutari,

vocalem O, ab Hiſpanis in dipthongum at *ue* mutari, mox docebimus.

Coſcorron H. ictus baculi in capite alicui inflictus: V. idem, à nomine *Coſca*, quod leuem baculi ictum denotat, cuicumque parti corporis infligatur.

Cocote H. occiput: V. *Cocot*, genus tegumenti quod occipiti applicant ruſticæ mulieres.

Coechar H. corrumpere iudicem vel teſtem: V. *Coçaze*, corrumpere, inficere, ſolemne eſt Hiſpanis prę ſertim initio dictionum vocalem O in dipthongum *ue* vel *oe* mutare, vt *a* ſonus *ſueno*, à ſomnus *ſueño*: ſic pro *coçar* dixere *coeçar* & *coechar*, litterâ ç, in ch, imminutam deflexâ, quod etiam illis familiare eſt.

Cogollo H. cacumen arboris aut herbæ: V. *Cucula*, idem.

Comba H. curuatura: V. *Cumbu*, locus decliuis & propenſus qui in conuallem deſinit.

Corral area ſubdialis, cohors: V. *Corrale*, ouile ſubdiale.

Correrſe H. verecundari, erubeſcere præ pudore: V. *Corrize*, vel *gorrize* erubeſcere, rubore ſuffundi.

Catar H. conſiderare, perpendere: V. *Cataze*, ſtare defixum & cogitabundum.

Cuerdo H. prudens, cautus, à Vaſconico *corde* vel *gorde*, id eſt occultus, tectus, reconditus.

Cureña H. rixa, certamen, velitatio: V. *greña* vel *griña* idem, ſunt enim in hac lingua c, & g, cognatæ litteræ.

Cuita H. ſollicitudo, anxietas, negotium, cura: V. *Cuita* vel *Coeita*, idem.

Ç & CH.

Çahurda H. hara, vel ſuile, à Vaſconico *Sar*, id eſt ingredi & *urde*, id eſt porcus vel ſus.

Çamarra H. Rheno, vel pannus villoſus: V. idem.

Çana-horia H. radix Paſtinacæ, quæ plerumque lutei eſt

coloris: V. *Çan-horia* radix lutea.

Çanca H. tibia exilis, item *Çanco*, pro grallis, *Çanquear*, id eſt, diuaricari, *Çancadilla*, id eſt ſupplantatio, hæ omnes voces deducuntur à radice *Çanco*, quę Vaſconicè, crus, ſignificat.

Çarça H. rubus, dumus: V. *Çarci* vel *ſaſſi*, dumetum.

Çapato H. calceus: V. *Çapata*, idem.

Çaque H. vter ad vina deportanda accommodatum: V. *Çaaquo*, idem.

Çaraguelles H. femoralia: V. *Çaragollac*, idem.

Çatico H. fruſtũ ſeu portio panis vel alterius rei: V. idem, vnde etiam verbum *Çaticaze* pro lacerare vel diſſecare in varias portiones.

Cecear H. vitioſè pronunciare litteram ç, vice ſ, proferendo: V. idem.

Cecial vel *cicial*, H. aſellus piſcis vento aut aëre induratus: V. *Ciciale*, idem.

Cecina H. caro conditanea, ſalita: V. idem.

Celada H. inſidiæ: V. *celata*, idem, inde *celatari*, id eſt, inſidiator.

Cençeño H. ſyncerus, item panis azymus: V. *Sunſuna*, ſimplex, ſyncerus.

Cencerro H. pecuarium tintinnabulum: V. *Cinçarri*, idem.

Ceño H. grauis & ſæuus aſpectus: V. *çuna*, idem.

Cerrion H. ſtiria: V. *cherrion* vel *cherrõ*, crines in aure propenduli ſtiriæ inſtar.

Cerro H. collis, tumulus: V. *cerra*, idem.

Chamuſcar H. comburere: V. *chamus caze*, idem.

Chia H. genus calanticæ ſeu tegumenti capitis muliebris: V. *Chiota*, diminutiuè, idem.

Charco, H. aqua pluuia quæ foſſis & concauis itinerum

locis inſidet: V. *Vcharco* ab *vr*, id eſt aqua & *charco*, quod rem leuem ſeu nullius momenti ſignificat.
Chirriar H. de voce paſſerulorum, ſoricum & ſimilium animalculorum dicitur, Latinè ſtridere: V. *chirritaze*, à nomine *chirrita*, quod eiuſmodi vocem aut ſonitum ſignificat.
Chicha H. hac voce infantes vtuntur ad carnem deſignandam: V. *Chichi*, idem.
Chichon H. panus, tumor in fronte aut in collo: V. *Chicha*, idem.
Chico H. paruus: V. *Chiqui*, item *Chipi*, idem.
China H. ſcrupulus: V. *Chincha*, & diminutiuè *Chinchola*, idem.
Chinche H. cimex: V. *Chincha*, idem.
Chocarrero H. vrbanus, ſcurra: V. *Socarrari*, idem.
Choça H. tugurium: V. idem, à radice *Choch*, id eſt ſchidia ſeu aſſulæ, ex quibus potiſſimùm conſtant huiuſmodi tuguria.
Chocho H. bardus, ſtupidus: V. *tocho*, mutatur enim ſæpè in linguâ Iberica, T in CH.
Chorro H. torrens, fluentum: V. *Churru* item *Churre*, *Chorretar*, fluere: V. *Churriaze* vel *Churretaze*.
Chupar H. exugere: V. *Chupaze*, idem.
Churrulero H. loquax, garrulus: V. *Churulari*, tibicen.
Ciſco H. tenuis puluis, qui à carbone manat: V. *Ciſca* tenuis puluis, qui è ligno coſſo vel teredine eroſo, cadit.
Çubi H. confluentes aquarum vel fluminum: V. pons.
Çumo H. ſuccus fructus arboris vel etiam herbæ: V. *Çumu* ſalix: abundat autem hæc arbor ſucco gaudetque locis humidis & aquoſis.
Çurron H. pera, folliculus, ſaccus è pelle villoſa: V. *Çurro* & *Çurron*, idem.

Çurrar H. diſſoluere, corrumpere, *Çurrarſe* corrumpi, diſſolui, dicitur de inteſtinis: V. *Vrraze*, diſſolui.

Çurrapa H. Craſſamen quoddam, oleo aut vino deficienti in cado, innatans.

Çuzio H. ſordidus: V. *Çazu*, idem.

Poſſem & alias Alphabeti litteras percurrere & ſub vnaquâque earum plurimas pariter voces Hiſpano-Vaſconicas annotare; quin etiam iis, quas ſupra inſerui è ſolo ferè Vaſconum Aquitanorum idiomate decerptas, haud difficilè eſſet plures adiicere, maximè ex iis quas Vaſcones Iberi cum accolis Hiſpanis promiſcuas habent: ſed dum breuitati in hoc opere ſtudeo, cogor eas aliis inueſtigandas relinquere. Illud interea animaduerti velim, ſupereſſe etiam in iis, quæ Hiſpani hodierno, hoc eſt, Romanenſi ſermone expromunt, pleraque è lingua Vaſconicâ, ſeu veteri Hiſpanicâ expreſſa, è quorum numero eſt vox *hijo dalgo* & contractè *hidalgo*, quâ inter Hiſpanos vir nobilis deſignatur: nam quis non videt id nominis, Vaſconicæ vocis *aitoren ſeme* (quæ patris alicuius filium denotat, quaſi diceres, *Ait' joren ſeme*, vſurpaturque itidem apud Vaſcones pro viro nobili) imitationem eſſe? Idem obſeruare eſt in quibuſdam adagiis, quæ Vaſconicè quidem poëticis numeris cum ſingulari quodam lepore & venuſtate ſermonis concepta, Hiſpanicè ſolutâ oratione non multum eleganti reddita ſunt, è quibus vnum aut alterum tantum hic in exemplum proponam.

Vaſconicè *Erroya has eçac.*
Beguiac dedezac.
Hiſpanicè ad verbum, *Cria, coruo, ſacar te ha el ojo.*
Vaſcon. *Maiaz Eurite.*
Vrte oguite.

Hiſp. *Agua de Mayo pan para todo el año.*
Vaſc. *Edale huna.*
Capella-duna.
Hiſp. *Debaxo de mala capa ay buen beuedor.*
Vaſc. *Vſqui Maite.*
Higun Elaite.
Hiſp. *Culos conoſcidos à cabo de cient años ſon amigos.*

SYLLABA quoque *go* quæ pronominibus Hiſpanicis primæ & ſecundæ perſonæ cum præpoſitione, *con*, iunctis in fine aliquando adhæret, vt *comigo*, *contigo*, id eſt mecum, tecum, veteris linguæ veſtigium eſt, quæ præpoſitionem Latinam *cum*, per *go* in fine nominis adiectum efferebat, non ſecus ac hodie Vaſconica per *ga* vel *gas*, Vt *niga* mecum, *higa* tecum: quod autem in plurali numero non, *go*, ſed, *co*, adiicitur, diciturque *connuſco*, *conbuſco* non autem *connuſgo*, *conbuſgo* hoc ideò fit quia media g, conſonanti S, poſtpoſita, in tenuem C tranſibat in eâ linguâ, quod etiam hodie ſeruatur in Vaſconicâ. Sit in exemplum, vox *gara*, quæ eſt prima perſona pluralis verbi ſubſtantiui, hæc, quando cum particula negatiua *es* componitur, G in C vel K mutat: ſicque fit à ſimplici *gara*, id eſt, ſumus, compoſitũ *eſcara*, id eſt, non ſumus. *Ilia* pro vrbe veterem Hiſpanicam vocem eſſe iampridem obſeruauit totius antiquitatis Ibericæ promus condus Ambroſius Morales, Hanc autem vocem eodem ſenſu adhuc ſeruat lingua Vaſconica, liquidâ tamen L in R mutata quod ei etiam in pleriſque aliis vocibus familiare eſt, vt in *Araua* pro *Alaua*, *Ãngueru* pro *angelo*, *ceru*, pro celo. Narrat Author Epitomes Liuianæ lib. 41. Tiberium Sempronium Gracchum Proconſulem poſt Celtiberos à ſe victos monumentum operum ſuorum GRACHVRIM oppidum in Hiſpania conſtituiſſe quæ

vox Vaſconicâ linguâ, Gracchi vrbem ſignificat, quod enim Nauarri & Vaſcones Aquitani *Iri*, id cæteri Vaſcones qui Varduliam incolunt, *vri* dicunt.

NOMINA denique propria, vrbium aliquot, populorum, hominum, montium atque fluminum Hiſpaniæ, quæ apud veteres Authores extant, Vaſconicæ linguæ veſtigia retinere, monuere iam editis huius argumenti libellis, Andræas Poça & Baltaſar Chaueſius, in quibus tamen non pauca omiſſa, pleraque etiam parum cautè tradita notent harum rerum periti.

HOC inſuper linguæ Vaſconicæ cum hodiernâ, Hiſpanicâ conuenit, quod ambæ iiſdem prorſus vtuntur litteris, quarum plurimæ vt nihil à Latinis differant, ſunt tamen harum aliquę, quas vtraque lingua ſuo Alphabeto expungit, ſcilicet K, Q, X, Y, & V, conſonans, aliæ rurſus quas in illud refert, quæ numquam Latino ſolo donatæ fuerunt; huiuſmodi ſunt quinque illæ conſonantes, quas Hiſpani his figuris ll, ñ, ç, ch, & x delineant: F quoque literam neutra lingua pro ſua videtur agnoſcere, ſi quidem in pauciſſimis tantum vocabulis adhibetur, iiſque ferè peregrinis & adſcititiis, in quibus nihilominus nonnumquam abiicitur ſpiritu aſpero aut mediâ, B in eius locum ſubſtitutis. Ipſius denique B ſonus vt à cæterarum gentium proferendi more paululùm diuerſus apud Hiſpanos, ſic iiſdem cum Vaſconibus ſimilis omnino, ac compar eſt.

Singularia

Singularia quædam linguæ Vaſconicæ, déque vocabulorum Vaſconicorum declinandi & coniugandi ratione.

CAPVT XIIII.

QVANDOQVIDEM in hunc Vaſconicæ linguæ campum, datâ occaſione, ingreſſi ſumus, placet in eo aliquantiſper ſpatiari & in gratiam φιλογλώττων, ſpecimen aliquod illius linguę paucis exhibere: Ordiamur à nominibus. Primò in iis illud ſingulare eſt, quod nullum maſculini, feminini aut alterius generis diſcrimen agnoſcunt; Itaque ſi nominibus *guiçon*, id eſt vir, *emaſte*, id eſt mulier, *abre*, id eſt brutum, ſeu animal: *arri*, id eſt ſaxum, articulum aut adiectiuum iungere volueris, vnica vox nihil immutata iis omnibus pariter inſeruiet, dices enim *guiçon-a on*, id eſt, hic homo bonus, *emaſte-a on*, hæc mulier bona, *abre-a on*, hoc brutum bonum, *arri-a on*, hoc ſaxum bonum; Carent etiam nomina accuſatiuo & vocatiuo, eorúmque vicem fungitur rectus. Declinandorum nominum ratio duplex eſt, alia ſine articulo, alia cum articulo, vocemus hanc articulatam, alteram verò inarticulatam: Inarticulata vnico vtitur numero, qui promiſcuè ſeu adiectiuo ſeu verbo, ſingulari vel plurali annectitur; Exemplum: *guiçon hura etorri da*, homo ille venit, *guiçon hec etorri dira*, homines illi venerunt: Articulata verò duplici gaudet numero, ſingulari & plurali, Exemplum: *guiçona etorri da*, hic homo venit, *l'homme eſt venu* Gallicè: *el hombre à venido* Hiſpanicè: In plurali verò *guicon-ac etorri dira*, hi homines venerunt, *les hommes ſont venus*, *los ombres an venido*: Inarticulatæ declinationis forma caſualis ſenaria eſt conſtatque

nominatiuo ſeu recto, genitiuo, datiuo, ablatiuo & præterea caſu agendi & caſu negandi ſeu dubitandi: Caſus agendi eſt qui verbo actiuo præmittitur vice nominatiui. Exemplum: nominatiuus, *homo*, apud Latinos tam verbo actiuo, quàm paſſiuo, ſubſtantiuo & aliis inſeruit; dicimus enim pariter *homo eſt & homo facit*: at non ſic in Vaſconicâ linguâ, nam cum verbo paſſiuo quidem aut ſubſtantiuo cõcurrit rectus *guiçon*, dicimuſq; *guiçon da, homo eſt*: ſed ad diſponendam conſtructionem verbi actiui, componendus eſt proprius caſus, qui vicem nominatiui ſuppleat: dicendúmque non *guiçon eguiten du*, ſed *guiçonac eguiten du*, id eſt homo facit. Caſus negandi ſeu dubitandi eſt qui cum verbis & particulis negandi, dubitandi ſeu interrogandi concurrit, habétque ſemper aut expreſſum aut ſubintellectum nomen particulare *aliquis*: hic quamquam ſuſtineat munus nominatiui, eſt tamen ab eo diuerſus. Exemplum, ad exprimenda hæc enunciata *ſi eſt homo, eſt ne homo? non eſt homo*, (ſupple autem in hiſce omnibus vocem *aliquis*) non vtar nominatiuo *guiçon*, ſed alio caſu proprio ab illo formato additâ in fine ſyllaba *ic*, dicam igitur *esta guiçon-ic*, non eſt homo, *bada guicon-ic* ſi eſt homo, *badeia guicon-ic?* eſt ne homo? ſubintellecto, vt dixi, in his omnibus nomine particulari *batere*, id eſt aliquis. Conſtruitur etiam aliquando hic caſus abſque iis particulis & verbis tunc ſcilicet cùm participio præteriti vel Aoriſti, verbi actiui Græcorum reſpondet. Exemplum: *hori eguinic nathor*, *τοῦτο ποιήσας ἔρχομαι*, *ie viens ayant fait cela*, Gallicè: *vengo auiendo hecho aquello*, Hiſpanicè. Formantur autem hi caſus à recto hoc modo, actiuus adiecta conſonante C in fine vltra quam, ſi rectus etiam per ſe in conſonantem deſinebat, interſeritur euphoniæ cauſa vocalis E, exem-

plum : à recto *emaſte*, id eſt mulier, fit caſus agendi *emaſtec* addito C : à recto *guiçon*, fit *guiçonec*, addito etiam C & præterea interſerta vocali E inter vtramque conſonantem finalem : Negatiuus formatur addita recto ſyllaba *ic* in fine, ſic à *guiçon* fit *guicon-ic*: quod ſi rectum per vocalem exeat, interſeritur ad vitandum hiatum liquida R; hoc modo à recto *emaste*, id eſt mulier, fit caſus negatiuus *emaſte-ric*. Caſus obliqui formantur ſimiliter à recto, ſcilicet genitiuus addita in fine ſyllaba *en*, datiuus addita vocali *j*, & ablatiuus addita conſonante *s*: quod ſi rectus exeat in vocalem, interponenda erit liquida R inter eam & ſyllabam *en* terminatiuam genitiui, & vocalem j finalem datiui ad vitandum hiatum : Contra verò ſi rectus in conſonantem deſinat, interponenda erit euphoniæ causâ vocalis E inter eam & conſonantem S quæ ablatiuum terminare debet. Exemplum declinationis inarticulatæ petatur, à voce *guiçon*, id eſt vir, quæ ſic declinatur.

Nominatiuus *guiçon*, id eſt, ἀνὴρ, ſeu ἄνδρες Græcè : *homme* vel *hommes* Gallicè : *hombre* vel *hombres*, Hiſpanicè: Actiuus *guiçonec*, negatiuus *guiçonic*, genitiuus *guiçonen*, id eſt, *d'homme* vel *d'hommes* Gallicè : *de hombre* vel *de hombres* Hiſpanicè : *datiuus guiçoni*, *à homme* vel *à hommes* Gallicè : *à hombre* vel *à hombres* Hiſpanicè: ablatiuus *guiçones*, *par hõme* vel *par hommes* Gallicè : *por hombre* vel *por hombres* Hiſpanicè.

ARTICVLATORVM nominum forma caſualis quinaria eſt, conſtátq; recto, actiuo, genitiuo, datiuo & ablatiuo, necnon duplici numero ſingulari & plurali. Declinandi autem ratio talis eſt vt nomen quidem ipſum maneat immutatum, articulus verò in fine poſitus (quem vnica littera A in ſingulari, ſyllaba verò AC in plurali effici ſu-

prà diximus) declinetur, & ſingulari quidem numero declinandi lex eiuſmodi eſt, qualem paulò ante inarticulatis præſcripſimus: pluralis verò ſic à recto ſingulari formatur, vt nominatiuus adſciſcat in fine litteram C, actiuus ſyllabam EC, genitiuus ſyllabam EN, datiuus ER vel EI, ablatiuus ES quod inſequenti exemplo clarius fiet; ab eadem voce, *guiçon*, id eſt, vir, quæſito.

SINGVLARI numero nominatiuus *guicon-a* ὁ ἀνὴρ Græcè: *l'homme* Gallicè: *el hombre* Hiſpanicè: actiuus *guicon-ac*, genitiuus *guiçon-aren, de l'homme* Gallicè: *del hombre* Hiſpanicè: datiuus *guicon-ari, à l'homme* Gallicè: *al hombre* Hiſpanicè: Ablatiuus *guicon-as, par l'homme* Gallicè: *por el hombre* Hiſpanicè.

PLVRALI numero nominatiuus *guicon-ac, les hommes* Gallicè: *los hombres* Hiſpanicè: Actiuus *guicon-aec*, Genitiuus *guicon-aen, des hommes*, G. *de los hombres*, *H*. Datiuus *guicon-aer*, vel *guiçon-aej*, *aux hommes*, G. *à los hombres*, *H*. Ablatiuus *guicon-aes, par les hommes*, G. *por los hombres*, Hiſpanicè.

Hîc tamen obſeruandũ vocalẽ A, penultimã in omnibus caſibus obliquis pluralis numeri apud Vaſcones Aquitanos, ſic in diphthongum coaleſcere, cum vocali E proximè ſequenti, vt ipſius ſonus nequaquam exaudiatur, ſed tantum percipiatur ſonus vocalis E productæ vel geminatæ: itaque pro *guicon-aec* pronunciant *guicon-eec* vel *guiconéc* in recto plurali, idémque ſeruatur in reliquis caſibus eiuſdem numeri. Hactenus de nomine, ſupereſt verbum.

DVÆ ſunt verborum infinitorum claſſes: Prior eorum quæ participium præteritum paſſiuum in *tu*, finiunt, quod in pleriſque ob concurſum liquidæ L per *du*, effertur, mutata tenui T in mediam D, Altera eorum quę ip-

ſum alio modo terminant : ab hoc autem participio, cum ſit verum thema ſeu radix verborum, formantur alia infiniti modi tempora hoc modo : In verbis prioris claſſis, infinitum præſens (quod potius apud nos nomen verbale nuncupandum cenſerem) mutat ſyllabam finalem, *tu*, vel *du*, participij præteriti, in *ze*, gerundium eamdem mutat in *zeco*, ſupinum in *zera*, participium præſens in *zen* futurum verò nihil mutat, ſed tantum poſt ſyllabam *tu* vel *du* addit, *co* vel *en*, præfixa tamen ſyllabæ, *en*, liquidâ, R, ad vitandum vocalium, V, & E, concurſum: Exemplum, à participio præterito *galtu*, vel (vt nunc pronuntiatur) *galdu*, id eſt perditus, fit præſens infinitum ſeu nomen verbale *galze*, perdere, gerundium *galzeco*, ad perdendum, ſupinum *galzera*, perditum ; participium præſens *galzen*, perdens : & futurum *galduco* vel *galduren*, perditurus : In poſterioris verò claſſis verbis, ſic. Si participium præteritum in conſonantem, N, deſinat, infinitum præſens ſeu potius nomen verbale mutat eam in *te*; gerundium in *teco*; ſupinum in *tera*; participium præſens in *ten*; futurum verò nihil mutat, ſed addit in fine ſyllabam *en*, aut *co*. Exemplum : A participio præterito *Ioan*, id eſt, qui abiit, fiunt ſeu infinitum præſens, ſeu verbale nomen *Ioate*, id eſt, abire, gerundium, *Ioateco*, ad abeundum ; ſupinum *Ioatera*, abitum ; participium præſens, *Ioaten*, abiens ; & futurum, *Ioanen* vel *Ioanco*, id eſt, abiturus: quod ſi thema verbi in vocalem exeat nihil mutatur, ſed ſolum adduntur ei ſyllabæ formationis prædictæ ; ſic à themate ſeu participio præterito *Ialqui*, id eſt, egreſſus, fiunt infinitum præſens ſeu nomen verbale *Ialquitera*, egredi ; gerundium, *Ialquiteco*, ad egrediendum ; ſupinum, *Ialquitera*, egreſſum ; participium præſens, *Ialquiten*, egrediens; & futu-

rum *Ialquico* vel *Ialquiren* egreſſurus: Attamen ſi vocalem I finalem thematis, proximè præcedat conſonans, S, illa, in formatione nominis verbalis, gerundij, ſupini & participij præſentis, euaneſcit hoc modo, A themate *eroſſi*, id eſt, emptus, fit reiectâ, I, verbale, *eroſtea*; gerundium, *eroſteco*; ſupinum *eroſtera*; & participium præſens *eroſten*: Si autem thema verbi huius claſſis in aliam vocalem exeat, quam in I, vel V, ſolent quædam dialecti huiuſmodi vocali eamdem I, adiicere, & ex ambabus vocalibus diphthongum efficere in formandis iam dictis temporibus, hoc modo; A themate *Ioan*, id eſt, qui abiit, formant *Ioaite*, abire, *Ioaiteco*, ad abeundum, *Ioaitera*, abitum, & *Ioaiten*, abiens: ſic etiam à themate, *Io*, id eſt cæſus, formant *Ioitea*, cædere, *Ioiteco*, ad cædendum, *Ioitera* cæſum, & *Ioiten* cædens.

MONVI ſuprà, tempora in *ze*, vel *te*, deſinentia vt, *galze*, *Ioaite*, *Ialguite* & *eroſte*, non tam infinitum præſens referre, quam nomen verbale, nunc addo in hac linguâ, præſens infinitum Latinum, interdum per ſupinum, ſæpè per participium præſens, nonnumquam per participium præteritum, aliquando etiam per modum coniunctiuum vel indicatiuum compoſitum exponi hoc modo, *Vſtaçú galzera*, ſine me perdere; *haſſi-nau galzen*, cœpi perdere, *nahi dut galdu*, volo perdere, *vzaçu Galdadin* vel *galdadila*, ſine perire vel perdi: Imperfectum quoque, infiniti; perfectũ, pluſquam perfectum; & vtrumq; futurum, per eorũdem compoſitorũ modorũ tempora exprimi, exemplis oſtendemus cum de verbis compoſitis ſermo fiet. Hactenus de modo infinito: At finitorum coniugandi ratio duplex eſt: Altera, ſimplex & propria: Altera, impropria, compoſita & periphraſtica, propria ſiue ſimplex, eſt; quæ nullius indigens ex-

terni adminiculi, ipſomet verbo variè inflexo, perficitur, conuenítque tantummodo ſecundæ claſſis verbis; Vt, à themate, *Ioan*, id eſt, qui abiit, fit verbũ, *Noa*, id eſt, abeo, *oa*, abis; *doa*, abit &c. Similiter à themate, *eguin*, id eſt factus, manat indicatiuus, *deguit* facio, *deguic* facis, *degui* facit &c. Huius ſecundæ claſſis verbis propriũ eſt, thema ſemper à vocali auſpicari, neque aliter conſtare poſſet eorum ſimplex coniugatio, quæ adiectâ initio verbi conſonante, N, vel D, conſtituitur, vt in exemplis præmiſſis videre licet. Coniugandi ratio impropria, compoſita ſeu periphraſtica, ea eſt quæ fit per circumlocutionem vno è participiis verbi coniugandi, annexo verbo ſubſtantiuo, *Naiz*, id eſt ſum, vel poſſeſſiuo, *Dud*, id eſt, habeo, quorum prius verbis paſſiuis ac neutris; poſterius verò actiuis coniugandis inſeruit: vnde non malè, coniugatiua verba videntur poſſe appellari, noſq; ea hac voce, quoties vſus occurrit, deſignabimus. Fuit quidem hæc coniugandi formâ iam vſu recepta in aliis quibuſdam linguis maximè in Italicâ, Gallicâ atque Hiſpanicâ: Hoc tamen inter illas & noſtram intereſt; quod in iis, tempora præterita ac futura duntaxat, coniugandi formam impropriam ſeu periphraſticam admittunt; verbum quoque coniugatiuum ſoli participio præterito verbi coniugandi coniungitur: At in Vaſconicâ, illa quidem per omnia finitorum modorum tempora latè vagantur: coniugatiuum verò, tria viciſſim participia verbi coniugandi, ſcilicet præſens, præteritum & futurum adſciſcit: Exemplum ponamus in verbo *harze*, id eſt, capere vel capi: Huius indicatiuum actiuum ſi quis præſtare velit, è propriis ipſiuſmet verbi participiis præſenti, præterito & futuro, necnon è binis temporibus indicatiui verbi *Dud*; præſenti ſcilicet & imper-

fecto, conflandus erit, eâ lege, vt vnumquodque tempus coniugatiui, *Dud*, terna producat tempora verbi coniugandi, *harze*: & præſens quidem, *Dud*, tria illa perfectiora & veluti primaria tempora inflectet, præſens ſcilicet cum participio præſenti verbi coniugandi; præteritum perfectum cum participio præterito; & futurum primum cum participio futuro: Imperfectum verò, *Nuen*, inflectet tria alia tempora eiuſdem indicatiui, quæ ſunt imperfectorum generis & velut ſecundaria, ſcilicet, cum participio præſenti verbi coniugandi, præteritum imperfectum; cum participio præterito, pluſquam perfectum; & cum participio futuro, futurum ſecundum; erit itaque inflexio actiui verbi, *harze*, capere, huiuſmodi;

Indicatiuo modo

Tempora	Præſens: *Harzen*, capio.	
prima-	Pręteritum perfectum: *Hartu*, cepi.	*Dud.*
ria.	Futurum primum: *Hartuco*, capiam.	
Tempora	Pręteritũ imperfectũ: *Harzen*, capiebã.	
ſecun-	Pluſquam perfectum: *Hartu*, ceperam.	*Nuën*
daria.	Futurũ ſecundũ: *Hartuco*, capturus erã.	

IDEM ſeruatur in aliis modis, ſcilicet in Potentiali cuius tempus pręſens indicatiuum eſt, *Duqued*, Imperfectum verò, *Nuque*. Vtrumque horum ſimpliciter vel poſſeſſiuè, ac citra coniugationem aliorum verborum ſumptum, futurum eſt potius indicatiui modi, quam tempus Potentiale, quod etiam de *Niçate*, & *Ninçate*, (quę tempora ſunt verbi, *Naiz*, ſubſtantiui iuxta ac coniugatiuĩ) hîc admonitum velim: vtrumque enim iſtorum conſideratum, vt verbum ſubſtantiuum, futurum tempus indicatiui eſt, ſumptum verò vt coniugatiuum, aliorum verborum modum Potentialem indicatiuum componit.

ITEM

ITEM in coniunctiuo, cuius præſens à coniugatiuo *Dud*, eſt *Dudan*; imperfectum *Nuen*, ſolâ tertiâ perſonâ cùm ſingulari, tum plurali, imperfecto indicatiui diſſimile, Cætera par; Potentiale præſens, *Duquedan*, imperfectum, *Nuqueen*.

IDEM, etiam in modis optatiuo, & conditionali, ſeu diſcretiuo, quorum figura non ſimplex, vt reliquorum modorum, ſed compoſita eſt, ex particulis, ſcilicet, optandi, *Ai*, id eſt, vtinam, & conditionis *Ba*, id eſt, ſi (vtrâque à verbo inſeparabili) & verbo poſſeſſiuo, *Nu*, quod ſeorſum quidem nihil ſignificat, connexum verò iis particulis coniugatur, hoc modo; *Aïnu*, vtinam haberem, *Aïu*, vtinam haberes &c. *Banu*, ſi haberem, *Baü*, ſi haberes &c. Conditionalis tamen, præter hoc tempus imperfectum, poſſidet etiam tempus præſens, ex eâdem particulâ, *Ba*, & præſenti indicatiui, *Dud*, conflatum; quod ſic coniugatur; *Badut*, ſi hàbeam, *Baduc*, ſi habeas &c.

AT in imperatiuo ſecus. Licet enim verbo *Dud*, vt poſſeſſiuo, hic modus non deſit (ab eo enim manant, *vc*, id eſt, habe, *bu*, habeat, *dugun*, habeamus, *vçue*, habete, *bute*, habeant) nihilominus vix vmquam verbis actiuis inflectendis applicatur, ſed in illius locum ſuccedit verbum, *eçac*, per ſe quidem nihil ſignificans, ſed imperatiuo & aliquot aliorum verbi actiui modorum temporibus coniugandis accommodatum, quod, quia velut deficienti coniugatiuo, *Dud*, ſubſidio & in auxilium venire videtur, ſubſidiarium vel auxiliare à nobis vocabitur, perinde atque verbum, *adi*, quod ſimilem operam præſtat verbo coniugatiuo, *Nais*, in verbis paſſiuis, ſcilicet, ac neutris inflectendis. Poſſidet hoc verbum præter, τὸ *eçac* (quod præſens imperatiui eſt) hæc

tempora; *Neçan*, quod Aoriſtum vel præteritum perfe-ctum ſecundum indicatiui eſt, *Deçaqued*, quod ad præſens Potentialis modi indicatiui, & *Neçaque*, quod ad imperfectum eiuſdem modi pertinet. In coniunctiuo quatuor habet tempora præſens ſecundum, *Deçadan*, imperfectum ſecundum, *Neçan*, ſola tertia perſona tam plurali quàm ſingulari ab Aoriſto indicatiui voce diſcrepans; præſens Potentiale *Deçaquedan*, & imperfectum Potentiale *Neçaqueen*. Iungitur autem non variis participiis verbi coniugandi, quemadmodum coniugatiuum *Dud*, ſed vnico duntaxat, hoc eſt præterito, è quo etiam (ſi primæ claſſis verborum infinitorum ſit) ſolet reſecare ſyllabam finalem, *tu*, vel *du*, non ſecus ac in verbis ſecundæ claſſis vocalem I, finalem thematis abſcindit, quoties præcedit proximè conſonans S. Vnumquodque itidem illius tempus, vnicum verbi coniugandi tempus producit & non plura, vt faciunt tempora verbi coniugatiui. Hoc modo, à participio, *hartu*, id eſt, captus, & verbo ſubſidiario ſeu auxiliari, *eçac*, formantur hæc tempora: Imperatiui præſens, *hareçac*, cape, *harbeça*, capiat &c. Aoriſtum vel præteritum perfectum ſecundum indicatiui, *harneçan*, cepi, Gallicè *ie prins*, Hiſpanicè *yo tomè*. Præſens modi Potentialis, indicatiui *hardeçaqued*, capiam, aut capere potero. Imperfectum eiuſdem modi, *harneçaque*, caperem vel capere poſſem: Coniunctiui præſens ſecundum, *hardeçadan*, capiam, imperfectum ſecundum, *harneçan*, caperem. Eiuſdem modi præſens Potentiale, *hardeçaquedan*, capiam vel capere poſſim, Imperfectum Potentiale, *harneçaqueen*, caperem vel capere poſſem: Optatiui imperfectum, *haraineça*, vtinam caperem Conditionalis præſens, *harbadeçat*, ſi capiam, Imperfectum, *harbaneça*, ſi caperem. Hactenus de

coniugatione compoſita, ſeu periphraſtica verbi actiui. Verbum paſſiuum autem finitum coniugatur per verbum ſubſtantiuum, *Nais*, ſum, ſeu illius duo tempora præſens, ſcilicet, & imperfectum, participiis verbi coniugandi præſenti, ſcilicet, prçterito aut futuro coniuncta, ſeruatis vbique iis regulis, quas ſupra in coniugatione verbi actiui tradidimus, vt exemplo eiuſdem verbi, *harze*, id eſt capi clarum fiet, quod antequam ſubiiciamus modi & tempora coniugatiui, *Nais*, exponenda ſunt.

INDICATIVI prçſens, *Nais*, ſum: Imperfectum, *Ninçan*, eram. Potentiale prçſens, *Niçate*: Imperfectum, *Ninçate*.

CONIVNCTIVI præſens, *Niçan*, ſim: Imperfectum. *Ninçan*, eſſem, ſolâ tertiâ perſonâ ſingulari & plurali ab imperfecto indicatiui diuerſum. Potentiale prçſens, *Niçateen*, imperfectum, *Ninçateen*.

OPTATIVI imperfectum, *Ainins*, vtinam eſſem.

CONDITIONALIS vel diſcretiui prçſens, *banis*, ſi ſim, Imperfectum *banins*, ſi eſſem.

IMPERATIVVS verbi *Nais*, eſt, *is*, eſto, *bis*, ſit &c. quo vtimur tantum vt ſubſtantiuo, non verò vt coniugatiuo, quamobrem eius vicem ſupplet in inflectendis verbis paſſiuis & neutris tum in imperatiuo, tum in aliis modis & temporibus ſupra in explanatione verbi, *eçac*, expreſſis, τὸ, *adi*, (verbum extra compoſitionem prorſus inuſitatum) cui ideò ſupra ſubſidiarij vel auxiliaris verbi nomen impoſuimus. Tempora huius verbi ſunt prçter prçſens Imperatiui τὸ *adi*; In indicatiuo, Aoriſtum vel præteritum perfectum ſecundum *Nandin*, in Potentiali modo indicatiuum præſens *Naite*, Imperfectum, *Nainte*. In Coniunctiuo præſens ſecundum, *Nadin*.

Imperfectum ſecundum, *Nandin*, ſolâ tertiâ perſonâ ſingulari atque ac plurali ab Aoriſto indicatiui voce diſtinctum. Præſens Potentiale *Naiteen*, imperfectum Potentiale, *Nainteen*.

Exemplum coniugationis verbi paſſiui *harze*, id eſt Capi.

Indicatiuo modo

Tempora prima-ria.	Præſens: *Harzen*, capior.	*Naü.*
	Pręteritũ perfectũ: *Hartu*, captus ſum.	
	Futurum primum: *Hartuco*, capiar.	
Tempora ſecun-daria.	Imperfectum: *Harzen*, capiebar.	*Ninçan.*
	Pluſquã perfectũ: *Hartu*, captus erã.	
	Futurũ 2: *Hartuco*, capiendus eram.	

Idem omnino ſeruatur in aliis modis qui per iſtud verbum coniugatiuum inflectuntur. At circa illa tempora quæ à verbo *adi* coniugantur, ea quæ ſupra, de conſtructione verbi *eçac* cum participiis docui, hic repetita velim: primas nihilominus perſonas illorum temporum hic indicare haud ſuperuacaneum fuerit. Indicatiui, Aoriſtum vel præteritum perfectum ſecundum, *har nandin*, captus fui, Gallicè *ie fus prins*, Hiſpanicè *yo fù tomado*. Potentialis modi Indicatiui præſens, *har naite*, capiar vel capi poſſim. Imperfectum, *har nainte*, caperer vel capi poſſem. Imperatiui præſens, *har adi*, capere. Coniunctiui præſens ſecundum, *har nadin*, capiar: Imperfectum ſecundum, *har nandin*, caperer. Potentiale præſens, *harnaiteen*, capiar vel capi poſſim; imperfectum, *harnainteen*, caperer vel capi poſſem. Optatiui imperfectum, *har ainandi*, vtinam caperer. Conditionalis præſens, *har-banadi*, ſi capiar: Imperfectum, *har banandi*, ſi caperer.

Enucleata vtcumque verborum finitorum, pręci-

puè verò coniugatiuorum eorúmque auxiliarium naturâ, pauca de eorum compoſitis dicenda ſunt. Componuntur autem cum particulis præpoſitiuis aut cum ſubiunctiuis, ſeparabilibus aut inſeparabilibus. Præpoſitiuæ ſeparabiles ſunt affirmatiua, *bay*, id eſt ita & negatiua, *es*, id eſt, non. Inſeparabiles verò optatiua, *ai*, vtinam & conditionalis *ba*, id eſt, ſi. Particulæ ſubiunctiuæ, eædemque inſeparabiles à compoſitione verbi ſunt, *la*, æquipollens Latinis particulis, vt, vel quod, *laric*, id eſt, cum, poſteaquam; *lacos*, quia: *ïan*, quando, *no*, dum, vel donec; *es*, an, vel vtrum.

EXEMPLA compoſitorum è prępoſitiuis; A verbo, *nais*, ſum, fiunt, *banais*, ſum equidem, *enais*, non ſum; *ainins*, vtinam ſim; *esainins*, vtinam non ſim; *banais*, ſi ſim; *espanais*, ſi non ſim; *esisan*, ne ſis, & ſimilia.

EXEMPLA compoſitorum è ſubiunctiuis particulis, *niçala*, vel *naiçela*, quod ſim; *niçalaric*, cum ſim; *niçalacos*, quia ſum; *niçanian*, quando ſum; *niçano*, quamdiu ſum vel ero; *niçanes*, vtrum ſim?

EXEMPLVM compoſiti verbi ſimplicis ſeu propriæ coniugationis, *ba-nago*, maneo equidem; *e-nago*, non maneo; *ai-nango*, vtinam manerem; *banango*, ſi manerem; *nagoela*, quod maneo, & ſic de reliquis. Porrò quia, vt ſuprà attigimus, modus infinitus pluribus carens temporibus & participiis, ea ab indicatiuo vel coniunctiuo compoſitis, mutuatur, exemplis hoc declarandum eſt: Illud itaque quod Latinè per infinitum præſens dicimus. *dixit ſe abire vel proficiſci*, ſic Vaſconicè effertur per præſens compoſitum indicatiui: *Erraten du ioaten dala*, vel *dela* (ſunt enim, vt iam ante monuimus E, & A, apud Vaſcones cognatæ literæ) præteritum perfectum, *abiiſſe*, repręſentatur per *ioan dela*,

quod eſt præteritum perfectum compoſitum eiuſdem indicatiui : Futurum denique *abiturum* eſſe per *ioanen dela*, quod futurum eſt compoſitum illius modi, Imperfectum *abire*, Gallicè, *qu'il alloit*, Hiſpanicè, *que yua*, per *Ioaiten cela*, pluſquam perfectum *abiiſſe* Gallicè: *qu'il eſtoit allé*, Hiſpanicè: *que auia ydo*, per *Ioan cela*, futurum ſecundum abiturum fuiſſe, Gallicè: *qu'il iroit*, Hiſpanicè: *que yra*, per *Ioianen cela*.

PARTICIPIA autem à modis Indicatiuo & Coniunctiuo deducuntur addito articulo, A, in fine illius temporis quod in, N, deſinit, & inſuper ſyllaba *en*, aut *an*, in iis quæ aliter, quam in *en* terminantur : Exemplum à verbo, *duen*, id eſt, habeat, in coniunctiuo formatur participium, *duena*, habens vel qui habet : ab indicatiuo verò *da*, id eſt, eſt, *dena*, id eſt, *ens*, vel qui eſt. Declinantur autem hæc participia per caſus non ſecus ac nomina articulata.

DIXIMVS de verborum generibus, modis & temporibus, reſtant perſonæ & numeri : In his nihil occurrit ſingulare : at in iis hoc maximè, quod vnaquæque perſona diuiditur in abſolutam & tranſitiuam : Abſoluta nulla re differt à perſonis verborũ Latinorum : Tranſitiua verò vltra ſignificatum verbi, inuoluit caſum obliquum pronominis primæ, ſecundæ aut tertiæ perſonæ ad quam fit tranſitio : ſic ab abſoluto, *Erraten dut*, id eſt, dico, oritur tranſitiuum, *Erraten diat*, dico tibi. Ambabus perſonis hoc commune accidit, quod genus habent inſtar nominum Græcorum aut Latinorum, ſcilicet maſculinum, fœmininum, commune & neutrũm; tria priora genera, non omnibus modis aut temporibus, ſed quibuſdam tantum, nec ambobus numeris, ſed ſoli ſingulari competunt. Habent inſuper tranſitiuę perſonæ

propriam quamdam coniugationem (hanc nos diſtinctionis gratiâ ſubconiugationem vocabimus) duobus numeris conſtantem ſingulari & plurali, & totidem perſonis obliquis; ſi enim perſona tranſitiua quæ coniugari debet, ſit prima, inflectitur in ſecundam & tertiam perſonam. Si ſit ſecunda, in primam & tertiam; ſi ſit tertia in primam & ſecundam. Diuiditur autem hæc ſubconiugatio in genericam & ingenericam, Exemplis res fiet clarior. Exemplum generis verborum. A verbo *nais*, id eſt ſum, (quod neutrius eſt generis) manat, *nuc*, eiuſdem quidem ſignificationis, ſed generis maſculini, ita vt tunc tantum vſurpanda ſit hæc vox cum virum alloquimur: voce verò *nun*, quæ fœminini eſt generis, vtimur in eodem ſignificatu quoties mulierem alloquimur: vox denique, *Nuçu*, quæ pariter, ſum, ſignificat componitúrq; ex abſoluto *Naù*, & pronomine *Çu*, id eſt vos, communis eſt generis, eâque vti licet promiſcuè ſeu virum, ſeu mulierem quis alloquatur: Etſi mihi quidem hæc vox & aliæ ſimiles, quę perſonę verbi ſingularis, nominatiuo plurali pronominis ſecũdę perſonę adiecto, componuntur, nouè à noſtris effictę videntur, ad imitationem Italorum, Gallorum, aut Hiſpanorum qui plurale, vos, ſingulariter vſurpant. Huiuſmodi enim perſonis communis generis tunc vtimur in hac linguâ cum perſonam aliquam non vilem, aut conditione vitæ nobis inferiorem, ſed ęqualem aut ſuperiorem alloquimur verbi gratiâ, in huius verbi, *Nais*, ſum, primâ perſonâ ſingulari tranſitiuâ, maſculinum, *Nizaic*, & fœmininum, *Nizain*, exponuntur per pronomen Latinum tu; commune verò *Nizaicu*, per pronomen plurale Vos, ſingulariter ſumptum, in hunc modum; *Nizaic*, & *Nizain*, æquipollent ei quod Gallicè dicimus, *Ie te ſuis*, Hiſpanicè,

Io te ſoy; At, *Nizaicu*, Gallicè explicabitur per hæc verba: *Ie vous ſuis*, Hiſpanicè verò per hæc: *yo os ſoi*, vel *yo ſoi a* v. md. Exemplum ſubconiugationis verborum tranſitiuorum & primò quidem ingenericæ ſumemus à verbo *Ais*, id eſt, es, quod eſt ſecunda perſona ſingularis verbi, *Nais*, id eſt, ſum: flectitur itaque hæc perſona, iſto modo, *izait*, id eſt, es mihi, *izaio*, es illi, *izaigu*, es nobis, *izaie*, es illis. Exemplum verò genericæ, en tibi: In prima perſona ſingulari eiuſdem verbi, maſculino genere *Nizaic*, ſum tibi, *Nizaioc*, ſum illi, *Nizaié*, ſum illis: ſecunda verò perſona pluralis *Nizaiçue*, caret genere, quia non poſſumus eâ vti, niſi plures perſonas alloquamur: at ſuprà monuimus genera horum verborum ad ſingulares perſonas referri, non verò ad plures. Eadem perſona N*ais*, fœminino genere ſic inflectitur. *Nizain*, ſum tibi, *Nizaion*, ſum illi, *Nizaien*, ſum illis, &c.

CÆTERVM in ſuperioribus, declinationum & inflexionum regulis atque exemplis dialectum ferè Vaſcitanam ſecuti ſumus, eam, inquam, quæ illorum è Vaſconibus Aquitanis, qui VASCI vulgò dicuntur, propria eſt. Ab hac nonnihil differt Nauarrica, pluſculum Vardulica, ſeu Ipuſcuana & Alauenſis, omnium maximè Autrigonica ſeu *B*iſcaina, quas hic ſigillatim exponere aut inter ſe conferre non eſt noſtri inſtituti: ſed iam abſolutis iis quæ vniuersè de totâ Vaſconum gente dicenda erant, ad ea quæ de ſingulis illius populis & inſignioribus familiis tradenda recepimus, expedienda accedamus.

NOTITIÆ VTRIVSQVE VASCONIÆ

LIBER SECVNDVS.

Qui tractationem de Vaſconibus Iberis continet.

De Nauarris eorumque Regione NAVARRA *dictâ.*

CAPVT I.

VASCONVM populi, alij citra Pyrenæum in Iberiâ, alij vltra Pyrenæum in Aquitaniâ ſedes habent: citra Pyrenæum ſunt NAVARRI, IACCENSES, ALAVENSES, IPVSCVATES & BISCAINI: vltra Pyrenæum GASCONES & VASCI. De prioribus hoc libro; de aliis verò in ſequenti agetur. Initium fiat à Nauarris: quibus potiſſimùm Vaſconum nomen conuenit, inde enim ad omnes alios populos, quotquot huiuſmodi appellatione cenſentur, manauit: Horum regio ab Ortu Pyrenæos habet montes, ab Occaſu Iberum amnem & ex parte Turiaſonenſem agrum: A Meridie veterem Comitatum Aragoniæ; A Septentrio-

ne denique Alauæ & Ipuſcuæ ditiones. Nominis ratio à Vaſconum linguâ petenda eſt, quæ voce *Naua* planitiem aliquam montibus proximè ſuccedentem, ſolet denotare. Inde & manus vola ſeu concaua pars apud eamdem Gentem, *Eſcu-naua* nomen habet: A *Naua* fit denominatiuum *Nauarr*, & adiecto articulo *Nauarra*, quo incola planæ regionis deſignatur. Huius oppoſitum eſt *Menditarra* & contractè *Mentarra*, id eſt montanus ſeu montium incola. Videtur autem appellatio Nauarrorum tempore Gothorum Regum potiſſimùm in Hiſpaniâ inualuiſſe: Tunc enim cum ſtrenuiſſimi quique Vaſconum Gothorum viribus & potentiæ impares, dimiſsâ planâ regione in proximos montes, velut in arces ſitu & naturâ munitas, propugnandæ libertatis gratiâ receſſiſſent, cæteri, qui in priſtinis ſedibus accepto Gothorum imperio remanſerāt, cœpere ab iis Nauarrorum nomine diſtingui, totius gentis communi appellatione, vnà cum laude conſeruatæ libertatis, ſolos montanos comitante. At rurſus poſt aliquot ſæcula, deleto in Hiſpaniâ à Sarracenis Gothorum regno, cum montani Vaſcones, auſpiciis illorum Principum, quos ſibi in Reges elegerant, auitas ſedes recepiſſent, vniuerſamque planam regionem ſimul cum Pompelonê ciuitate primariâ, pulſis armorum vi Sarracenis, occupaſſent, placuit ibi regni ſedem conſtituere, indéque poſtea fluxit Nomenclatura Pompelonenſis aut Nauarræ regni, quæ non ita multò poſt etiam montanæ regioni vicinæ communicata eſt. Diuiditur Nauarra in quinque Præfecturas quas Maiorinatus ſeu Merindades vocant Pompelonenſem ſcilicet, Stellenſem, Tutelenſem, Sangoſſenſem & Olitenſem. Hæ à totidem oppidis primariis Pompelonê, Stellâ, Tutelâ, Sangoſâ atque Olito, quo-

rum quodlibet veluti caput & metropolis eſt ſuæ præfecturæ, tale nomen ſortitæ ſunt. Præeſt autem vnicuique earum proprius magiſtratus, Maiorinus ſeu Merinus vulgò dictus: Primā præfecturam ambitu ſuo 80725 familias, proximam 60245, alteram 40852, quartam 60001, poſtremam 30969 comprehendere colligunt, qui earum rationem accuratè ſubduxerunt. Forma reipublicæ talis olim fuit, ſtante ſcilicet Principum Nauarrorum imperio, vt ſumma rerum penes Regem eſſet, qui nihilominus populo eatenus erat obnoxius, vt neque ius dicere, niſi adhibito duodecim procerum conſilio; neque rem aliquam arduam aut magni momenti, quæ ad Regni ſtatum ſpectaret, inconſultis iiſdem, expedire liceret: Iura verò & libertates populi incorrupta illæſaque ſeruare & pro viribus promouere, in publico conuentu trium ordinum (Curiam vocant) qui ex Regni Antiſtibus, Baronibus aliiſque præcipuæ nobilitatis viris & inſigniorum vrbium legatis cogebatur, iuratus conceptis verbis, antequam gubernacula Regni capeſſeret, repromittebat: vniuerſa inſuper quæ à Mauris bello conſequi poſſet cum proceribus ſe communicaturum, & pro rata cuiuſcunque portione diuiſurum profitebatur, in legibus etiam mutandis aut de nouo condendis illud obſeruabatur, vt eæ demum ratæ & firmæ eſſent, quæ à Principe authore populo aut Curiâ ferrentur. In re Eccleſiaſticâ ſubeſt vniuerſa ferè Nauarra Epiſcopo Pompelonenſi.

De præcipuis Nauarræ regionis oppidis atque vrbibus.

CAPVT II.

E QVINQVE illis, quæ proximo capite commemoraui oppidis, tria ſunt duntaxat ciuitatis titulo inſignita *Pompelon, Stella* & *Tutela*. POMPELON totius regni metropolis, & oppidum vetere fortunâ opulentum, poſitum eſt in lætâ & fertiliſſimâ conualle editiſſimis montibus vndique tanquam mœnibus circumſeptâ, alluitúrque Argâ fluuio (qui Aragus dictus eſt, Eulogio epiſtolâ ad Vuilieſindum Pompelonenſem Epiſcopum) non adeò magno, nuſquam non vadoſo & nauigiorum incapaci. A Pompeio Magno conditum affirmant plerique, teſtémq; in hanc rem citant Strabonem, apud quem tamen haudquaquã conditoris nomen legitur, ſed id tantum, dictam Pompelonem, tanquam Pompeij vrbem. Eius verba lib. 3. geographiæ hæc ſunt: ὑπέρκειται δὲ τῆς ἰακκητανίας πρὸς ἄρκτον τὸ τῶν ὐασκόνων ἔθνος, ἐν ᾧ πόλις Πομπέλων ὡς ἂν Πομπηιόπολις. Vetus inſcriptio, campeſtri vico Arre dicto, in æneâ tabulâ non ita pridem, reperta, Pompeionem vocat, I, vocali loco liquidæ, L, ſubſtitutâ, quæ vox à nomine Pompeij & à Vaſconicâ dictione, *One*, vel *Vne*, id eſt locus, compoſita eſt.

Nerone Claudio Cæſare
Aug. Ger. II.

Cæſio. Martiale Coſ. VIII.
Idus Decembris. Ciuitas Põpeionenſius hoſpitium renoua-

uit, cum L. Pōpeio. I. F. ANI
In fine Anni primi Iannum
PRIM. IANO.
Liberis poſteriſq; eius, liberis poſteriſq; ſuis.
Egerunt LEG. SEX.
Pōpeius nepos Sergius Creſcens.

ALIA inſcriptio dudum à N. Çubiça Senatore Pompelonenſi deſcripta, intérque eius ſchedas reperta, cum præcedenti conſentit in huius nominis per I, vocalem ſcriptione.

Claudius Quartinus II.
viris Pompei. ſalutem.

Et ius magiſtratus veſtri exequi aduerſus contumaces poteſtis, & nihilominus, qui cautionibus accipiendis deſunt, ſciant futurum, vt non per hoc tuti ſint, nam, & non acceptarum cautionum periculum ad eos reſpiciet, & quidquid præſentes quoque egerint, id communis oneris erit. Bene valete. Dat. Non. Octubris Callagori. Imp. Caeſ. Tralano Adriano Aug. III. Coſ.

Vernaculâ certè Vaſconum Nauarrorum linguâ, iſtud oppidum non *Pompelon*, ſed IRVNA audit, id eſt *vrbs bona*, occurritque id nominis in veteribus quibuſdam

monumentis ab hinc ſexcentos circiter annos conſcriptis, vnde coniicere quis poſſet, hanc fuiſſe primam & antiquiſſimam illius denominationem: Nugantur enim qui *Martuæ & Athanagiæ* nomen ei imponunt. A Pompeio tamen denuo augeri & inſtaurari potuiſſe non abnuerim, indéque Pompelonis titulum veteri nomenclaturæ additum. Ad hæc anno ſalutis 1129 aliud incrementum accepit ab Alfonſo Pompelonenſi & Aragonenſi Rege, adiectâ veteri oppido, nouâ velut appendice, Burgo ſancti Saturnini, vt ex ipſius Regis diplomate ſequenti conſtare poteſt.

In Dei nomine &c. Ego Adefonſus Dei gratiâ Rex facio hanc cartum donationis & confirmationis vobis totos Francos qui populaueritis in illo plano de ſancto Saturnino de Truyna: Placuit mihi libenti animo & ſpontanea voluntate & pro amore quod ibi populetis & ſinquetis de bono corde & concedo vobis quod habeatis tales foros in totas veſtras faciendas, & in veſtro iudicio quomodo fuerunt populatos illos populatores de Iacca & concedo & mando quod non pectetis pedagium neque leſta &c. facta charta donationis era 1167. menſe Septembri in Altafaylla &c.

Hanc vrbem ſuaptè illuſtrem, illuſtriorem etiam efficit memoria B. Firmini ſui ciuis, qui patre Firmino, matre verò Eugeniâ, Pompelonenſibus ciuibus genitus, à B. Saturnino Chriſtianis ſacris initiatus, ab Honorato verò Tholoſano Epiſcopo Pontificio charactere inſignitus, temporibus Decij & Valeriani Imperatorum, proſperâ ſanctitatis famâ vixit, & in Galliam ſtudio propagandæ religionis profectus, Agennenſibus, Aruernis, Andegauenſibus, Bellouacenſibus & Ambianenſibus Chriſti fide peruulgatâ, iuſſu Valerij Sebaſtiani Præſidis, in Ambianenſi ciuitate, pietatis ac religio-

nis odio obtruncatus, diuorum albo adſcribi meruit.

PARVIT Pompelon, poſt Romanorum ex Hiſpaniâ deceſſum, Imperio Gothorum iam à tempore Euridici Regis, à quo primò occupatam fuiſſe diſcimus ex his Iſidori verbis. *Era* D.IIII. *anno Imperij Leonis octauo Euridicus pari ſcelere quo frater ſuccedit in Regnum annis* XVIII, *in quo honore prouectus & crimine ſtatim bello deſæuiit parteſque Luſitaniæ deprædatur, qui prius capta* PAMPHILONA, *Cæſarauguſtam inuadit totamque Hiſpaniam ſuperiorem obtinuit. Terraconenſis etiam nobilitatem quæ ei repugnauerat exercitus irruptione peremit: In Gallias autem regreſſus Arelatum & Maßiliam vrbes capit ſuoque regno vtramque ſubiicit.*

POSTEA Gothis vniuerſâ Hiſpaniâ bello pulſis, à Sarracenis inuaſa eſt, & rurſus anno Chriſti 778, eiſdem inde eiectis, in Caroli Magni poteſtatem venit, vt ex Rheginonis Chronico colligitur, itémque è Paulo Æmilio in Caroli vitâ, quam partim è Gallis ſcriptotibus, partim è veteribus Vaſconum Annalibus, qui amplius non extant, luculentè pertexuit. Manſit autem diu ſatis in ipſius Caroli & poſterorum eius fide, videturque tandem regnante Caluo, cum Abderramenis Mauri Regis furor & in Chriſtianos odium, omnem illam oram terrore compleſſet, Caluo interea in Galliis ciuili bello implicito, Vaſconum Reges aut ipsâ ſuâ ſponte ſubſidio accerſiuiſſe, aut eoſdem è proximis montibus ſibi imminentes atque infeſtos, cum ſuſtinere minus valeret, vltrò intra mœnia admiſiſſe.

PROXIMVM à Pompelone locum obtinet *Stella*, cuius oppidi prima fundamenta à Sanctio Ramires Pompelonenſi atque Aragonenſi Rege iacta fuiſſe probat hoc Diploma è tabulario Cœnobij ſancti Ioannis Pin-

natenſis erutum & à Ioanne Briz Martinez lib. 3. cap. 9. Hiſtoriæ eiuſdem Cœnobij inſertum.

In *nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hæc eſt charta quam ego Sanctius gratiâ Dei Rex Aragonenſium & Pampilonenſium, facio Deo & altari ſancti Ioannis Baptiſtæ, de monaſterio quod dicitur Pinna, de decima, de illa populatione, quam nouiter volo facere, in villa quæ vocatur Lizarrara. Volebant illi monachi de ſancto Ioanne, facere populationem de Francos, in illo ſuo termino de Zarapuz, in camino de ſancto Iacobo, & ego volebam mutare, ipſum caminum, per Lizarra, & facere ibi caſtrum & populationem de Francos. Sed quia iſte meus locus de Lizarrara, eſt in meliori ſaluetate, quam ille, vbi ipſi volebant populare, dixi illis vt conſentirent mihi, cum bonâ voluntate, vt facerem populationem meam & non eſſent murmurantes aduerſum me pro hac causâ & darem eis decimam partem, ex omnibus rebus, quas Deus, pro ſua pietate, mihi dare dignatus fuerit, ex ipsâ populatione quam ibidem potuero facere. Illi verò annuentes, conſenſerunt mihi. Itaque ab hodiernâ die & deinceps, ego ſic concedo & offero Deo & ſancto Ioanni, in opus de illâ camarâ pro veſtimento & calciamento monachorum, ibi Deo ſeruientium, decimam partem ex omnibus rebus, quas Deo largiente me habere contigerit ex ſupra dictâ nouâ populatione; id eſt, de lezta, de cenſu, de homicidiis & de iudiciis, de calomnis & de omnibus omnino rebus, vt habeant & poßideant, iure perpetuo. Similiter quoque concedo eis omnes Parrochitanas Eccleſias, quas in eadem populatione, fuerint factæ, cum omnibus iuribus, ſibi pertinentibus, vt ſint liberæ & ingenuæ de ſancto Ioanne; perpetualiter. Et adhuc vnum do eis ſolarem, vt ipſi ſe adoptauerint in quo poßint, facere bonas caſas ad habitandum. Hoc totum ſupra ſcriptum, ideo alacri animo*

animo tribuo eis, vt perpetualiter poſsideant, nullâ perſonâ regali vel Epiſcopali contradicente. Facta carta æra M.C.XXVIII. *Anno ab incarnationis Domini* M.LXXXX. *regnante Rege Ildefonſo, in Toleto & in Caſtellâ & in Galliciâ; me autem, Rege Sanctio regnante in Pampilonâ & in Aragone, & filio meo Petro, in Subrarbi, & in Ripacortiâ & in Montſon. Epiſcopus Petrus in Iaccâ, alius Petrus Epiſcopus in Pampilona, Raymundus Dalmau Epiſcopus in Rota, Aymericus Abbas in ſancto Ioanne de Pinna, Raymundus Abbas in Legerenſi cœnobio. Si† gnum Sanctij Regis. Ego Petrus Regis filius ſigno. Ego Aldefonſus Dei gratia Rex Aragonenſium, ſupra ſcripta patris mei & fratris, laudo & confirmo & manu propria ſubſcribo, in æra,* M.C.LVIII. *Si† gnum Aldefonſi Regis. Ego Garſias iuſſu Domini Regis, hanc cartam ſcripſi & hoc ſignum feci* ✠.

SED quidquid ſit de primâ origine iſtius vrbis, cuius conditorem vnicum, hunc Regem Sanctium Ramires faciunt Hiſpani ſcriptores, præcipuum certè illius authorem atque Conſtitutorem fuiſſe Garſiam Ramireſium Pompelonenſem Regem, Amplificatorem verò Sanctium huius Garſiæ filium, probant duo firmæ auctoritatis monumenta quæ hîc referentur. Primum eorum eſt diploma quoddam ab eodem Sanctio Garſiæ filio conceſſum ciuibus Stellanis, quo leges iis à Garſia Remireſio, cum de condendâ vrbe cogitaret, conceſſas confirmat ac ſancit his verbis.

IN *Dei nomine eſta es carta dautoritat & de confirmation que yo Sancho Rey de Nauarra filtz del Rey Don Garcia fay a totz los omes d'Eſtela als qui ſon preſents & als qui ſon per venir per lo bon ſeruici que vos me faitz totz dies als oms d'Eſtela als qui ſon & ſeran aquels bons fors que dona lo Rey Don Garcia als pobladors de l'Eſtela quant primera-*

ment la pobla & los fors ſon atals. Tot primerament lor dona que no anaſſen en oſt ſino con pan de tres dias &c.

FINIS verò diplomatis ſic habet.

Aqueſts fos que ſon deuant eſcriuts doneyey & oltroyey & confirmey à tots los omnes d'Eſtela als Mayors & als menors als qui ſon preſents & qui ſon per venir & à lurs filltz & à lures filles que en l'Eſtela poblaran que los ayen deliures & francs & ſalps ſalua la mia fidelcat & de totz aquels qui ſeran apres my Reys en Nauarra per tots temps may.

El temps que yo Don Sancho Rey de Nauarra Regney en Pampalona & en l'Eſtela, & en el Groynn, & en l'Eſtela, & en Tudela, & en Alua, Ruy Martineytz en Marayno, Pedro Ruyz en l'Eſtela, Gil de Leorin Alcalde, Pere Guillem Preuoſt, Iulian Sayon, Pere Guillem de la Raga, Sanctio Ramirez en Leguin & en Sangoſſa & en Funes Semen d'Ayuar en Roncal, & en Saraçaytz Santz Eſquera en ſanta Maria d'Vyſſue & Cabarros Martin de Leet en Teralta Semen Aznareytz en Tafaylla. Aznar de Rada en Falces & Valtierra, Pedro d'Aracuri en Leraga & en Tudela. Et el Groynn. Signum Sancij Regis Nauarræ Paſcaſius de Orto me ſcripſit & eſt teſtis; Superiora, quæ Gaſconicâ linguâ parum Hiſpanis, atque adeò Francis familiari, ſcripta ſunt, hoc modo Latinè vertimus.

HÆ *ſunt tabulæ auctoritatis & confirmationis quas ego Sanctius Rex Nauarræ filius Regis domini Garciæ facio omnibus ciuibus Stelanis præſentibus & futuris ob ea bona ſeruitia quæ mihi quotidie præſtatis, ciuibus Stelanis qui exiſtunt vel exiſtent illas bonas leges quas dedit Rex Garcia nouis incolis Stelæ cum eam primò incolis frequentare cæpit. Sunt autem leges huiuſmodi.*

PRIMÒ *eis conceſſit ne in exercitum irent niſi cum tridui commeatu &c.* Poſtea enarratis prolixè iis legibus, hæc in imis tabulis ſubiicit.

TEMPORE *quo ego Dominus Sanctius Rex Nauarræ regnaui Pompelonæ & Stelæ, & in Lucronio, & in Eſtela, & in Tutela, & in Alua, Ruy Martineytz in Marayñon &c.*

DIPLOMA iſtud atque etiam ipſas leges Stellanas è veteri membranâ, quæ in Tabulario Regio Pariſienſi recondita latebat, exſcribendi mihi facultas fuit beneficio Petri Puteani viri clariſſimi & de me ac de meis ſtudiis optimè meriti.

ALTERVM monumentum eſt aliud diploma eiuſdem Sancij Regis in gratiam monaſterij Iraxenſis huiuſmodi tenore conceſſum,

IN *nomine ſummi & æterni Dei. Notum ſit omnibus hominibus præſentibus & futuris quod ego Sancius per Dei gratiam Rex Nauarræ dono & concedo liberè Domino meo Ieſu Chriſto & monaſterio beatæ Mariæ Hyrach & Sanctio Abbati & monachis ibidem Deo ſeruientibus illam Eccleſiam ſancti Ioannis quam facio fieri à prædictis monachis in populatione de Eſtella quod ego populaui vltra pontem ſancti Martini iuxta villam de Lizarra & iuxta rupem ſancti Michaëlis in Parrale meo proprio. Hanc autem donationem facio pro remiſſione peccatorum meorum & pro anima vxoris meæ bonę memoriæ Sanctiæ & pro animabus patris & matris meæ & omnium parentum meorum &c. Ego Sanctius prænominatus Rex hanc cartam fieri iuſsi & hoc ſigno meo corroboraui facta carta ſub æra 1225. regnante Rege Sanctio in Nauarra & in Alaba . . . . . ſub meo dominio Petro Epiſcopo in Pampilonâ Fernando Roderici tenente Stellam, Petro Remirez victoriam & ſanctam Crucem, Michaël de Leratayz Luciam, Sanctio Remirez Maragnon, Enccone Almorauid Aybarr, Petro Lairone Sangoſſam, Lupo de Alfaro Tafayllam, Semen de Barrueta Treuiño, Petrus Garceiz Artajona,*

Garſia Petri de Murieta Rodam Enclone de Oriz Arizcoyriz Martino de Subiça Sangoſſam veterem Petro Guillelmi Præpoſito in Stella Gaſtone in prædicta populatione. Ego Fernandus Veruinienſis Archidiaconus & Domini Regis Cancellarius de mandato Domini Regis hanc cartam ſcripſi & hoc ſignum † meum appoſui.

Tvtela ſequitur ciuitas florens & nobilis, ipſóque ſitu opportuna: poſita eſt enim ad amnem Iberum, loco ad exercendum cum finitimis commercium accommodato. Ponte amnis continenti iungitur lapideo, eleganti opere temporibus Sanctij Regis huius nominis vltimi, iuſſu & impenſis Regiis inædificato. De iſtius vrbis vetuſtate aut origine nihil ſuggerunt libri aut vetera monumenta. Hoc ſolum conſtat, ab Alfonſo Pompelonenſi & Arragonenſi Rege Mauris ereptam, deinde Rotroni Perticenſi Comiti, in præmium egregiæ in bello contra Mauros nauatæ operæ, conceſſam fuiſſe: Antea tamen illam in dominio Regum Pompelonenſium extitiſſe, docuit Garibayus lib. 22. cap. 28. ſui Chronici. Leges & priuilegia ab Aldefonſo impetrare meruit, ſancitúmque eſt, vt iure illo quod Suprarbienſe vocant vteretur, ſcriptis eâ de re codicillis erâ 1155 quorum nos hîc non integram ſeriem, ne lectori faſtidio ſit, ſed primum duntaxat caput, quod ad rem præſentem facere videtur, prout ex autographo quod in Pompelonenſi Camerâ Rationum extat, deſcribere licuit, referemus.

In *Dei nomine. Ego Adefonſus Rex Aragoniæ & Nauarræ ac filius Regis Sanctij cum conſilio & prouidentia virorum meorum nobilium & curiæ meæ qui me per Dei gratiam adiuuauerunt capere Tutelam & alia circumadiacentia dono concedo omnibus populatoribus in Tutela vel habitantibus in*

ea in Cerbera & Gallipienço illos bonos foros de ſuper arbe, vt habeant eos ſicut meliores infançones totius mei Regni &c. Facta carta menſe Septembri ſub æra 1155. ſignum Alfonſi Imperatoris. Signum Reginæ Margaritæ. Signum Comitis Dalpertica.

TVTELAM excipit SANGOSSA, & ipſa præfecturæ cognominis caput, diuiſa olim in veterem vrbem & nouam. Illa conditorem agnoſcit Sanctium Remirez Aragonenſem & Pompelonenſem Regem: Hæc verò Aldefonſum Sanctij filium, vt ex ipſius Aldefonſi codicillis hac de re datis, colligi poteſt quos è vetere membrana Tabularij Regij Pariſienſis deſcriptos hîc ad verbum repræſentamus.

SVB *Chriſti nomine & eius diuina clementia. Ego quidem Adefonſus gratia Dei Imperator. Placuit mihi libenti animo & ſpontanea voluntate & facio hanc cartam vobis totos populatores de Sangoſſa de illo Burgo nouo propè illo ponte iuxta illo noſtro Palatio qui modo ibi eſtis & in antea ibi veneritis populare, vt faciatis ibi Burgô in illa via quæ vadit contra Vlle & dono vobis fuero quale dedit pater meus Rex domno Sancij cui ſit requies ad illos alios populatores de illo Burgo Vieyllo & dono vobis termino de illa via quæ vadit contra Cortes vſque Adoc Flumen Aragon troa ille hermo. Et dono vobis quantoſque ibi populaueritis vt compretis in illo termino de Sangoſſa vel vbi melius potueritis & habeatis illum francum & liberum & ingenuum vos & filij veſtri & omnis generatio vel poſteritas veſtra. Salua mea fidelitate & de mea poſteritate per ſæcula cũcta, Amen. Similiter dono vobis Tayllare & Lignare in illo monte & in illa ſylua de Bioçal & in illa ſylua de ſancti Saluatoris de Leyre & in illo monte de Peyña. Et nullus homo qui habuit hereditatem in illo Burgo Viello non volo vt populet in illo Burgo nouo, neque nullo infançon de noſtra terra, ſed*

dono ibi ad Fortuyño garceys Caxal, vno caſale & alio caſale Atofijo meo merino, & volo vt non habeatis alium ſeyñore ſi non me. Et nullus homo qui vobis pignorauerit in iſtos montes ſupraſcriptos pectabit michi lx. ſ. Et dono à Garcia Lopiz meo merino vno Caſale . . . . ſignum Adeffonſi. . . . . ſignum Regis *. . . . Ranimiri. Similiter dono vobis lignare & tayllare & paſcuere in illos montes de Ayuar & de Lombier & in illos alios montes & terminos de illas alias villas in circuitu de Sangoſſa quantum potueritis in vno die andare & tornare. Facta hanc chartam in menſe Februar. in era* M. C. LX. *in villa de Aincon in Rigo de Borga. Regnante me Dei gratia in Aragon & in Pampilonia & in Super Arbi vel Rippagurcia & in Caſtella & in Burgos & in Tutela & in Cæſarauguſta. Epiſcopus domno Raymundo Guilielmo in Rota : Epiſcopus Stephanus in Oſca; Epiſcopus Petrus in Cæſarauguſta, Epiſcopus Dompnus . . . Epiſcopus Sancius in Calaorra. S. Enecij Galindiz in Sangoſſa. S. Fortun Garceyz Caxal in Nagera. S. Lope Garceyz in Stella Ximino Gayzco in Taraçona, Lope Iohannes in Arneto, Ioanne Diaz in Arguedas Ato Fortuyno in Falces. Et ego Sancius ſub iuſſione Domini noſtri Regis hanc chartam ſcripſi & de manu mea hoc ſignum . . . . . feci.*

Fuiſſe tamen etiam temporibus Romanorum incolis frequentatum hunc locum, perſuadet antiquus lapis qui in eius ponte adhuc viſitur Romanis litteris inſcriptus in hæc verba.

CORNELIA SIBI, ET
CORNEL. CORNE-
LIO. FIRM. LIBER

Andeluſium vrbem, cuius Ptolemeus meminit, hunc ſitum occupaſſe coniicere magis poſſum ex ipſo Ptolemeo, quam affirmatè pronunciare, id vnum tamen pro

certo habeo, illos contra Melæ, Ptolemei & Itinerarij authoritatem niti, qui *Iturissam* vrbem hoc loco ſtatuunt: Cùm enim Ituriſſam *Magradâ* allui teſtetur Mela, quem fluuium omnes conſentiunt ipſummet eſſe qui nunc *Vidaſſo* dicitur: quique è montibus Nauarræ Septentrionem ſpectantibus demiſſus, per Vaſtanenſem pagum non procul à Fontarrabiâ oppido, Oceano immergitur, Ptolemaici quoque numeri graduum longitudinis & latitudinis Ituriſſæ appoſiti, ad eumdem pagum nos ducant, Auctor denique Itinerarij in itinere ab Aſturicâ Burdegalam, *Turiſſam* (quæ non eſt diuerſa ab Ituriſſa) inter Pompelonem & Aquas Tabellicas ponat, 22. milliarium interuallo duntaxat inter Pompelonem & eam interiecto, luce clarius eſt ex mente horum Authorum non alibi, quam in illo pago iſtius vrbis ſedem inueſtigandam eſſe.

RESTAT OLITVM, quam vrbem olim Ologitim vocatam fuiſſe & à Vaſconibus coactu Suintillæ Regis conditam ſeu potius inſtauratam, ſuperiore libro diximus. Vernaculâ tamen Vaſconum linguâ *Erriberri* dicitur, id eſt oppidum nouũ, ipſa quoque vocis *Ologiti* notio Vaſconica eſt, ſignificat enim eadem linguâ *Ologuiti*, locum pane ex auena confecto abundantem. Tardiùs hæc cæteris vrbibus pręfecturæ prærogatiuam obtinuit, à Carolo enim Rege huius nominis 2. primum hoc ius ei conceſſum eſſe oſtendunt monumenta quædam, quæ in Camera Rationum Pompelonæ aſſeruantur: ſita eſt ad amnem *Cicadum* vberi agro & frugum, animalium omniſque generis fructuum feraci, itaque illius amœnitate illecti poſteriores Reges longam ibi moram traxerunt, Carolus autem huius nominis 3. ædificatis ibi ædibus Regiis magnificis atque ſuperbis, claram eam atque illuſtrem reddidit.

¶ SVNT præterea aliquot aliæ vrbes non ignobiles & quæ ius ſuffragij cum præcedentibus, in publicis prouinciæ conuentibus habent, ad quos litteris Principis aut eius Vicarij ſolent conuocari: ideóque *buenas villas*, id eſt bonæ vrbes nuncupantur, nimirum *Puente la Reyna, Viana, Monreal, Lumbier, Tafailla, Villa Franca, Vbarte Araquil, Vrroz, Valtierra, Sant Eſteuan, Echarri de Arañaz, Aguilar, Aoyz, Torralba, Corella, Caſeda, Mendigorria, Ayuar, & Villaba*, quibus, ſuperioribus ſæculis accedebat vrbs quondam, nunc vicus ignobilis, *Roncauallis*, vulgò *Burguete*.

PVENTE *la Reyna* ab indigenis & accolis *Cares* nuncupatur, cuius nominis indicio iſtius vrbis antiquitas patefit, cum Plinius lib 3. cap. 3. inter eos populos, qui Cæſar-Auguſtani conuentus erant, *Carenſes* recenſeat: Diuidebatur hæc pariter in veterem & nouam vrbem, & nouæ quidem peculiariter Pōtis-Reginæ cognomen inditum: veterem verò à Garcia Ramirez Rege amplificatam fratribuſque Hieroſolymitani Templi Regio munere conceſſam fuiſſe innuit ſequens diploma è Tabulario Regio Pompelonenſi depromptum.

EGO *Infans Garſia Rex Nauarræ dono & concedo vobis omnibus hominibus, qui populatis atque exinde populauerint in illam meam villam vetulam quam dedi fratribus Militiæ Templi Salomonis talem forum & tales vſaticos quemadmodum habent homines de Stella & de Ponte-Reginæ in omni Iudicio & foro. Verumtamen illi perſoluendo prædictis Fratribus Militiæ Templi Salomonis vnoquoque anno pro domibus quas tenent in cenſu &c. Verumtamen ſuper hoc mando & confirmo quod alius iudex non iudicet eos pro aliqua calumniâ niſi iudex de Stella vel de Ponte-Reginæ & hoc in omni iudicio & foro & hoc fiat per infinita ſæcula.*

ſæcula. Facta carta & præcepto in Eccleſia ſancti Iacobi de Ponte-Reginæ M. C. LXX *& ſunt teſtes* Robert *lo Franceſ. Bernard Galmar ſuus Francus Don Arnaud lo Rey Pere Gordon Pere Ramon Orti Ezquerra lo Sayon Lope del Palatio Simeno Boalca Garcia de la Cambra. Ego* Rex *Garſia iſtam cartam iuſſi facere & mea manu hoc ſignum feci.*

Hoc monumento confutantur qui à Iohanna Reginâ, Philippi Francorum Regis cognomento Pulchri vxore, Pontis-Reginæ nomen huic oppido accerſunt. Alluitur Argâ amne, qui è montibus Nauarræ, qui Aquitaniam maritimam attingunt, deuolutus, irrigato Pompelonenſi agro, huius muros præterlabitur.

VIANA, in confinio Nauarræ atque Caſtellæ iacet, non procul ab Ibero amne; Caroli III. Regis beneficio magnoperè nobilitata eſt; cum eam Principatus titulo ac prærogatiuâ affecit, adiectis ipſius ditioni plurimis oppidis, vicis, atque agris confinibus, eamque hoc incremento auctam, tum primum Carolo nepoti ex filiâ Blancâ nato, & in poſterũ reliquis Regũ liberis natu maximis, Regni hæredibus deſignandis, vtendam fruendam conceſſit, datis hac de re literis Tutelæ xx. die Ianuarij 1423, quas recitat *Paſquier in collectaneis legum Nauarræ.*

TAFAILLA olim *Alta-Failla*, vt in veteribus aliquot monumentis legitur, incumbit fluuio *Cicado*, vnâ tantum leucâ diſtans *Olito*, cui nec ſoli fœcunditate, nec opportunitate ſitus, neque vllâ aliâ re cedit: A poſtremis Regibus ipſa quoque aliquandiu frequentata, & Regiis Ædibus ampliſſimis & ſplendidiſſimis eiuſdem Caroli III, Regis iuſſu, curâ & impenſis extructis, inſignis. Vtriuſque oppidi tanta eſt elegantia, & amœnitas, vt de iis hoc velut adagium in communi omnium ferè

Hiſpanorum ore verſetur, *Tafailla y Olite flor de Nauarra.*

SVNT quoque & aliæ vrbes antiquitate celebres, vt *Lumbier*, Vaſconicè *Irumberri*, vnde *Ilumberitani* populi apud Plinium lib. *3.* cap. *3.* *Huarte Araquil, Araceli* Authori Itinerarij, vnde apud eumdem Plinium *Arocelitani* populi. *Caſcantum* olim municipium Romanum, vt ex veteribus nummis iamdiu docuere Paulus Merula & Prudentius Sandouallius, idem fortaſſe cum eo oppido quod Ptolemæo *Baſcontum* eſt, procliui errore duarum litterarum, quibus *Baſcontum* à *Caſcanto* diſcrepat: item *Andoſilla*, ſi vera eſt coniectura Prudentij Sandouallij, qui eam cum *Andologeſis* Plinij confundit. Et tandem *Larraga*, ſiquidem, vt arbitror, eadem eſt cum *Tarraga* Plinij & Ptolemæi. Iam totam hanc de Nauarræ vrbibus lucubrationem abſoluero, ſi modo de ſitu *Graccuris* vrbis pauca dixero: illam Sempronio Graccho originem iuxta ac nomen debere diximus ante, ex fide Authoris Epitomes Liuianæ, quam tamen dubiam & incertam facit authoritas Feſti Pompeij aut illius qui Feſtum in Epitomem contraxit, in voce *Graccuris*, cum fuiſſe ante Sempronij Gracchi tempora eo loco vrbem non obſcurè ſubindicat *Illiturgis* nomine ei attributo. Huius vrbis ſitum in eam partem Nauarræ vbi vicus *Loccurriaga* dictus vel *Arcos* oppidum eſt, trahere videtur Ptolemæus: Si quidem numeros graduum latitudinis & longitudinis quos illi ſubiicit, ritè perpendimus: tamen mendoſos eſſe hos numeros, euincit authoritas Itinerarij, quod Aſturicâ Tarraconem petentibus, inter *Viroueſcam* & *Cæſaraugustam*, *Graccurim* obiicit, ſexaginta quatuor milliaribus Cæſarauguſtâ diſtantem: Cum enim Auctor illius Itinerarij, in itinere à Vapinco Gallæciam, inter eadem

oppida *Viroueſcam*, inquam, & *Cæſarauguſtam*, *Caſcantum* & *Calagurrim* vrbes oſtentet: illam 50, hanc autem 79 milliaribus paſſuum à *Cæſarauguſtâ* remotam, nihil exploratius, quam aut *Graccurim* inter eaſdem poſitam fuiſſe, aut ſaltem ab vtrâque parùm abfuiſſe. An autem hæc ſitus ratio *Alfari* aut *Cerueræ* oppidis malè conueniat, iudicent qui illorum locorum perfectam notitiam habent.

De primo ordine, hoc eſt, Eccleſiaſtico, qui publicis conuentibus intereſſe ſolet, déque inſignioribus ſacerdotiis Nauarræ.

CAPVT III.

DECVRSIS ciuitatibus atque vrbibus inter quas, è re natâ, illas attigimus, quarum Legati in publicis Nauarræ conuentibus tertium ordinem, hoc eſt, plebeium repræſentant; congruenter aptéque ad id, de quo agitur, fiet, ſi de aliis ordinibus de primo ſcilicet, qui ex Antitiſtibus inſignium Eccleſiarum; & de ſecundo, qui è nobilibus conſtat, de inſignioribus item ſacerdotiis, ac de nobilium gradibus variis, aliqua dixerimus. Primum itaque inſigniora ſacerdotia luſtranda ſunt, in quibus principem & veluti ſupremum locum obtinet Pontificatus Pompelonenſis. Huius diœceſis fines latiores multò fuere olim, quam ipſius Nauarrę, cum à Meridie etiam Gallicum amnem; à Septentrione verò Oceanum Cantabricum attingerent; longitudo verò inter Pyrenæos montes & Iberum flumen conſiſteret, ſicut celebri diplomate quod Prudentij Sandoualli operâ non ita pridem lucem vidit, teſtatum reliquit, Pompelonenſis

Eccleſiæ fautor iuxta ac inſtaurator eximius, Sanctius Rex Pompelonenſis, qui Maioris cognomentum tulit. *Termini*, inquit, *huius Epiſcopatus ſunt ſine vlla dubitatione, ſicut ego ab antiquis & ſapientibus viris in veritate probaui, & nunc tenet Dopnus Sanctius prædictus Epiſcopus eiuſque anteceſſores tenuerunt, & de Occidentis parte ſicuti ipſa penna Punicaſtri & penna de Maranione diuiduntur vſque ad Hiberum flumen & quemadmodum ipſe Hiberus diuidit vſque ad flumen, quod dicitur Gallicum, & à Gallico flumine vſque ad villam quæ dicitur Calcones, intus ſtantibus villis, videlicet Murello, & Augurio, Caſtelmanco, Eliſo, Sarracaſtello, Toloſana & valle de Oſſella cum tota Extrematura. Et ex aliâ parte ſicut diuidit vallis de Arragone, vſque Copello ipſa valle infra terminum huius Epiſcopatus ſtante cum valle de Pintano & villa quæ dicitur Aſſo & Lorbes atque Monaſterium ſancti Saluatoris de Leior, quæ manet in Diœceſi huius ſedis. Ex aliâ verò parte tota vallis de Roncal & Sareçaço atque Aezcoa & vallis de Erro vſque ad Capellam S. Saluatoris, quæ dicitur Caroli Magni, & à Capellâ Caroli vſque ad portum de Velate, vſque ad ſanctum Sebaſtianum, quæ eſt ſitum ſuper Ripam Maris Occeani cùm vallibus ſubſcriptis ſcilicet Lerin, Oiarçum, Lauayē, Verastegui, Araynz, Larraum, Araria, Ozcue, Ernani, Seyar, Titiar, Yraugui, Goyaz, Erretzil, Leytza, Areſſo, Egozqueta, Ezcurra, Olarumbe, Ymaoz, Aulia, Ianſarras cum omnibus ſupradictis vallibus & tota Ypuzcoa. Ex aliâ igitur parte tota vallis de Araquil, quod dicitur ſanctæ Mariæ Zamarzes & cum ſuâ Eccleſiâ S. Michaëlis de Excels: cum eorum pertinentiis atque Burunda vſque ad Eznate, & vſque ad ſanctum Adrianum, & à ſancto Adriano vſque ad flumen, quod dicitur Vidaſo & aliud flumen, quod dicitur Deua, & de*

Deua vſque Gorciça. Ex aliâ adhuc Occidentis parte ſicuti diuidit vallis de Oluine: ſimiliter tota vallis quæ Ameſcoa vocatur.

IPSIVS tamen Pontificatus amplitudinem, non è ſolo ſubiectarum illi terrarum ſpatio, metiri oportet, quod in longitudinem triginta leucas Hiſpanicas, totidémq; in latitudinem patet, ſed ex eo etiam quod quatuordecim dignitatum Eccleſiaſticarum titulos, ac duo & viginti Canonicorum, ſex Rationariorum, vt vocant & viginti quatuor Capellanorum gregem, ſinu ſuo amplectitur: Totius verò diœceſis ambitu, vnde viginti ditiones quas Archipreſbyteratus dicunt & 173 parœcias campeſtres comprehendit. Plurimas olim Eccleſia iſthæc acerbitates & grauia incommoda à Mauris pertulit, donec tandem poſt longam iactationem Pompelonenſium Regum gremio blandè excepta, priſtinam incolumitatem & dignitatem, non integram modo, ſed etiam meliorem & cumulatiorem recepit. E Regibus verò illos maximè propitios habuit, qui Sanctij nomen vſurparunt, vt ex variis diplomatibus Sanctij Maioris, Sanctij Rameſij & illius, qui Sapiens dictus eſt, conſtare poteſt, quæ quia à Sandouallio in Catalogo Epiſcoporum Pompelonenſium recitata ſunt, non duximus hîc repetenda.

MVLTVM etiam debet pietati Petri Rotæ Toloſani, qui Sanctio Remirez & Petro eius filio regnantibus, eidem præfuit, ob ſtrenuam & largam in ea reſarciendâ & exornandâ, nauatam operam. Hic inter alia quæ vtiliter & ex vſu Eccleſiæ præſtitit, Eccleſias Vallis Oſellæ in Aragoniâ, quæ ab Epiſcopo Iaccenſi contra ius occupatæ fuerant, ad ſuæ ſedis dominium & poſſeſſionem reuocauit: Ædi quoque primariæ (quæ beatæ Ma-

riæ ſacra eſt) ædificandæ, primus ſeriò & gnauiter incubuit, cuius rei monumento, poſiti ſunt pro foribus ipſius Ædis hi verſus.

Virginis Eccleſiam Præſul ſanctiſſimus olim
Hanc rexit, ſede Petrus in iſtâ fecit & ædem
Ex qua ſancta piæ domus eſt incepta Mariæ
Tempus prætentum fert annos milleque centum
Ex incarnati de Virgine tempore Chriſti.

POSTREMÒ Canonicos eiuſdem Eccleſiæ à ſæculari vitâ ad eam, quæ regulâ B. Auguſtini aſtringitur, retraxit, ea quæ victui neceſſaria erant vnicuique eorum largè impertitus, vt ipſius literis hac ſerie confectis, quæ in eiuſdem ſedis Tabulario extant, continetur.

NOTVM *ſit, hanc chartam legentibus vel audientibus, quod ego Petrus Pampilonenſium Epiſcopus Canonicis regulariter viuentibus, in eadem ſede tam præſentibus quàm futuris, Eccleſiam beatæ Mariæ ipſius ſedis liberam dedi cum ſuis pertinentiis ac decimis, cum ſua radice & cum omnibus, quæ ad eam pertinent vel poſtea pertinuerint. Adieci etiam ad victum Canonicorum Archidiaconatum, qui circuit vrbem Pampilonam & molendinum ſuperius & inferius ad clauſtrum faciendum ac domos. Dedi quoque Eccleſiam de Tafallia ſanctumque* Romanum *, cum valle de Orba & Zabalcetam* Eccleſiamque *de Ouanos, cum valle de Itçarbe: linum quoque de quartis (quod eſt iuris* Epiſcopalis *) ad veſtitum conſtitui. Decimam verò de cunctis reditibus* Eccleſiarum *totius* Epiſcopatus *& de omnibus quæ* Epiſcopus *& Canonici habuerint, ad eleëmoſynam tradidi.*

RONCAVALLENSIS ædes primò à Sanctio Roſâ Pompelonenſi Epiſcopo, qui Alfonſo regnante florebat, in Xenodochij modum citra Pyrenæum ad ipſius montis radicem extructa eſt, quod indicat iſtud Innocentij II.

ſummi Pontificis diploma, nuper ab eodem Sandouallio publici iuris factum.

INNOCENTIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Vniuerſis Dei fidelibus; ad quos litteræ iſtæ peruenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Honor & reuerentia, quæ piis locis impenditur omnipotenti Deo procul dubio exhibetur: eleemoſyna, ſi quidem qui Dei noſtri opus interpretatur, ſi ſollicita conſideratione penſatur, non eſt donum ſed mutuum & quod Chriſti pauperibus miniſtratur, in præſenti ſæculo authorem ſuum adiuuat eique in futuro præmium æternæ retributionis apportat. Nos hoc nimirum intuitu venerabilis frater noſter Sanctius Epiſcopus Pampilonenſis in loco qui diciturRonceſualum ad ſuſceptionem pauperum atque peregrinorum, Hoſpitalem domum & Eccleſiam in honorem beatæ Mariæ pro ſua deuotione conſtruxit. Quam nimirum ab eodem Fratre noſtro, aliiſque deuotis viris honeſtè ditatam, ſub beati Petri Apoſtoli & noſtra protectione ſuſcepimus & cum omnibus rebus ſuis Apoſtolico priuilegio communiuimus. Quamobrem caritati veſtræ rogando mandamus atque in peccatorum remiſſionem vobis iniungimus quatenus à Deo vobis præſtitis ad eiuſdem loci ſuſtentationem opportuna ſubſidia tribuatis, hoc ſcientes quod omnibus benefactoribus eius totius Apoſtolicæ benedictionis gratiam impertimur & eos qui tam venerabilem locum infeſtare præſumpſerint, dignæ animaduerſionis ſententiæ ſubiugamus. Datum in territorio Anagnienſi ſecundo Nonas Maij.*

HVIC Xenodochio, vnum è Canonicis ſuæ Eccleſiæ, præfecit Sanctius, qui rem familiarem procuraret & egenis atque ęgris pręcipuè peregrinis, quę opus eſſent prouideret atque erogaret: fuitque initio ipſum Xenodochium in cenſu & patrimonio Epiſcoporum Pompelonenſiũ, vt ex reſcriptis ab Eugenio III. & Adriano IV.

Romanis Pontificibus, ad confirmandas & authoritate ſuâ ſanciendas pias largitiones eidem Eccleſiæ à quibuſlibet, quocumque tempore factas, latis continetur: ſed poſtea ad tutelam & procurationem Prioris & fratrum Monaſterij ſanctę Chriſtinę in Aragoniâ deuenit, vt ex ſimili reſcripto ab Innocentio III. in gratiam eiuſdem Monaſterij lato colligitur, vbi nominatim ipſiſmet Priori & Fratribus poſſeſſio Roncauallenſis Xenodochij confirmatur. Plurimis poſtea latifundiis, decimis & aliis poſſeſſionibus, munere Principum & nobilium aliquot locupletatum, tot in ſuam familiam ſacerdotes illexit, vt iam collegio conſtituendo ſuffecturi viderentur: Omnium maximè Sanctij Regis huius nominis vltimi, cognomento Fortis, munificentiam expertum eſt; eiuſque operâ & impenſis illam, quam modo oſtentat, amplitudinem & elegantiam conſecutum creditur: ideoque ipſius cineres & oſſa ſibi ſupremis tabulis demandata religioſè cuſtodit: Euoluto deinceps tertio decimo ſęculo, beneficio ſummi Pontificis, nouam collegij formam accepit, permiſſumque Priori & Canonicis, vt fructus Xenodochij inter ſe diuiderent, tertiâ tantum parte in vſum pauperum ſepoſitâ.

Collegium Decani & Canonicorum Eccleſię Tutelenſis, à Sanctio Rege, huius nominis vltimo, conſtitutum prędicat Garibaius lib. 24. cap. 1. Author tamen Chronici manuſcripti, cui titulus eſt, *Relation de la deſcendentia de los inclitos Reges de Nauarra &c.* qui regnantibus Ioanne Lebretio & Catharinâ Fuxiâ eius vxore vixiſſe videtur, id operis Sanctio Garſię, cui Sapientis cognomen inditum eſt, tribuit.

Diximus de Sacerdotum Collegiis, nunc celebriora Monaſteria peragranda ſunt, inter quę, ſi vetuſtatem & Regum

Regum affectus attendamus, iure ſibi primum locum vendicet *Legerenſe*, Sancto Saluatori ſacrum, parùm à *Sangoßâ* diſtans, ordinis quondam Benedictini, nunc Ciſtercienſis. Enecone Ariſtâ Rege conditum credidere nonnulli: eſſe tamen longè antiquius probat Antonius Yepes centuriâ 4. Chronici Benedictini ad annum Chriſti 840. cap. 2. Beatorum Martiani martyris & Epiſcopi Pompelonenſis, Nunilonis & Alodiæ virginum & martyrũ, necnon Virilis ipſiuſmet cœnobij Abbatis ſacræ Reliquiæ ibidem ſtudioſè conſeruatæ, loci ſanctitatem augent, eſtque plurimorum principum ſepultura nobile.

MONASTERIVM *Hiraxenſe*, Virgini matri dicatum ordinis adhuc Benedictini, paucis milliaribus abeſt oppido *Stellâ*: Illius primam originem qui à Garciâ Rege Sanctij maioris filio repetunt, æquè refelluntur ab eodem Yepê centuria 3. ad annum 815 cap. 1. Prudentius quoque Sandouallius in Catalogo Epiſcoporum Pompelonenſium prolatis tabulis piæ cuiuſdam largitionis, eidem à primariâ muliere, nomine Dona Elio, factæ, fuiſſe iam anno 928 celebre oſtendit; *Mondeleti* nomine deſignatur ab Alexandro III. Pontifice maximo, in quodam diplomate anno 1172. 8. Kal. Iul. eidem cœnobio conceſſo: B. Veremundi ſui alumni atque Abbatis, (cuius pietas regnantibus Sanctio Remireſio eiuſque filio Petro in Nauarra enituit) ſanctitate magnoperè illuſtratum eſt.

MONASTERIVM *Fiterij*, in confinio Nauarræ atque Caſtellæ poſitum, diu inter ambos Reges Nauarrum & Caſtellanum, ambigui iuris fuit: ſed tandem Guido Epiſcopus Portuenſis ſummi Pontificis in Hiſpaniâ Legatus, & arbiter honorarius ab Henrico Caſtellæ & Carolo Nauarræ Regibus conſtitutus, ſententiam ſecun-

dum Nauarrum dixit: Ad Sanctium Nauarræ Regem huius nominis vltimum Garibaius lib. 24. cap. 15. eius originem refert, in quo multùm à verò aberrat, vti ab eodem Yepê centuriâ 7. ad annum 1140. cap. 5. & à Chryſoſtomo Henriquez in Menologio Ciſtercienſi, pluribus eſt demonſtratum. Prima illius fundamenta non apud Fiterium, ſed in loco cognomento *Yergua* qui in Caſtellæ finibus eſt, iacta fuere auſpiciis Caſtellani Regis, labore verò & diligentiâ Durandi Cœnobitæ Scalæ Dei in Bigorræ Comitatu, qui in Hiſpaniam propagandi Ordinis Ciſtercienſis ſtudio tranſmiſerat. Ab *Yergua* rurſum tranſlata eſt hæc religioſa domus, in locum *Niençabas* dictum, & tandem *Fiterium*, ab Abbate Raymundo Calatrauæ Ordinis inſtitutore, qui ob eximiam pietatem & vitæ ſanctitatem, inter diuos cenſeri meruit: Fuit autem oriundus non Turiaſone, vt ſuſpicatur *Yepes*, ſed oppido ſancti Gaudentij Nebouſanenſis in Comitatu Conuenarum, vt ex ſequenti narratione conſtat, quam à Hieronymo Alauâ Fiterij Cœnobitâ pio iuxta ac harum litterarum ſtudioſo, accepi.

DE *causâ Calatrauæ quæ habetur inter Scalam Dei & Fiterium, nulli dubium eſt domum Fiterij eſſe filiam Scalæ Dei. Hæc autem domus Fiterij minùs cautè ſe contulit in Calatrauam, cum inconſulto & irrequiſito patre ſuo ſcilicet Abbate Scalæ Dei, de propria authoritate plenariò tranſtulerit, ſub Raymundo ſupradicto Abbate primo Fiterij, qui fuit ciuis ſancti Gaudentij: quæ quidem tranſlatio irrita haberetur, ſecundum formam & inſtituta Ordinis Ciſtercienſis, niſi pro parte dicti Regis Sanctij Caſtellæ & Ludouici Regis Franciæ & etiam Ducis Burgundiæ, ab vniuerſali Capitulo Ciſtercienſi confirmata fuiſſet, & ſimiliter à Calatraua Cirolis propria authoritate fuit tranſlata, & poſtea à Cirolis ad*

Corcolas, de Corcolis ad Buxetum, &c. & paulò pòſt. *Cum omnes iſtas domus ſicut filias hodie viſitat domus Scalæ Dei, inter hæc Abbas Scalæ Dei deſtitutam Fiterij Abbatiam de nouo inſtituit, ſibi à prædicto Abbate Raymundo quondam derelictam, conſtituendo de nouo ibi Abbatem: Illi verò monachi & fratres, qui de Fiterio iuerunt Calatrauam, ibi remanſerunt, nec vltra reuerſi ſunt ad Fiterium.*

MONASTERIVM *Oliuæ* in orâ Nauarræ quæ Aragoniam ſpectat poſitum eſt: Huius quoque conditorem iactat Garibaius eumdem Sanctium Regem, cognomento fortem ſeu incluſum, in quo pariter hallucinatur: fuiſſe enim diu ante conditum, temporibus ſcilicet Regis Garſiæ Ranimiri huius Sanctij aui, probatur proximo diplomate, quod ab alio Sanctio, prioris patre, Garciæ verò filio manauit.

IN *Chriſti nomine. Ego Sanctius Nauarrorum Rex ad honorem Dei qui honorantes ſe honorat, & ad ſalutem animæ meæ & remiſsionem meorum peccaminum & anima patris mei & matris meæ & parentum meorum offero & concedo & dono omnipotenti Deo & beatæ Mariæ Oliuenſi & Bertrando eiuſdem loci Abbati & fratribus ibidem Deo ſeruientibus tam præſentibus quàm futuris, in hereditatem villam quæ dicitur Carcaſtellum cum omnibus in ſe exiſtentibus vel ad ſe qualicumque modo pertinentibus cum omnibus terminis & pertinentiis ſuis, cum pratis & paſcuis & ſotis & aquis aquarumque meatibus, cum eremo & populatu, cum ingreſsibus & egreſsibus. Confirmo etiam huic donationi quidquid pater meus eis dedit, locum videlicet de Oliua, Enciſſam & Caſtellum nouum cum omnibus terminis & pertinentiis ſuis integriter & potenter. Omnia verò ſuperiùs comprehenſa bono animo & ſpontanea voluntate concedo & dono Domino & eius genitrici B. Mariæ Oliuenſi in hæreditate*

propria & franca & de meo iure & dominio trado ea omnia & transfero cum omni integritate in ius & dominium beatæ Mariæ Oliuenſis & venerabilis Bertrandi ipſius loci Abbatis omniumque ibidem Deo ſeruientium fratrum tam præſentium quàm futurorum ad habendum perenniter & retinendum ac iure perpetuo poſsidendum. Et qui ſuper hoc meum donatiuum fecerit vobis aliquam contrariam, perdat meum amorem & pectabit mille ſolidos. Signum Regis Sanctij. Ego Sanctius per Dei gratiam Rex Nauarræ laudo & confirmo Regnante me Dei gratia Rex in Pampilona & in Stella & in Tutela. Epiſcopus Sanctius in Pampilona Comite Vela in Alaua Rodericus Martinus in Maranon Petrus Rois in Stella & Calipienço Sancius Remirez in Leguin & in Sangoſſa Semen de Ayuar in Roncal Semen Aznariz in Tafaylla Sanz Ezquerra in ſancta Maria de Vns Martin de Leet in Petra-alta Aznar de Rada in Falces & in Balterra Petro de Aracuri in Logronio & in Tutela. Ego Exſimiuus per manum Petri ſcribæ Regis hanc cartam ſcripſi & hoc ſignum feci.

NEC eſt cur quiſquam dubitet, quin iſtud diploma Sanctij patris, non autem filij ſit: cum inter alia argumenta quæ id aſtruunt hoc vnum occurrat perquam certum & minimè fallax, quod inter ea oppida quæ à Principibus viris authore Rege poſſeſſa enumerantur in calce diplomatis, more illis temporibus recepto, Lucronium continetur, quod in Sanctij filij ditione numquam fuiſſe, fuiſſe autem in ditione patris, nullus eſt in Hiſtoricorum noſtratium lectione tam parùm verſatus qui neſciat.

AFFINGAM & aliud diploma ad confirmandam vetuſtatem huius Cœnobij, potiorem eâ quam illi Garibaius conceſſit: in quo & illud animaduerti oportet, hoc

ipſum Cœnobium Abbates Fiterij velut patres & auctores ſuos obſeruaſſe, inque ipſorum cenſu & dominio aliquamdiu fuiſſe: Præfert autem iſtud diploma editæ ſcripturæ diem 15. Kal. Octob. annum verò 1147: eſtque ab Eugenio Pontifice maximo conceſſum monaſterio Yerguæ, quod poſtea Fiterium tranſlatum fuiſſe ſupra monuimus.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis Raymundo Abbati de Yerguâ eiuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeßis PP. . . . quotiens illud à nobis petitur quod religioni & honeſtati conuenire dignoſcitur, animo nos decet liberè concedere & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Eapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus ac præfatum locum Yerguâ, in quo diuino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti priuilegio communimus ſtatuentes vt quaſcumque poſſeſsiones, quæcumque bona in præſentiarum iuſtè & canonicè poſsidetis, aut in futurum conceſsione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium ſeu aliis iuſtis modis Deo propitio poteritis adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Terram videlicet de Yerguâ cum decimis, paſcuis & ſuis pertinentiis, locum de Fitero cum decimis, paſcuis & pertinentiis; locum de Oliua cum terris, grangis, decimis, paſcuis & ſuis pertinentiis. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatum locum temerè perturbare aut eius poſſeßiones auferre vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſeruentur eorumque pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt vſibus omnimodis profutura ſaluâ ſedis Apoſtolicæ authoritate, & Diœ-*

cеſani Epiſcopi canonica iuſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſque perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò, tertiôve commonita ſi non ſatisfactione congrua emendauerit poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat & ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Albericus Oſtienſis Epiſcopus.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.
Ego Ioannes Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ nouæ.
Ego Sanctius Diaconus Card. S. Mariæ in Coſmedin.
Ego Humballd Preſbyter Card. tit. S. Ioannis & Pauli.
Ego Aribertus Preſbyter Card. tit. ſanctæ Anaſtaſiæ.
Ego Guido Preſbyter Card. H. Paſtoris.

Dat. apud Ciſtercium per manum Hugonis Preſbyteri Cardinalis agentis vicem Domini Guidonis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarij xv. *Kal. Octob. indict.* x. *Incarnationis* Dominicæ *anno* 1147. *Pontificatus verò Domini Eugenij Papæ* III. *Anno* III.

MONASTERIVM *Irançu* dictum, eiuſdem ordinis à Petro Paris Epiſcopo Pompelonenſi in gratiam Nicolai fratris, qui in Cœnobio Curiæ-Dei in Galliâ, huius Religionis voto ſe obſtrinxerat, inſtitutum fuit anno 1176.

MONASTERIVM *Vrdaxienſe*, vltra Pyrenæum in extremâ Hiſpaniæ orâ & in ipſo pœnè Galliæ veſtibulo,

collocatum eſt. De cuius conditæ tempore atque authoribus nihil certi habeo quod affirmem: Auguſtiniani fratres ibi olim domicilium habuere, iiſque anno 1210 ſucceſſere Patres Præmonſtratenſes, quibus etiamnum permanet ſtabilis & illibata huius cœnobij poſſeſſio. Non eſſe diuerſum ab Vrdaſpalenſi Monaſterio, cuius Eulogius in epiſtola ad Vuilieſindum Epiſcopum Pompelonenſem meminit, perſuaſit affinitas nominum Ambroſio Morali in ſcholiis ad eamdem epiſtolam & Antonio Yepes cent. 4. ad annum 840. cap. 2: ſed cum Hurdaſpalis nomen integrũ cum vetuſtæ ædis reliquiis ad noſtram vſque ætatem in valle Roncallenſi manſerit, quemadmodum obſeruauit Sandouallius in Catalog. Epiſcop. Pompelon. potior mihi huius ſententia videtur quam aliorum: quin nec monaſterium iſtud vſque adeo prouectâ vetuſtate eſſe crediderim, vt cum Eulogij ætate cohærere poſſit, præſertim cum in notitiis Epiſcopatuum & monaſteriorum, quæ ab hinc quadringentis circiter annis, in libris Cancellariæ Romanæ ſcriptæ reperiuntur, monaſterij Vrdaxenſis ſub Bayonenſi Epiſcopo (in cuius Diœceſi ſita eſt) mentio nulla exiſtat.

HORVM cœnobiorum Abbates in publicis prouinciæ conuentibus, qui nunc tertio quoque anno celebrantur, vnà cum aliis proceribus & præcipuarum vrbium legatis de Republica conſultant & in iis rebus quæ ad ipſius ſalutem & commodum ſpectant deliberandis, primi ſecundum Epiſcopos, priorem militum Hieroſolymitanorum & Roncauallis & Tutelæ Collegiorum Antiſtites, ſuffragium ferunt.

De nobilibus qui ſecundùm Nauarræ ordinem conſtituunt. Déque eorum muneribus & dignitatibus.

CAPVT IIII.

NOBILIVM inter Nauarros non eadem omnium dignitas neque par honoris prærogatiua, ſicuti nec vnica ſpecies fuit. Diſtinguebantur enim in *Infançones* ſiue *Hidalgos*; in *milites ſeu Caualleros aut Caueros*, in *meſnadarios* (quos ſtipendiarios vocare poſſumus) & in *Ricos homines*, id eſt, diuites, quos Latinâ linguâ *Barones* nuncupabant. De his omnibus copioſè diſſeruit *Hieronymus Blanca* in Aragonenſium rerum commentariis. Vocabulum *Rico* fuere, qui à duabus vltimis ſyllabis nominum propriorum Gothorum aliquot Regum, quæ in *Ricus* cadebant, deducerent, quæ notationis ratio Ambroſio Morali lib. 3. cap. 5. meritò diſplicuit, quantumuis eidem Blancæ arriſiſſe videatur; Ego cum Latinam *diuitis* vocem apud Marinum Sanutum, vulgarem quoque *Rici* apud Ioinuillæum, in Hiſtoriâ Ludouici noni Francorum Regis, item apud Interpretem veterem legum à Iohanne Rege Angliæ Baionenſibus ciuibus conceſſarum, qui eas à Latino in Gaſconicum vertit, vſurpatas reperiam, pro viro præpotenti & ex eorum numero, quos optimates vocamus: non aliunde *Ricorum* hominum nominis originem petendam eſſe exiſtimauerim, quam à communiſſimo vocabuli *Ricus* intellectu, quo vir multarum opum & facultatum copiâ inſtructus deſignatur. Solebant enim Nauarræ Reges è numero potentiſſimorum & locupletiſſimorum equitum Regni ſui quoſdam ſeligere, quibus conſultoribus

in

in rebus arduis & magni momenti decernendis & adiutoribus in bellis gerendis vterentur. Horum etiam fidei munitiſſimas arces, atque oppida concredebāt, illorumque cenſus ac vectigalia ſæpè cum iuriſdictione iiſdem honorarij nomine largiebantur, quæ Latinè *militiæ*, vulgari autem verbo *Caualleriæ* nuncupabantur. Horum Ricorum naturam his verbis declarat Alfonſus Caſtellæ Rex cognomento Sapiens in legibus Partitarum lib. 6. tit. 9. part. 2. *Los nobles ſon llamados en dos maneras: o por linage o por bondad E como quier que el linage es noble coſa, la bondad paſſa e vence: mas quien las ha ambas, eſte puede ſer dicho en verdad, Rico ome: pueſque es Rico por linage e ome complido por bondad è ellos han à conſeiar al Rey en los grandes fechos e ſon pueſtos para fermoſear ſu corte e ſu Reyno.* Sed planius adhuc Ricorum ſeu Baronum munia aperit caput 1. lib. 1. veteris iurís Nauarrici hoc modo. *Et que Rey ninguno que no obieſſe poder de Fazer Cort ſin Conſeyllo de los Ricos ombres naturales del Regno ni con otro Rey o Reyna guerra nin paz nin tregua non faga ni otro granado fecho o embargamiento de Regno ſin Conſeyllo de doze Ricos ombres & doze de los mas antianos ſabios de la tierra.* Et paulò pòſt. *Et los doze Ricos ombres o ſabios deben iurar al Rey ſober la Cruz & los Euangelios de curarle el cuerpo & la tierra & el pueblo & los fueros ayudarli à mantener fielment & deuen beſar ſu mano.*

TALES autem Barones ſiue Ricos à Regibus Hiſpanis creari ſolitos, huiuſcéque creationis inſigne & veluti notam aut ſymbolum fuiſſe vexilli & aheni ſeu tympani (vulgò *pendon y caldera*) traditionem, annotauit Hieronymus Gudiel, in ſuo de familiâ Gironiâ commentario, quod à Regibus Nauarris obſeruatum ſit nec ne, non habeo quod affirmem: niſi quod in formulis harum

creationum quæ adhuc extant, & quarum vnam aut alteram hic apponam, nullum huiuſmodi ritus veſtigium apparet.

CHARLES *par la grace de Dieu Roy de Nauarre Comte d'Eureux. A totz ceux qui ces lettres verront, Salut. Sçauoir faiſons que nous conſiderans le bien, honneur, proüeſſe & ... de la perſonne de noſtre amé & feal Pierre de Luxe Eſcuyer, & auſſi les bons & agreables ſeruices que faits a à nos predeceſſeurs & à nous au temps paſſé, & eſperons que il face au temps à venir, voulans honorer ſa perſonne & accroiſtre ſon eſtre ycelli auons fait creé & ordoné, faiſons, creons & ordenons par ces preſentes Ricombre de noſtre Royaume aux profitz nobleces & emolumentz acoſtumez de ancien. Si mandons à totz nos ſujets que led. Pierre tignent & obeyſſent comme à Ricombre. Et auſſi mandons à noſtre Threſorier de Nauarre qui ores eſt & qui par temps ſera, que audit Ricombre paye & rende chaſcun an dores en auant ladite Ricombrie, & nous donnons en mandement à nos amés & feaux gens de nos Comptes, que ce que il leur apperra eſtre payé pour la cauſe deſſus dite ils alloent en leurs comptes & rabatent de ſa Recepte. En teſmoing de laquelle choſe nous auons fait mettre le ſeel à ces preſentes. Donné à Pampelone le* XXVI. *iour de Iuin* 1350. *Par le Roy en ſon Conſeil Robert.* Hæc in gratiam eorum qui Gallicæ linguæ ignari ſunt, ſic Latinè vertimus.

CAROLVS *Dei gratiâ Rex Nauarræ Comes Ebroicenſis, Vniuerſis has literas inſpecturis Salutem. Nos conſideratis bonis, honore fortitudine & . . . perſonæ dilecti noſtri & fidelis Petri Luxij nobilis Scutarij & etiam bonis & gratis operis quas maioribus noſtris nobiſque impendit antehac eumque inpoſterum impenſurum ſperamus, eius perſonam honore afficere & ſtatum augere cupientes: illum fecimus, creauimus*

& conſtituimus; facimus, creamus & conſtituimus his litteris Ricum hominem noſtri Regni Nauarræ commodis, honoribus & emolumentis ſolitis ei præſtandis. Mandamus vniuerſis ſubditis noſtris vt eumdem Petrum pro Rico homine reputent eique pareant. Item Theſaurario noſtro Nauarræ nunc exiſtenti & deinceps futuro vt eidem Rico homini ſoluat & præſtat ſingulis annis deinceps dictam Ricombriam aut ab aliis ſoluendam & præſtandam curet modo ſolito. Item dilectis & fidelibus noſtris fiſcalium Rationum præfectis vt quod eis in eam rem ab ipſo ſolutum conſtiterit, id ei in expenſum referant & de ſummâ accepti detrahant. In cuius rei fidem his litteris ſigillum noſtrum apponi iuſſimus. Datum 26. Iunij 1350. Per Regem eiuſque Conſilium Robertus.

Ex alterâ formulâ, quæ ſequitur, illud præterea colligitur, moris fuiſſe Regibus cum primùm Coronam Regiam & gubernacula Regni aſſumpturi eſſent, aliquot Ricos creare, honorarium item Ricorum ſenis militiis conſtitiſſe, quæ tamen non rarò à Principe ad nutum augebantur.

CHARLES *&c. Comme nous au temps de noſtre Couronement euſsions crée pour Ricombre de noſtredict Royaume au noble & noſtre bien aymé Arnault Ramon de Gramont & à ſa ſupplication les ſix Caualleries que luy auons donné & octroyé en honeur come à Ricombre auons ordoné qu'il les reçoyue en la maniere qui s'enſuit : c'eſt à ſçauoir que ledict noble ayt pour maniere de tribut pour tant qu'il nous plaira noſtre ville de la Baſtide & les confiſcations & les meubles & rentes, &c. Faict en Septembre* 1350. quæ Latinis verbis ſic expreſſimus.

CAROLVS *&c. Cum nos tempore quo Coronati fuimus creaſſemus in Ricum hominem Regni noſtri nobilem & dile-*

ctum noſtrum Arnaldum Raymundum Gramontanum & ipſius rogatu ſex militias ſeu Cauallerias quas ei dedimus & conceſsimus honoris ſeu honorarij nomine, tanquam Rico homini, placuit nobis vt reciperet modo inſequenti. Nimirum vt idem nobilis habeat ad inſtar tributi, quamdiu nobis libitum fuerit, vrbem noſtram Baſtidæ, item comiſſorum noxas ſeu confiſcationes, res mobiles & reditus &c. Datum menſe Septembri anno 1350.

MESNADARII à *meſnada* (quæ vox à *meſonada* contracta eſt deriuaturque à Latino vocabulo, *manſio*) nomen habent, videntúrque ſic dicti tanquam domeſtici Principis, aut in eius familiam cooptati: Poſterioribus enim ſæcu lis *manſionis* vocabulum, pro domo vſurpatum fuiſſe pauci ignorãt & euincit hodiernus Gallicæ & Hiſpanicæ linguæ vſus. Hi autem *Meſnadarij* accepto ab ærario Principis annuo ſtipendio eoque plerumque ad vitam continuato eidem bellum paranti præſto eſſe & ad ipſius nutum in caſtris morari ac militare adigebantur eâque re maximè ab aliis nobilibus differebant, quibus poſt tranſactum à lege præfinitum tempus, è bello diſcedere impunè licebat, vt ex hoc capite fori ſeu iuris veteris Aragonici patet.

Les Infançons an for ab lo Rey que vayan ab el à bataylla campal o à ſon Caſtel, ſi ſe li alçan en ſa terra Et cant aſsi yran ab pan de III *dies & ſi plus demoren en oſt lo Rey les a donar lurs obs altres* III *dies & del plus en la volontat dels Infançons es deſtar hi, hora aquels qui ſon Mayſnades o ſoldades.* Id eſt, *Hoc iure vtuntur infançones ſeu nobiles cum* Rege, *vt cum eo ad prælium procedant aut ad eius caſtrum ſi quis contra eum in* Regno *inſurrexerit & tunc cum commeatu tridui progredientur: & ſi diutius in exercitu morentur* Rex *eis neceſſaria adminiſtrare debet altero triduo, ac deinceps in*

arbitrio Infançonis vel nobilis erit ibi immorari, exceptis iis qui Meſnaderij ſeu ſtipendiarij ſunt.

MESNADARIORVM munus magnâ ex parte video expreſſum proximâ formulâ, ſuperioribus ſæculis in inſtitutione cuiuſdam Meſnadarij adhibitâ, quam è codice Forenſium Actorum illorum temporum (Regeſtum vocant) excerpſi, vbi cum hac inſcriptione, *Lettre de gratie de Meſnade*, id eſt, *tabulæ conceſſæ Meſnadæ*, legitur.

KARLOS *por la gratia de Dios* Rey *de Nauarra Comte d'Eureux à todos quantos las preſentes lettras veran ni odran Salut faſemos ſaber que nos conſiderando los bonos & agreables ſeruicios que el noſtro amado Guilielmo Arnalt de Belçunce eſcudero à fecho à noſtros predeceſſores & à nos en lo tiempo à venir abemos dado & otorgado, damos & otorgamos por tenor de las preſentes la meatat del molino de Beotegui & la diezma de la otra meatat del dicho molino con cinqoanta & quatro ſueldos morlanes del cei manage à nos deuido en la villa de ſant Pelay al dia de Quaſimodo à tener toda ſu vida & no mas en manera que daqui adelant eylh ſea tenido de nos ſeruir el miſmo con vn ombre de cauallo bien armado por eſpacio de quoaranta dias enſemble o por... à ſus proprias meſsiōs & expenſas à deffenſion del noſtro* Re*gno dentro del dicho* Regno *o de fuera... en tiempo de guerra o de paz en viſtas de .... o en caualguadas & en todo otro caſo quoalquiere.... por el quoal por nos o noſtro logartẽ por noſtro gouernador o por otro de noſtro mandamiento li ſera mandado & ſi mas adellant del dicho tiempo queriemos ſu ſeruicio nos li dariamos tales..... que à los otros fidalgos del* Re*gno qui ſemeylabe ſeruitio no farian..... Guilielmo Ard meter & tener el dicho molino & ſus preſas en eſtado deuido & .... obras que à nos perteneſce fazer en aqueyllos*

meyllorando & no apeorando de manera que depues ſus dias nos viengua en tan bon eſtado o mejor como agora el dicho molino . . . . . . Pero Santz de Sanpelay por pretio de viente libras cadayño Empero no ñra intencion es que por eſte ſeruicio que tenido nos es de fazer en eſpecial eylh ſea exempto de nos faſer aqueylhas prouiſiones en que eylz & los otros fidalgos de noſtro Regno en general nos ſon tenidos de faſer cada que el caſo aueniere è ſi por auentura contecia que el dicho Guillem ouieſſe defayllido de faſer las coſas ſobre dictas o menoſpretiando los noſtros mandamientos del noſtro logartenient del noſtro gobernador o otro de noſtro mandamiento tarzaſſe o no quiſieſſe complecer aqueyllos & ſeruir como dicho es queremos & nos plaze que noſtra preſente donation no le valgua, mas li ſea tirada del todo, è torne à noſtra mano & deſagora por entonz por tenor de las preſentes len priuamos Datum en Tudela primero dia de Março anno 1350. Par le Roy *Tauen̄.*

INTER nobiles omnes eminebat, ne Ricis quidem aut Baronibus exceptis, qui Vexillarij Regij munus gerebat, *Alferiz* vulgo dictus, à voce Latinâ Aquilifer, quæ Vexillarium denotabat, ob inſigne Aquilæ Romanorum Imperatorum vexillis imponi ſolitæ. Huius partes erant Regis vexillum in bello præferre: fuiſſe antiquiſſimam hanc Vexillarij dignitatem & in ipſius Regni primordiis & velut incunabulis enatam, citra dubium eſt: ſiquidem Inico Xemenoni Regi (qui, etſi haud primus, vt quibuſdam non infimi ſubſellij ſcriptoribus eſt viſum, primis certè Regibus proximus ætate ac imperio fuit) veteres tabulæ cœnobij Legerenſis anni 839, à Sandouallio in catalogo Epiſcoporum Pompelonenſium recitatæ, Vexillarium tribuunt ſeu Aquiliferum, vt ibi dicitur, Ignatium de la Lane: Vetuſtus etiam codex legum Nauarricarum, cap. 1. lib. 1. Regi eligendo neceſſitatem

imponit Vexillarij inſtituendi: *Et el Rey que aya ſieyllo para ſus mandatos & moneta iurada en ſu vida &* ALFERIS ET SEYNNA CAVDAL. Manſit hæc dignitas ad tempora vſque Ioannis Aragonij, qui Blancæ vxoris nomine Nauarram rexit: at hoc regnante, Carolo Beaumontio Vexillario vitâ functo, ceſſauit; inque eius locum inſtitutum eſt munus Conſtabularij, illudque Ludouico Beaumontio Caroli filio, (cui Ioanna Blancæ ſoror, non tamen ex legitimo nata coniugio, nupſerat) collatum eâ lege, vt filio natu maximo ex hoc matrimonio procreando, velut hæreditario iure cederet: cui legi non ſua defuit authoritas, ſi quidem in Ludouici poſteris Ducibus, ſcilicet, Aluæ, qui affinitatum nexu in Belmontiam familiam ſe inſeruerunt, durat adhuc Conſtabularij dignitas.

MARESCALLI munus, vixdum antea in Hiſpaniâ cognitum aut receptum, primus in Nauarrâ adminiſtrauit Martinus Enriquez Lacarranus, alterius Martini Henriquez (qui Carolo II. in Nauarrâ regnante, Vexillarij officio ſummâ cum laude functus erat) filius: in cuius gratiam tum primum à Carolo III. inſtitutum fuiſſe crediderim, qui deinde extincto Lacarrano eamdem dignitatem conceſſit Gotofredo ſuo naturali filio, Corteſij marchioni: Hic autem poſt patris obitum, cum à ſorore Blancâ & ab eius viro Ioanne Aragonio defeciſſet ad Caſtellanum Regem, dignitatem ſimul cum omnibus bonis quæ in Nauarræ Regno poſſidebat, amiſit. Mareſcalli itaq; munus poſtea Philippo Nauarro Leonelli filio datum eſt, in cuius poſteris atque familiâ diu velut hæreditarium manſit, donec tandem deficiente ipſius ſtirpe ad Lacarranorum Ablitenſium familiam, veluti iure poſtliminij rediit. Rurſus Lacarrano ſine liberis mortuo,

Philippus quartus Hiſpaniæ Rex Marchioni Falceſio, qui è Peraltarum genere eſt, illius muneris gratiam fecit.

De Concilio ſeu Conuentu publico trium ordinum Nauarræ: & quibus de rebus in eo ageretur. Item de ritu Regum inaugurandorum.

CAPVT V.

CONCILIO locum & diem indicere, Regis erat, aut ſi is è Regno abeſſet Regis iuſſu ipſius Legati, ſeu Vicarij. Alterutrius itaque accitu ad locum deſtinatum confluebant Regni Antiſtites, Barones aliique nobiles & præcipuarum vrbium legati. Indicendi cauſa aut ſolemnis & ordinaria aut fortuita & extraordinaria erat. Primi generis Concilium celebrabatur quotannis vel altero aut tertio quoque anno conformandæ Reipublicæ cauſâ, ipſiuſque idoneis legibus ac inſtitutis componendæ, nam ſi quid à Iudicibus, Magiſtratibus aut Regiis Præfectis, in iure dicendo aut in aliis ad officium ſuum pertinentibus peccatum, aut contra ius & conſuetudinem regionis factum eſſet, ſi quid etiam à Rege in fraudem innatæ populo libertatis ac immunitatis, aut contra mores vſu receptos admiſſum, illicò, expoſtulante Curiâ emendabatur, & inſuper nouâ lege, ſi res exigeret, ne quid ſimile fieret in poſterum cauebatur. Ea verò quæ dubia aut controuerſa inter Regem ac Ordines relinquebantur, honorariis arbitris ab vtrâque parte ſelectis delegabantur, causâ cognitâ ipſorum iudicio aut arbitrio finem habitura. His peractis, antequam Curia dimitteretur, vniuerſi Ordines Principi vltrò ſummam pecuniæ

pecuniæ muneris titulo offerebant, eaque ſubinde viritim conferebatur: quæ pro honore accepta, etiam neceſſitatibus ſubueniebat, vſitato iam multis ante ſæculis apud alias gentes more, vt de Germanis Tacitus, de Francis Fredegarius & Auctores vitæ Ludouici Pij, ſcriptum reliquere. Parciùs hoc initio factum comperio à Nauarris, aut nouo Regi gratulantibus, vel vrgente Principem rei familiaris anguſtiâ, aut ſi dos filiæ dicenda foret, vel efflagitantibus ſumptum ſolito maiorem bellis: ſed poſtea ſeu auaritia, ſeu continuata latè neceſſitas Principum, rarum hoc & voluntarium erogandi officium in anniuerſariam conſuetudinem vertit. Quód ne populo fraudi eſſet, Carolus Rex huius nominis tertius, concederent ne an denegarent huiuſmodi munera, id totum in Ordinum & populi arbitrio ac nutu ſtare, neque Principi ius eſſe quicquam ab inuitis exigere, tabellis obſignatis profeſſus eſt, quas huic loco non alienas duximus.

KARLOS *por la gracia &c. Fazemos ſaber que los tres eſtados de noſtro Regno al dia de oy data de las preſentes à noſtra requeſta è rogaria nos an otorgado gratioſement para ſoſteniemento de noſtro eſtado la impoſition de noſtro Regno & quatro coarteres por aynno para el tiempo de quatro aynnos complidos començaderos primero dia d'Abril primero venient con las gratias acoſtumbradas & otras que nos abemos fecho por releuamiento de noſtros pueblos & ſingulares de aquellos en tal manera que dos coarteres coxederos en eſte aynno preſent que nos eſtan otorgados por los dichos eſtados. ayan à ſer compreſos en los primeros quatro coarteres que ſe deurian cuillir en el primer aynno & por quanto empues que nos viniemos al gouernamiento de noſtro Regno cada aynno auemos lleuado de aquel la dicha impoſition entegrament & coarteres quando*

mas quando menos & algunos podrian dezir que por nos auer leuado en noſtro dicho Reyno en tan luengo tiempo la dicha impoſition & coarteres nos & noſtros ſucceſſores Reyes de Nauarra que empues nos ſeran podriamos alegar contra los dichos eſtados drecho de preſcription o otro drecho. Nos queriendo que por eyllos auer nos ſeruido & dado gratioſament de lo ſuyo en todo noſtro tiempo no ſean preiudicados & donde merecen auer premio no ayan à conſeguir daynno por eſto por eſtas noſtras preſentes letras declaramos & certificamos que los dichos eſtados de noſtro Regno empues que nos viniemos al gouernamento & regimento de aquel ſiempre & cada vn aynno nos han otorgado los dichos impoſition & coarteres à noſtra grant requeſta & rogaria & no por otro drecho que nos ayamos de tomar è leuar aquellos ni partida daquellos, queremos que por eſto à los dichos eſtados non ſea nin pueda ſeguir preiudicio alguño en ſu drecho ni nos ni noſtros ſucceſſores podamos ni puedan aleguar en leuar los dichos impoſition & coarteres preſcription ni otro drecho alguno, en tiempo alguno, en alguna manera &c. Dado en Tafailla à 22. de Marco 1424. Por el Rey y ſu grand Conſeyllo Eſtella.

TALIS fuit Reipublicæ facies, ſtante olim Nauarrorum Regno; nam poſt exactos Reges, Regnumque ipſum à Caſtellanis Principibus in Prouinciæ formam redactum, COEPERE RES, EX INSITA FERÈ MAGNÆ POTENTIÆ PRINCIPBVS INDOLE, NON MINVS EX ARBITRIO REGVM, QVAM EX AVTHORITATE LEGVM PENDERE.

EXTRA Ordinem Concilium indicebatur, cum inſolitum aliquid & ſubitum incidebat, quod Ordinum conſilio decernendum, aut ſuffragio decidendum eſſet. Tunc enim, ſi multum adhuc temporis ad ſtatum vſque ſolemnium comitiorum tempus ſupereſſet, neque na-

tura negotij tantam moram ferret, litteris Principis aut eius Legati euocabantur Ordines, de ipſo negotio ſuffragium inituri. Cauſæ autem euocandi videntur ad tria hæc capita poſſe reuocari. Primum, ſi repentinum aliquod bellum ingrueret, aut aliàs periculum graue Reipublicæ immineret, cui ſummouendo ac propulſando, ſolus Princeps ægrè ſufficeret. Alterum, ſi negotij de quo agebatur conditio, ſingulari iure ad Curiam ſpectaret, vt olim in cauſâ Reginæ Muniæ Maioræ vxoris Sanctij Maioris contigit, quæ cum à propriis liberis adulterij rea facta eſſet, congregata ad hanc rem Curia inter matrem ac liberos ius dixit, vt pluribus narrat Rodericus Toletan. lib. 5 cap. 26: Regnãte etiam Philippo Pulchro cum Ioannâ Nauarrâ eius vxore, anno ſcilicet 1301. Iudicium teſſeræ ſingularis certaminis, à Martino Ayuario coram Rege, Fortunio Almorauido oblatæ, ad Curiam ſeu Concilium Nauarræ pertinere pronunciatum eſt, vt Pronunciati tabulis conſtat quæ in Tabulario Regio Pariſienſi aſſeruantur. Tertium erat, cùm Rege vitâ functo, aut aliàs in adminiſtratione Regni deficiente, nullis ſuperſtitibus liberis legitimis, aut qui ſupererant, minus Regno gerendo idoneis, nouus Rex eligendus erat: tunc enim neceſſariò ad Comitia ſeu conuentum Ordinum res redibat: Prout Fortunio regnante factum nouimus: Cum enim is, circa annum 894, abiectâ Reipublicæ curâ Legerenſi Cœnobio ſe abdidiſſet, Nauarræ Proceres Fortunij liberis, quos ex Aureâ vxore ſuſceperat, inſuper habitis, ad Sanctiũ ipſius fratrem animum adiecerunt, eumq; virtutis ergo, vt refert Çurita ex veteribus monumentis, ad Regiam dignitatẽ euexerunt. Rurſus Sanctio Rege, Garſiæ Najarenſis dicti filio, in *Pennaleni* perfidiosè interempto, Nauarri Sanctium Ra-

mires Aragonenſem Regem, in locum demortui ſublegerunt, vt narrat vetuſtus Author Hiſtoriæ Aragonenſis, apud Ioannem Brizium Hiſtoriæ Pinnatenſis lib. 3. cap. 8, nullâ filiorum defuncti neque fratrum ratione habitâ. Poſtremò extincto abſque liberis Alfonſo Rege Sanctij Remirez filio, iidem Nauarri, Ramirum Monachum Alfonſi fratrem, (cui Aragonenſes Imperium detulerant) auerſati, Garciam Ramireſium Regem renuntiarunt, vt à Roderico Toletano lib. 5. cap. 24. & aliis Hiſpanicarum rerum ſcriptoribus eſt proditum: Extantibus autem Regis vitâ functi liberis Regno gerendo non ineptis, nihilominus Comitiis opus erat, quibus Rex deſignatus inauguraretur, & ſolemnis ritus mutui ſacramenti, inter eum & populum præſtandi, perageretur: qui ritus quoniam antiquiſſimus erat apud Nauarros, & in ipſis Regni primordiis inſtitutus, ac formam quamdam Reipublicæ conſtituendæ continebat, illum hîc pluribus explicandum cenſui, non tam meis quàm cuiuſdam Nauarræ Gubernatoris verbis (Clementem Abeneum fuiſſe coniicio) in epiſtolâ quadam, olim Philippo Audaci Franciæ Regi Nauarrici Regni tutori, miſsâ ſic expreſſum.

MON *tres-cher Seigneur, la couſtume & li vſages dou Royaume de Nauarre eſt telle entre le Roys & le Nauarrois, que quand le Roys vient pour eſtre Roys, Conuiant li Sires ou cil qui tient ſon lieu, mande à vn iour certain tel comme il plaiſt au Seigneur, les Prelats de la terre & les riches hommes & des Cheualiers ce qui li ſemble raiſon, (car aſſez en y vient ſans mander) & fait aſçauoir as bonnes villes que elles y enuoyent de leurs gens & qu'ils ſoient à Pampelune au iour qu'il mande: & celuy iour ou lendemain, lequel qu'il plaiſt au Seigneur, il & tuit vont à l'Egliſe Noſtre-Dame Cathe-*

drale de Pampelune & enqui deuant l'autel, li Nauarrois le requierent que il iure ſur Saints qu'il les mainterra à leurs bons fuers & à leurs bonnes couſtumes: & encore li requierent que il iure à tenir la monnoye qui eſt à tel temps ſans faire autre duſque à douze ans & den qui en auant n'en face que vne en toute ſa vie: & encores li requierent que les forces que ſes peres ou ſes ayeuls ou ſes beſayeuls firent à tort, ſoyent defaites par eſgart de preudhes hommes qui y ſeront mis par le Roys & par aus par accort, c'eſt à ſçauoir pour le Roys & pour le Prelas & pour le Gentils-hommes, Cheualier, Gentils-homme doiuent eſtre mis qu'ils iurront qu'ils feront bien & loyaument: & deuant ceux venront li demandeur & li procureur le Roy pour monſtrer ſon droit: & oyes les raiſons & les defences, li Cheualiers qui ſeront mis & qui orront, iugeront, & ce qu'ils iugeront doit eſtre tenu, mais que li Roys ne truiſſe fauſſeté & en telle moiſmes maniere, li Roys & cil des bonnes villes metteront hommes des bonnes villes par accort pour ce meſmes faire. Et encore li requierent, que cil qui ſont fors de Nauarre banni ou autrement, ce ne ſont cil qui ſont iugie pour trahiſon, ou s'il ne ſont fors pour fame efforchier, ou pour briſier chemins & rober, ou pour tres grands maux-faicts, ſoyent rappellez & puiſſent entrer ou Royaume, donnant pleige & ſeurté d'amende faire à tous ceulx qui dans ſe plaindront: & ce meſmes requierent il des priſonniers, ſe aucuns en y a. Et quand li Roys a ce octroyé & ce iuré, il le mettent tuit ſuz vn eſcu & le lieuent haut & dient tuit, Rois, Rois. Et ce faict, li Rois s'en va à ſon hoſtel & chaſcun au ſien & va chaſcuns l'au il veut: ne autres feautes, ne autres hommages li Roys ne reçoit des Nauarrois, ne il plus de luy que dit eſt.

HANC epiſtolam ex veteri libro manuſcripto Regij Tabularij Pariſienſis, eruit pridem Petrus Pithœus, vt in ipſius ſchedis videre contigit, mihi à Clariſſimo viro

P. Puteano communicatis, eamdem poſtea edidit Gabriel Chapuiſius in calce Hiſtoriæ Nauarricæ Gallicâ linguâ à ſe anno 1596 conſcriptæ, à Pithœo ſibi traditam, vt ipſe profitetur, ſed aliquot mendis vitiatam, nos autem illam ex ipſius Pithœi ſchedis ſincerè deſcriptam ſic ferè ad verbum Latinè reddidimus.

MI *cariſſime Domine, conſuetudo & vſus Regni Nauarræ huiuſmodi eſt inter Regem & Nauarros, quod cum Rex accedit Regnum aſſumpturus, conuenit Domino vel ei, qui illius vicem gerit iubere adeſſe die certâ ad Domini arbitrium Antiſtites regionis, diuites ſeu Ricos homines & ex Equitibus quotquot ei viſum erit (multi enim accedunt non vocati) ſignificatque bonis vrbibus vt mittant quoſdam è ſuis ciuibus vt ſiſtant ſe Pompelonæ conſtitutâ die, eâque die aut poſtridie, prout Domino libitum fuerit, ipſe & omnes Eccleſiam Pompelonenſem Virgini Matri ſacram adeunt, ibique pro arâ, Nauarri rogant vt iuret per ſacroſancta ſe iis bonos foros ſeu leges & bonas conſuetudines conſeruaturum: Ad hæc rogant vt iureiurando promittat ſe rem nummariam qualis tunc temporis erit, talem ſeruaturum, neque citra duodecim annos aliam conſtituturum, nec deinceps niſi vnicam quamdiu vixerit. Rogant inſuper, vt quæ per vim atque iniuriam à ſuis parentibus, auis aut proauis acta fuerunt, emendet arbitrio proborum virorum à Rege & ab ipſis concorditer eligendorum, ſcilicet pro Rege & Antiſtibus atque Nobilibus ex Equeſtri aut Nobilium Ordine eligendi ſunt, qui iurati promittent ſe ritè & ex bona fide iudicium acturos, & ad eos accedent Actor & Regius cognitor vt quiſque de iure ſuo doceat & auditis rationibus atque exceptionibus Equites qui ſelecti fuerint & de re cognouerint, iudicabunt & quod ab iis iudicatum fuerit ſeruari debet, dummodo Rex fraudem non deprehendat, eademque ratione Rex & oppidani bonarum vrbium ſeligent communi conſenſu ali-*

quos ex oppidanis bonarum vrbium, idem præſtituros. Praterea rogant, vt, qui extra Nauarram relegati aut extorres agerent, niſi ſi qui proditionis aut ſtupri per vim illati aut graſſationis ac alicuius alterius grauis ſceleris damnati fuerint, reuocentur, eiſque fas ſit Regnum ingredi, datis fideiuſſoribus & præſtitâ cautione de ſatisfaciendo quibuſlibet ſecum iniuriam expoſtulaturis. Idipſum rogant in gratiam eorum qui carceribus detinentur, ſi qui extiterint; & cum Rex hæc cōceſſit, ac iuratus promiſit, vniuerſi illum ſcuto imponunt atque extollunt &, Rex, Rex, conclamant. Tum Rex Palatium ſuum repetit, recedunt & alij quocumque libet, nec alias obſequij aut clientelæ profeſſiones Rex accipit à Nauarris, nec ij ab eo plus quicquam his quæ dicta ſunt.

SOLAM hæc præfert epiſtola, ſacramenti à Rege præſtandi formulam, ſed nos viciſſim mutui iuriſiurandi ab Ordinibus reddendi concepta verba aliunde ſupplebimus, ex actis nimirum, inaugurationis Caroli III. quæ tali ſermonis ſerie in Archetypis Tabulario Regio Palenſi Principatus Bearnenſis, contentis conſcripta ſunt.

Nos *Barones Nauarræ nomine noſtro omniumque militum & Infancionum Regni iuramus ſuper hanc Crucem & ſancta Dei Euangelia à nobis manualiter tacta, ſeruare & fideliter defendere veſtram perſonam & veſtram terram & vos iuuare ad ſeruandos & defendendos foros totis viribus noſtris*. Idem fiebat ab Antiſtitibus & à delectis oppidanis vrbium primariarum.

HVIC deinde ritui acceſſit ſolemnitas vnctionis, auctore ſummo Pontifice, à Carolo II. primùm celebrata, vt ex ipſius teſtamenti tabulis colligitur, eodem tabulario reconditis. Idem tamen antea tētatum fuiſſe à Theobaldo II. didici ex his epiſtolæ ſupra ex parte recitatæ verbis. *Et li Roys Thiebault, Sires, li fils pourchaſſa à Rome*

qu'ils fuſt enhuins & ſacrez & coronez & moult vourroient cil dou pays, que noſtres Sires voſtre fils le fuſt s'il vous plaiſoit, id eſt, Rex *Theobaldus, filius, Domine, proſequutus eſt* Romæ *vt inungeretur, conſecraretur & coronaretur, & magnoperè cuperent indigenæ, vt de filio tuo Domino noſtro id fieret, ſi tibi id libitum eſſet.*

Adiecta ſunt præterea poſtremis temporibus alia: nimirum enſis, ſceptrum, Corona aurea & Pomum aureum, quæ ſigillatim Reges ex arâ ſacrâ aſſumentes, Coronam quidem capiti applicabant, Enſem verò lateri, quem è vaginâ eductum, ſublatumque, & manu concuſſum; rurſus eâ recondebant: Sceptrum autem alterâ manu, alia Pomum aureum tenebant, vt Actis inaugurationis Ioannis II. & eius vxoris Catharinæ, à *Paſquiero* in Codice legum Nauarricarum, cui, *Recopilation de las leyes de Nauarra*, titulum fecit, inſertis fuſiùs continetur.

De diuerſis Nauarræ Iudiciorum Tribunalibus: item de eâ iuriſdictione, quam Hermandatum vocant, & de Nauarrorum moribus.

Capvt VI.

Qvoniam ſuperiori capite cauſas aliquas, de quibus cognoſcere publici Concilij erat, ſtrictim attigimus, nunc locus hic poſtulat, vt alia Nauarræ iudicia leuiter delibemus. Erant, non ſingulis tantùm oppidis & præfecturis, ſed vicis etiam & pagis, ſui iudices ordinarij *Alcaldi* dicti. Horum alij perpetui, alij annui, alij triennes erant: Alij rurſus à populo eligebantur, à Rege deinceps aut eius Vicario confirmandi: Alij verò ab alterutro iſtorum iudicandi facultatem accipiebant. Ad

hæc

hæc vnaquæque Præfectura *Merinum* habebat proprium, vt ante diximus: cuius munus erat Præfecturam ſuam à latronibus, graſſatoribus, ſicariis & aliis facinoroſis hominibus tutam & ſecuram præſtare, Principum mandata, ac Curiæ, & aliorum Tribunalium iudicia exequi, contra contumaces & rebelles armatâ manu, ſi res exigeret, procedere: Ad hos etiam prehenſio & miſſio in carcerem, accuſatio quoque reorum ſpectabat. Erant præterea curatores ciuitatum *Regidores* dicti, qui de politia ſuarum ciuitatum ſolliciti erant. Erant denique *Bajuli* quibus vectigalium Regiorum ac tributorum colligendorum negotium demandatum erat. A tribunalibus Alcaldorum ad Senatum (cui *Curiæ maioris* nomen erat) appellabatur. Huic præerat Rex ipſe, aut eius Vicarius, aſſidebant Conſiliarij *Alcaldi de Corte* dicti: item Proceres aliquot ſeu *Ricihomines*, quorum ad minimum tres, & ad ſummum ſeptem ex indigenis vocari à Rege ad iudicia exercenda oportebat ex præſcripto fori, ſeu iuris Nauarrici ſolemni iureiurando ab ipſo confirmati: quod tamen non à peculiari aliquo Nauarrorum inſtituto, ſed à communi iure vniuerſæ Hiſpaniæ fluxiſſe, docent proxima Fori Nauarrici verba.

NINGVN *Rey d'Eſpaynna no deue dar Iuizio Fuera de Cort ni en Cort à menos que ayan Alcalde & tres de ſus Ricos omnes o mas entro à ſiete & que ſean de la Tierra en que fueren ſi en Nauarra Nauarros & ſi en Aragon Aragoneſes & ſi en Cataloyña Catalanes & ſi oltra puertos ſegunt la tierra & aßi de los otros Regnos & ſu Alcalde deue auer & portero & maiordomo de la tierra, non fuera & aßi deue ordenar ſus tierras & ſus pleytes.*

A iudiciis Senatus ſeu Maioris Curiæ nefas erat appellare: Poſterioribus tamen ſæculis facta eſt poteſtas liti-

gantibus aduerſus illa Principi aut eius magno Conſilio ſupplicandi, quod factum vt huius Curiæ authoritatem (quæ ſumma erat) non mediocriter labefactauit, ſic Conſilij Regij in priuatis negotiis iuriſdictionem admodum dilatauit. Supereſt Rationum Curia, *Camera Computorum* vulgò dicta, cui Patrimonij Regij, tributorum, vectigalium & vniuerſorum ad Principis dominium ſpectantium, cura incumbebat: Huic Baiuli, ac Quæſtores, rationibus reddendis obnoxij erant. His omnibus Tribunalibus ac Iudiciis durat adhuc, ſub Caſtellanis Regibus, eadem dignitas atque authoritas, quæ ante erat: nihilque aut parum in hac parte veteri iuri derogatum eſt. Sed iam conſentaneum videtur, de alio iuriſdictionis genere quæ Hiſpanis & maximè Nauarris propria fuit, aliquid dicere, *Hermandatum* vocant, quaſi fraternitatem diceres: Huius iuriſdictionis inuentum extorſit à populo latrociniorum cædiumque ac publicarum graſſationum immenſitas, quæ bella tàm externa quàm ciuilia ſubſecuta eſt: Tunc enim cum Magiſtratuum cura ac ſollicitudo, grauiori ſolito onere, preſſa fatiſceret, cœpere plebeij, quorũ præcipuè res agebatur, ſocietates inter ſe contrahere, conſtitutumque eſt, vt, quoties huiuſmodi aliquod ſcelus à facinoroſis admiſſum eſſet, vniuerſi facto ad ſonitum æris campani concurſu, de compacto in illos impetum facerent, pœnas debitas ab ipſis ſumpturi. Deinde cum malum latiùs gliſceret, placuit Principibus, iſtiuſmodi ſocietates ratas habere, eaſque ſuâ authoritate comprobare ac communire. Extat Ferdinandi Aragonij, Caſtellæ Regis edictum apud Medinam parte 2. libri, *De las Grandezas y coſas notables de Eſpaña* cap. 72. quo tota iſtius ſocietatis & iuriſdictionis inſtituendæ ratio fusè continetur. Huius ſummam Anto-

nius Nebriſſenſis Decade 1. rerum à Ferdinando & Elizabetha geſtarum lib. 6. cap. 3. ſic breuiter complexus eſt. *Conſtitutæ itaque ſunt ab initio tumultuariæ quædam leges, quippe quas putabant non longo tempore duraturas, ſed qualeſcumque illæ fuerint, nihilominus confirmatæ ſunt, additumque robur, Regiaque authoritas, cum eſſet curia Matricali anno ſalutis ſexto & ſeptuageſimo ſupra milleſimũ quadringenteſimum. Cumque poſtea ex triennio in triennium & deinceps ſocietas illa propagaretur, & ex negotiorum varietate quotidie noui caſus emergerent, opus quoque fuit nouo Principum remedio. Fuerunt autem caſus, in quibus ſocietas illa iuris dicendi exequendique iudicij facultatem haberet, quinque: primus in illos qui furtum aut latrocinium aut mortem, vulnuſque aut vim aliquam in loco deſerto intuliſſent: ſecundus in eos qui illa eadem facinoroſa in populo commiſiſſet, perpetratoque ſcelere ſolum vertiſſet, in fugamque ſe proripuiſſet: tertius in eos qui aut fores effringerent, aut domorum parietes effoderent aut incendia valuis apponerent, aut ſcalis admotis diætas noctu conſcenderent: quartus in eos qui ſtuprum in cuiuſque ætatis aut ſexus aut conditionis hominem inferrent: quintus in eos qui iuris iudicijque executores impedirent, quo minus rem demandatam exequerentur. Conſtituuntque vt in omnibus ciuitatibus, oppidis, municipiis, caſtellis, vicíſque grandioribus, bini Pedanei Iudices quotannis crearentur, & executor vnus, qui haberent facultatem iudicandi, determinandi, abſoluendi, condemnandi, ſententiamque exequendi, in iis duntaxat caſibus quinque. Si quid autem præter hos quinque caſus legibus expreſſos, emerſiſſet, de quo meritò dubitari poſſet, ad ſocietatem ne illam, an ad ordinarios recurrendum eſſet, placuit rem integram ad ipſos Principes deferri, ex quorum arbitrio eâ de re aut nouæ leges conderentur, aut, ſi videretur, iuri communi definiendum relin-*

querent. His itaque ordinatis omnes ciuitates, oppida populique ſanctam & ſalubrem illam fraternitatem inierunt, præterquam illi qui Dominos priuatos habebant, veriti ne inde ſibi exactiones geminas exigerent, vnas quas fraternitati, alteras quas priuatis dominis dependerent. Quæ res cum ad Comeſtabilem Hiſpaniæ delata eſſet, non modo non renuit, ſed vltro illos qui dominationi ſuæ ſubditi erant, hortatus eſt, ne tam vtilem, iuſtam, honeſtamque ſocietatem recuſarent. Huius exemplum reliqui omnes Hiſpaniæ Proceres ſecuti ſunt, neque ſecutos fuiſſe poſtea pœnituit.

OMISSA ſunt hîc à Nebriſſenſi illa, quæ iis legibus de conſectandis ſedulò reis præcepta fuere, ſupplicij quoque genus quod noxios deprehenſos ſequebatur, cum inter alia palo alligati ſagittis configerentur: pœnam denique commiſſi omnium bonorum, lucro ſociorum ceſſuri, contra receptatores reorum interpoſitam à Ferdinando tacuit: quæ omnia nos ipſiſmet edicti verbis hîc ſubiiciemus.

QVE *ſi el robo o hurto fuere de valor de ciento y cinquenta marauedis, y dende à baxo, que ſea deſterrado, y le den pena de açotes, y pague mas lo que aßi robò con el doſtanto à la parte, y con el quatro tanto para los gaſtos de la Hermandad. Y ſi fuere la quantia haſta quinientos marauedis, que le ſean cortadas las orejas, y le den cien açotes, y ſi fueren haſta cinco mil marauedis, que le Corten el pie, y que ſea condenado, que nunca caualgue acauallo ni en mula ſopena de muerte de ſaëta. Y mandamos que para ſeguir los malhechores y delinquentes, que vuieren cometido qualquier caſo de Hermandad ſean nombrados, y eſten pueſtos quadrilleros ſegun la grandeça de la ciudad, villa, o lugar à viſta del iuez oſecutor de la prouincia, y de los Alcaldes de la Hermandad del tal lugar. Y eſtos quadrilleros luego que el tal delito*

los fuere denunciado, o lo ſupieren en qualquier manera, de ſu oficio ſean tenidos de ſeguir, y mandar que ſigan los malhechores haſta cinco leguas dende haziendo toda via dar apellido, y repicando las campanas en todo lugar, donde llegaren, porque aſsi miſmo ſalgan y vayan de los tales lugares en proſecution de los dichos malhechores, y que cada y quando, que los vnos llegaren en cabo de las cinco leguas de donde ſalieron dexen en raſtro à los otros, y toda via ſe multipliquen los quadrilleros, y otras perſonas que fueren appellidando contra los dichos malhechores repartiendoſe los vnos por vnas partes, y los otros por otras, y proſiguiendo los de lugar en lugar, y de tras, haſta los prender, y cercar, o haſta que ayan ſalido huyendo fuera del reyno. Et paulò pòſt. *Y la muerte de ſaëta, à que el malhechor fuere condenado, deue ſer dada, y executada en eſta manera. Que los Alcaldes, y quadrilleros hagan ſacar, y ſaquen el tal malechor al campo y pongan lo en vn palo derecho que no ſea à manera de crux, y tenga vn eſtaca en medio, y vn madero à los pies, y alli ſe tiren las ſaëtas, haſta que muera naturalmente.* Et infrà. *Y mandamos que ſi qualeſquier perſonas de la Hermandat cercaren qualeſquier lugares, y fortalezas por auer dellas robado, o por auer acogido los malhechores, y no los auer querido entregar, o por auer cometido qualquier delito, que ſea caſo de hermandad, y tomaren los tales lugares y fortalezas, que todos los bienes, y pertrechos, y otras coſas que dentro en ellas ſe hallaren de los que aſsi eran rebeldes, ſean aplicados y confiſcados, y nos aplicamos, y confiſcamos para la dicha hermandad, y para los gaſtos della: y mandamos, que en tal caſo luego ſea derribada la cerca, torres, y fuerzas del tal lugar, o fortaleza que aſsi fuere rebelde, o hiziere reſiſtencia, por que noſtra iuſticia ſea temida.*

FRATERNITATIS iſtius aut ſocietatis inſtituendæ ra-

tiones atque momenta prodidit Marineus Siculus, illorum temporum ſcriptor lib. 19. de rebus Hiſpaniæ his verbis.

DVM *Rex Ferdinandus & Iſabella Regina duos magnos Portugalliæ Franciæque Regis exercitus è ſuis finibus arcebant & propulſabant, complures Hiſpaniæ ciuitates & populi quam plurimis ſæuiſſimis latronibus, homicidis, raptoribus, ſacrilegis, graſſatoribus, adulteris, temerariis, innumeris inſultibus, & omni genere delinquentium crudeliſſimè vexabantur, à quibus neque Reges neque Deum timentibus non modo fortunas ſuas & patrimonia defendere non poterant, ſed ne filias quidem & vxores. Erat enim ſceleratorum hominum maxima multitudo, quorum alij leges humanas diuinaſque contemnentes, Magiſtratus omnes inſolenter vſurpabant: alij ventri ſomnoque dediti vim palàm nuptis, virginibus & ſacris mulieribus inferentes, libidinem & inceſtum turpiter exercebant: alij mercatores itinerantes & ad nundinas proficiſcentes, omneſque viatores crudeliter occidebant & ſpoliabant: alij quibus maiores vires erant maiorque dementia, populorum poſſeſſiones & regias arces occupabant, ex quibus violenter egredientes omnium finitimorum agros populantes, non ſolùm greges armentáque & omnia bona prædabantur, ſed homines etiam ſecum ducebant captiuos, quos deinde cognati & affines pecuniâ redimere cogebantur. Tot igitur tantiſque malis atque periculis Rex & Regina deſiderantes occurrere, nouum iuſtitiæ genus remediumq; proficuum, quod* HERMANDATVM *vel (vt alij volunt)* HERMANATVM *dicitur, inuenerunt, quo facilius improbi capi, punirique poſſent. Conuocatis itaque ciuitatibus & populis, eorumque Procuratoribus ſtatuerunt, vt aduerſus delinquentes & homines ſceleratos vnuſquiſque pecunias contribueret. Quod omnes contradicente nullo libentiſſimè fecere, &c.*

IIDEM Marineus, Nebriſſenſis & Medina, huius inſtituti Principem & inuentorem faciunt ipſum Ferdinandum; ſed ego illud, ante natum Ferdinandum, in Nauarrâ vſurpatum fuiſſe (regnante ſcilicet, ſeu potius Regnum materno iure ſuum, Vicario patris nomine adminiſtrante Carolo Vianæ Principe) poſſum probare hoc monumento è Codice Forenſium Actorum ditionis Mixiæ in Nauarrâ decerpto. *Notum ſit que anno à Natiuitate Domini* M.CCCC.LII. *digmengen à* XXV. *iors deu mes de Iun l'onorable Triſtan ſeñor de Camo Baille de la terre de Mixe tient Cort generau de la terre de Mixe en la porte de Iauriberrie de la parropie d'Aminduix de Caues, Eſcudes, Ruans, Lauradors & dautes bones gens aplegats & manats per aſignation feyte per ladite Cort generau en lo Medix loc en la quinzene paſſade ſots la pene de ſieys ſols ab orde ſonade ſegont en ſemblants Corts generaus entro aci es vzat & acoſtumat de far: es aſſaber que aqui Medix per ladite Cort fo ordenat que ſi eſcados nulh cas en la terre de Mixe de furt, rauberie o tot autre cas contenguts en lo prumer article de la* HERMANDAT *de las terres de Mixe & Oſtabares, que non obſtant que en los capitos & articles contenguts en ladite* HERMANDAT *no foſſen eſlegits los deputats qui ſe deben eſlegir ſegont en loſdits capitos & articles es contengut & no fos fermade ladite* HERMANDAT *que per ſo no reſtie de proſſeguir lo tau maufeito o mausfeitos delinquent o delinquents per lo Baille o ſon Loctenen & Sotſbayles ab los de la Terre o Terres & ſi neceſſari es ab crit & repic de campanes entro lodit maufeito o maufeitos ſien atents o pres aixi & per la forme que en los articles & capitos de ladite* HERMANDAT *es contengutz & ſots aqueres penes qui hom pot faillir enuers la Seynorie & en los articles & capitos de ladite* HERMANDAT *es contengut & iudiat per los ordenatz de ladite* HERMANDAT *& totz los*

de ladite terre que ſien thincut de perſeguir & aiudar lun à lautre ſilo cas eſcat & de ço tote la Cort requeri à mi Notari carte. Actum vt ſuprà, teſtimonis & iudjans ſon deſſo lo Prior de Sant Palay &c.

HÆC in Latinum verſa ſic ſonant.

NOTVM *ſit, anno à Natiuitate Domini* M. CCCC. LII. *die Dominica* XXV. *Junij, honorando viro Triſtando Domino de Camon Baiulo ſeu iudice regionis Mixiæ tenente conſilium, ſeu Curiam generalem regionis Mixiæ, in limine domus Iauriberie dictæ, parœciæ Amenduixij, militum, ſcutariorum, vicanorum, agricolarum, aliarumque bonarum gentium, quæ eò confluxerant citatæ alia Curiâ generali, quæ eodem loco ante quindecim dies habita fuerat, denunciatâ abſfuturis ſex ſolidorum pœnâ, & interpoſito æris campani ſonitu, prout hactenus in ſimilibus cœtibus congregandis moris fuit: ibidem ſcilicet ab ipſa Curiâ ſtatutum fuit, vt ſi contingeret in regione Mixiæ caſus aliquis furti, latrocinij, aut cuiuſuis alterius facti comprehenſi in primo articulo Hermandati Mixiæ & Oſtabareſij regionum, tametſi in capitulis & articulis ipſo Hermandato comprehenſis, nondum electi fuiſſent deputati qui iuxta eadem capitula & articulos eligendi ſunt, necdum Hermandatum firmatum fuerit & ne idcirco ab inſectandu huiuſmodi malefico aut maleficis, delinquente aut delinquentibus, à Baiulo aut eius Vicario & Subbaiulis ſeu miniſtris, cum incolis regionis vel regionum ceſſetur & ſi neceſſe fuerit cum æris campani ſonitu, donec maleficus aut malefici deprehenſi & capti fuerint, ſicuti & eo modo, quo in articulis & capitulis Hermandati continetur, & ſub iis pœnis quibus aduerſus deſpotam quis peccare poteſt, & in articulis & capitulis Hermandati continetur, & iudicatum fuerit ab iis qui ab Hermandato fuerint conſtituti: & vniuerſi regionis incolæ adſtringantur ad inſequendum & opem inuicem ferendam ſi occaſio ferat, & hoc*

vniuerſa

vniuerſa Curia petiit à me Notario in acta referri. Actum vt ſuprà. Teſtes & indicantes ſunt huius rei Prior ſancti Pelagij &c.

ÆQVE mihi promptum eſſet, ipſas leges ſiue decreta huiuſce Hermandati, quæ capitula hoc monumento appellantur, adiungere; ſed quia verboſiora ſunt quam hic locus poſtulet, neque multum abeunt ab iis, quæ ſupra ex Edicto Ferdinandi & ex Nebriſſenſi ac Marineo perſcripſi, idcirco ea hic miſſa facio: illud tantum moneo, populares huiuſmodi, in nefariorum præcipuè latronum ſupplicia & pœnas, concordias & conſpirationes, iam à plurimis ſæculis apud Nauarros in vſu poſitas fuiſſe, tametſi alio quam Hermandatus nomine exprimerentur. *Iunctas* enim vocabant, id eſt, vniones, illarumque Duces *Supraiu nctarios*. Hunc certè morem celebrem fuiſſe Sanctij cognomento Fortis & Theobaldi I. Regum temporibus, atque ſub Sanctio, Garciam Almorauidum Supraiunctarij ſeu Ducis officio functum fuiſſe, elicitur tam ex veteri chartulario ipſius Theobaldi Regis, quàm ex quibuſdam aliis priſcis monumentis, in Tabulario Regio Pompelonenſi exiſtentibus: Quod autem Hieronymus Blanca, in comment. Regum Aragoniæ tit. de antiq. nominib. & Magiſtrat. Supraiunctarij munus cum eorum officio, qui *aſſertores pacis* à Gothis dicebantur, componere nititur, non ſatis illius muneris rationem aſſecutus videtur, cui nihil cum aſſertoribus pacis commune vmquam fuit: hi enim, vt conſtat ex leg. 16 tit. 1. lib. 2. legum Viſigothorum, certas cauſas dirimebant à Rege ſibi delegatas, & ſolo pacis faciendæ obtentu à Rege ſolo creabantur. At Supraiunctarij neque de cauſis vllis cognoſcebant, quin imò eas, quæ ad ipſorum officium pertinebant, cogebantur ad Tribunalia Iudicum

ordinariorum, integras deferre, illorum arbitrio dirimendas, neque à ſolo Rege conſtituebantur, ſed à populo eligebantur, à Rege deinceps confirmandi; eorumque munus erat non tam pacem pangere quàm in latronum, graſſatorum, ſicariorum & id genus peſtium, perniciem atque exitium coniuratas populorum acies ducere; vt, tum è Vitalis Caneli obſeruationibus apud ipſummet Blancam, tum ex iis quæ iam commemoraui Tabularij Pompelonenſis monumentis perſpicuum eſt. Iam totum hunc de Nauarris inſtitutum ſermonem veluti epilogo concludo tribus aut quatuor teſtimoniis recentiorum Authorum, de hodiernis huiuſce gentis moribus atque indole, adſcriptis: Primum petetur à Floriano Ocampo lib. 1. cap. 3. vbi hæc habet. *El Reyno de Nauarra, aumque agora tenga poca tierra es abundoſa y bien poblada de villas y aldeas, en que mora gente valiente de eſſuerço y bien diſembuelta para toda coſa, fue vna de las prouincias Eſpañolas, en que deſpues de la deſtruycion della primeramente huuo perſonas que tomaſſen appellido de Reyes.* Alterum teſtimonium ſumetur à Petro Medina Hiſpalenſi lib. 2. *De las grandeças y coſas notables d'Eſpaña*, cap. 140. vbi ſic ait. *Son los Nauarros ordinariamente bien hechos, y proporcionados, no de grande eſtatura, ſino medianos, alegres, afables, conuerſables, de grandes fuerças, y ligereza, algo iactancioſos de ſi, fieles, no de muy grandes, y viuos ingenios, haſta que ſon cultiuados. Trabaian mucho en aquellas coſas, à que ſe aplican: ſon muy aplicados à virtud, en general muy amigos de ſus coſtumbres, y caſi todos inclinados à vnas miſmas coſas, ſon muy ſenzillos, y fuera de doblezes, tienen ſubita y eſtraña colera, lleuandoles por mal en qualquiera coſa. Son de poco hablar, y no muy proprio ni muy concertado, que muchas vezes, ſienten dificultad en poder ſe dar à entender, y declarar ſus conceptos,*

ſon muy amigos de la honra, y reputacion. Hazen mucha eſtimacion, con iactantia de ſus hidalguias, y nobleça, y con eſta eſtimacion de hidalguia, y de honra pueſtos en ocaſion, gaſtan las haziendas, y ſe dexan matar, aſſi los ricos como los pobres, los grandes, y pequeños, y toda ſuerte dellos, y con la miſma reputacion han emprendido por mar, y por tierra, notables hazañas, y hechos valeroſos, y han ſalido con elles muy bien. Son y han ſido ſiempre muy buenos Chriſtianos, muy deuotos, & muy zeloſos de la fe Catholica, de la qual eſcriuen no auer diſcrepado iamas poco, ni mucho, teniendo la Chriſtiandad deſde ſus primeros principios. Tertium teſtimonium erit Bernardini Gomeſij Miedes Archidiaconi Saguntini, cuius verba lib. 8. de vitâ & geſtis Iacob. 1. Regis Aragon. hæc ſunt. *Ingenium eſt Nauarrenſiũ, ſubitum, ſuſpicioſum, ſuiſq; deditum Regibus... ſunt enim Nauarrenſes & eorum propinqui Vizcayni: ...non modo in communibus ac frequentibus prœliis, ſed in ſingularibus concertationibus valentes, induſtrij ac perpugnaces ab inſitâ genti naturâ vi non à Gothis Hiſpaniæ, vt quidam ſuſpicantur, enatâ.* Et paulò pòſt. *Ita quippe Nauarri continuis olim tùm Romanorum tùm Sarracenorum prœliis aſſueti, breuitatéque ac inopiâ ſermonis repreſſi, fortiores atque in bellum propenſiores ſemper fuerunt: quo fit vt fidelitate cui proprium eſt ſilentium, ij valdè præſtent, adeoque à loquacibus tanquam fallacibus caueant ſummoperè, neque, quid ipſi comminiſcantur, attendant: ac quoniam eorum incorruptus eſt animus, tanta ipſis ineſt ingenuitatis ratio & opinio, vt mortem citius, quam vt à ſuis degenerent, cum vitâ commutent. Sed quamquam eorum Regnum non admodum latum eſt, pluſque robore, quàm numero vicerunt, adeo tamen res maximas totque præclara domi foriſque facinora ediderunt, Déque deuictis toties hoſtibus ampliſſimè triumpharunt vt non in poſtremis quidem illud collocandum ſit, quod proprias ipſi ſe-*

des montanas ſaltem; tam ſtrenuè tutati ſunt vt ab eis numquam depulſi fuerint.

NVNC regio ipſa Nauarræ ſeu vbertate ſoli, ſeu temperatione cœli, nulli alij Hiſpaniarum parti concedit, loca plana agros habent fertiliſſimos omnis generis frugum, quædam etiam vini; è quibus detractâ eâ parte, quæ ipſi prouinciæ alendæ ſufficiat, reſiduum ad accolas Guipuſcoanas, Biſcaynos, alioſque Hiſpaniæ populos, qui iis indigent, exportant. Laudatur præcipuè vinum quod circa *Peraltæ* & *Falceſij* vicos & in toto illo territorio quod voce Vaſconicâ *Erribeera*, id eſt regio infera ſeu demiſſa vocatur, copioſè prouenit: Montana luxuriant paſcuis optimis, ideoque qui ea incolunt rei pecuariæ multum ſtudent, magnumque inde quæſtum faciunt præſertim ex pretio equorum & lanæ quæ hinc, ad longinquas etiam Galliæ & Belgij regiones tranſuehitur.

De Iaccenſibus populis & Aragoniæ Comitatu, item de Calaguritanis, déque SS. Hemitorio & Cheledonio, & de Quintiliano Rhetore ac Prudentio poëtâ.

CAPVT VII.

IACCAM ſuperiori libro Ptolemæum ſecuti inter Vaſconum vrbes recenſuimus, cuius territorium dominantibus in Hiſpania Gothis & conſecutis temporibus, non Iaccenſe, ſed Aragonenſe dictum eſt. Aragoniæ etymon quidam ab *arâ* Herculis *Agonalibuſque* ludis; alij ab *Autrigonibus* populis, nonnulli à *Tarraconenſi* prouinciâ deriuant. Prima originis ratio inepta eſt; altera falſa, quantum enim diſtabant Autrigones ab Aragoniâ? tertia verò mihi parum probabilis fit; cur enim huic modi-

co & anguſto Pyrenæorum angulo totius prouinciæ nomen hæſiſſet, potius quam tot aliis populis longè nobilioribus illâ comprehenſis? Ipſe libenter ſententiæ Hieronymi Çuritæ acceſſerim viri eruditionis famâ conſpicui & libris editis clari, qui à gemino fluuio *Aragonis* nomine dicto, (vterque à Pyrenæis montibus non procul à Iaccenſi territorio oritur) interiectam regionem id nomen accepiſſe exiſtimat. Illius autem ſitum, Annal. parte 1. lib. 1. cap. 14. his verbis declarat: *Aquella prouincia de Aragon en lo antiguo tan ſolamente ſe eſtendia deſde los montes de Aſpa entre dos Rios, que el mayor ſe llamo Aragon y nace en la montaña de Aſtun junto al monaſterio de ſanta Chriſtina, ſobre la villa de Campfranch, en las miſmas cumbres de los montes Pyreneos, que ſe llaman de Aſpa, del nombre de vn lugar, que en ellos hay à la parte de Gaſcuña. El otro Rio ſe llama del miſmo nombre que otros dizen Subordan: y deſciende por el val de Echo, y ſe iunta con el mayor à la puente que llaman de la Reyna, mas arriba de Verdun. Dentro de las riberas deſtos Rios, y de ſus Nacimientos eſtan los valles de Echo, Aragues y Ayſa: y la tierra mas llana por donde diſcurre el mayor deſtos Rios, ſe dize la Canal de Iacca: entre laqual y el Rio Gallego, que nace en las miſmas vertientes de los Pyreneos, iunto al lugar que por las fuentes deſte Rio ſe llama Sallent, ſobre el val de Broto, eſtan la peña de Vruel, Atares, y ſant Iuan de la Peña, que tan bien era de la prouincia de Aragon: y por la parte de Occidente ſe eſtendia haſta comprehender el val de Anſo por el qual corre el Rio Veral que entra en el Rio d'Aragon entre Aſſo y Verdun: y eſta eſte valle de Anſo, entre el val de Echo y el val de Roncal. Solo eſte eſpacio de montes y valles ſe eſtendia à comprehender muy pequeña Region, que de muy antigo por el nombre deſtos dos Rios o del mayor dellos y del*

mas principal ſe llamo Aragon. Siendo eſta Region vna pequeña parte de los pueblos que los antigos dixeron Vaſcones en la prouincia de Eſpaña que llaman Citerior. Hanc veteris Aragoniæ ditionis deſcriptionem hîc inſerere placuit, vt pateat quam ex paruis initiis, in tantam molem & amplitudinem, Principum Aragonenſium & regionis incolarum virtute, creuerit hoc Regnum. An autem iidem ſint *Aragones* cum *Rocconibus* vel *Rucconibus* populis, qui olim altiſſimis montibus circumſepti, vt teſtatur Iſidorus, Gothorumque Regibus parum obſequentes, illorum contra ſe arma ſæpè laceſſiuerunt, haud facilè dixerim. Videntur certè non diuerſi fuiſſe, cum bellum à Sueuorum Rege Mirone, circa annũ Chriſti 572, motum Iſidorus in Hiſtoriâ Sueuorum, contra Roccones, at Biclarienſis in ſuo Chronico, contra Aragones geſtum fuiſſe tradant. Latiores tamen fuiſſe ſedes Rocconum quam veterum Aragonum veriſimile eſt, partémque non minimam Sangoſſienſis in Nauarrâ Præfecturæ comprehendiſſe, atque inde in iis partibus *Roncallis* & *Roncauallis* nomina, tanquam *Rocconum* vocis reliquias manſiſſe: nec aliter ſenſit Roderic. Toletanus cum cap. 1. 5. & 10. lib. 4. *Roncalenſem* pagum & terras Aragoniæ proximas, Ruchoniæ nomine deſignauit. Cæterùm fruſtra nobis illudere conatur Ioannes Brizius Martinez Abbas Cœnobij ſancti Ioannis Pinnatenſis lib. 2. hiſtoriæ illius cœnobij cap. 6. cum prolatis quibuſdam fundationis *Noue* & *Ardanes* villarum tabulis, earum authoritate fretus, nouum quemdam Alaricum Regem, æra 608. Aragoniæ imperantem, nuſquam lectum, numquam hactenus auditum, inculcat: Nam parùm in veterum Hiſtoricorum lectione & in antiquis monumentis euoluendis verſatum eſſe eum oportet, qui

has tabulas imperiti alicuius nebulonis commentum eſſe non agnouerit: Sed quiſquis is eſt, non adeò mehercule benè rationes ſuas ſubduxit, cum Pſeudo-Alarico illi coæuum fecit Galindonem Comitem Atereſiæ, quem pluribus ſæculis poſteriùs in Aragoniâ dominatum obtinuiſſe & Atereſiam arcem, nonniſi poſt annum octingenteſimum, primùm condidiſſe, conuenit inter omnes Aragonicarum rerum ſcriptores: quâ de re conſulendi ſunt Beuter. lib. 2. cap. 5. ſui Chronici, Çurita parte 1. Annal. lib. 1. cap. 5. & in indice rerum Aragoniæ ad annum Chriſti 803, Garibaius lib. 3. cap. 4. & Hieronymus Blanca coment. rer.. Aragon. tit. de Galindo Azen. Arag. Comit. 2. Quin etiam ſeriùs multò, æra nimirum 969, regnante Garſiâ Sanctij Rege Pompelonenſi, hanc arcem exædificatam fuiſſe à Garciâ Fortunone, probat titulus, aræ cuidam in eâdem arce poſitæ, inſcriptus, quem refert Çurita parte 1. Annal. lib. 1. cap. 11. Faceſſat itaque hinc Pſeudo-Alaricus ille & cum Lucij Dextri, Marci Maximi, Elecæ, aliorumque eiuſdem generis monumentorum fabricatoribus (quos ei veluti Comites adiungit cap. ſequenti Ioannes Brizius) inter imperitorum vel credulorum cateruas regnet.

PRIMVM Aragoniæ Comitem ſtatuunt omnes *Azenarium*, qui captâ & expugnatâ vrbe Iaccâ Mauriſque ex eius territorio pulſis, eam Comitatus titulo, conſentientibus Regibus Pompelonenſibus, obtinere cœpit. Quis autem fuerit hic Azenarius & quo tempore in Aragoniam cum copiis penetrauerit, infra ſuo loco dicetur, cum ſtemmata Principum Vaſconiæ Ibericæ explicare aggrediemur: Deficiente huius liberorum maſculâ ſtirpe, ad Sanctium huius nominis primum, Pompelonenſium Regem Comitatus peruenit: à quo partim &

proximè conſecutis Regibus, Regni titulo, partim ab eorum liberis fiduciario iure poſſeſſus eſt; donec tandem Sanctius cognomento Maior Ramiro filio, ex nobili fœminâ Ayuarij, vt fertur, dominâ ſuſcepto, eiuſque poſteris pari Regni titulo optimo iure in perpetuum tenendum reliquit: vnde poſtea illuſtris Aragonenſium Regum familia fluxit.

INTRA fines veteris Comitatus Aragonici ſitum eſt Cœnobium ſancti Ioannis Pinnatenſis, in monte *Vruelo* ædificatum, quod à paruis initiis, è tenui ſcilicet Anachoreticâ Cellâ, in celeberrimum totâ Hiſpaniâ Monaſterium Pompelonenſium & Aragonenſium Regum beneficio & liberalitate peruenit: Primam originem debet Ioanni Anachoretæ, cui *Atareſij* cognomen tribuunt, quo vitâ functo in eius Cellam ſucceſſere, pietatis colendæ ſtudio, *Otho* & *Felix* fratres, patriâ Cæſarauguſtani, eoſque ſecuti *Benedictus* & *Marcellus*, quos cum Pompelonenſis Regni initiis concurriſſe, oſtendit hoc Epitaphium ex ipſorum ſepulchro deſcriptum, & ab Antonio Yepes cent. 3. Chronici Benedictini, ad annum 818. ac à Ioanne Briz. Martinez lib. 1. cap. 16. hiſtoriæ illius cœnobij inſertum.

BENEDICTVS *&* MARCELLVS *Heremitæ Cæſarauguſtani, viri honeſti & continentes, adhuc magis ampliauerunt præſentem Eccleſiam, & duo altaria conſtruxerunt, dedicaueruntque ſancto* PETRO *&* STEPHANO, *quorum conſilio* IVDEX MEDIVS, *inter Regem* ENECVM, ARISTAM *& Regnicolas Aragoniæ*, IVSTITIA VOCATVS, *efficitur, & etiam ſepulti.*

POTISSIMVM verò opus veteris ædificij, acceptum refert Garſiæ Ximenio Regi, vt teſtatur idem Briz. Martinez lib. 1. cap. 4. à quo etiam vnâ cum Galindone Comite

mite Aragoniæ, duobus monaſteriis, altero ſancti Martini à *Cilla*, altero *Huertolo* dictis & pluribus latifundiis donatum fuiſſe æra 896. tradit idem Author cap. 26. lib. 1.

CALAGVRRITANOS hîc Iaccenſibus iungimus, eò quod vterque populus iamdiu à cæteris Vaſconibus veluti à corpore ſuo auulſus, & Ilergetibus atque Celtiberis mixtus, mutatâ etiam linguâ in peregrinos mores & inſtituta prorſus abiit. Fuiſſe autem Calagurrim (illam ſcilicet cui Fibulariæ cognomen addit Plinius) olim in Vaſconum regione, nihil eſt quod ambigatur, teſtante id verbis expreſſis Strabone lib. 3. Geogr. annuente etiam Iuuenali (neque enim quæ de Vaſconibus ſcribit ſatyra 15. de aliis quam de Calagurritanis interpretari licet) confirmante denique Ptolemæo, cuius *Calagorinam* Vaſconum vrbem, non aliam eſſe à noſtrâ Calagurri obſeruauit eruditè ſuo more Morales lib. 7. cap. 15: fuiſſe quoque Romanum municipium, docuere iam alij ex veteribus nummis, tametſi hos nummos non ad iſtam Calagurrim, ſed ad aliam cognomine Naſcicam quæ Oſcenſibus populis contributa erat, pertinere ſentiat Çurita notis in Itinerarium Antonini: idem author, vtra harum vrbium, Fabij Quintiliani Clariſſimi Rhetoris patria ſit, dubitat: ſed Ludouicus Nonius cap. 81. ſuæ Hiſpaniæ, hanc noſtrâ eſſe decernit: idipſum antea pronunciauerat, ſummi vir nominis, Angelus Politianus, cum hunc authorem interpretaturus, ſolemnem ſuis auditoribus præfationem daret. Liceat itaque gloriari Calagurri Vaſconum vrbi, hoc tanto ciue atque alumno, qui primus Romæ publicam ſcholam tenuit & ſalario cohoneſtatus publico claruit, vt author eſt D. Hieronymus in Additionibus ad Euſebij Chronicon, quem Romanæ

togæ gloriam dixit ingenioſiſſimus poëta Martialis, & *cuius ex ludo*, vt obſeruat Politianus, *quaſi ex equo Troiano litterarum proceres extiterunt, inter quos & Plinius ille iunior fuit qui etiam in epiſtolis Quintilianum præceptorem ſuum libentiſſimè agnoſcit: & Iuuenalem item fuiſſe (vt quidam arbitrantur) maximè veriſimile eſt, qui de illo his verbis honorificè mentionem facit.*

vnde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus? exempla nouorum
Fatorum tranſi: fœlix & pulcher & acer,
Fœlix & ſapiens & nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ laruam ſubtexit alutæ,
Fœlix Orator, quoque maximus & iaculator,
Et ſi perfrixit, cantat bene.

Erat autem in eo præter cætera adeo exprompta, fideliſque memoria, vt quæ ex tempore aliquando dixiſſet, ad verbum etiam repetita redderet; cuius rei ſæpiſſimè periculum fecit, ſi quando interuentus aliquorum, qui hunc honorem mereretur, iterare declamationis partem coëgiſſet, hactenus Politianus. Verum, ſit licet clara tanti viri doctrina, ingenio & famâ hæc vrbs, clarior tamen exiſtit virtute, pietate & inuictâ in Religione conſtantiâ, Sanctorum Hemiterij & Cheledonij quos ſinu ſuo emiſit: Horum martyrium & quę illud conſecuta ſunt miracula, eleganti carmine celebrauit Prudentius, libro περὶ στεφάνων, cum hac epigraphê inſerto. *Hymnus in honorem ſanctorum martyrum Hemiterij & Cheledonij Calagurritanorum.*

Pollet hoc fœlix per orbem terra Hibera ſtemmate,
Hic locus dignus tenendis oſſibus viſus Deo,
Qui beatorum pudicus eſſet hoſpes corporum
Hic calentes hauſit vndas cæde tinctus duplici
Illitas cruore ſancto nunc arenas incolæ

Confrequentant, obſecrantes voce, votis, munere,
Exteri necnon & orbis hic colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes præcurrit proditrix
Hic patronos eſſe mundi quos precantes ambiant,
Nemo puras hic rogando fruſtra congeſſit preces
Lætus hinc terſis reuertit ſupplicator precibus
Omne quod iuſtum popoſcit impetratum ſentiens
Tanta pro noſtris periclis cura ſuffragantium eſt.
Non ſinant inane vt, vllus voce murmur fuderit
Audiunt ſtatimque ad aurem Regis æterni ferunt
Inde largâ fonte ab ipſo dona terris influunt
Supplicum cauſas, petitis quæ medelis irrigant.

Et paulò pòſt.

Iamne credis bruta quondam Vaſconum gentilitas
Quam ſacrum crudelis error immolarit ſanguinem?
Credis in Deum relatos hoſtiarum ſpiritus?
Hoc bonum Saluator ipſe quo fruamur præſtitit,
Martyrum cum membra noſtro conſecrauit oppido
Soſpitant quæ nunc colonos quos Hiberus alluit.

NON parum etiam huic vrbi ſplendoris acceſſit ex ipſius *Prudentij* natalibus: quamquam enim quidam eum Cæſarauguſtanũ fuiſſe crediderint perſuaſi hīs verſibus, initio hymni de laudibus decem & octo martyrum Cæſarauguſtanorum, poſitis.

Bis nouem noſter populus ſub vno,
Martyrum ſeruat cineres, ſepulchro
Cæſarauguſtam vocitamus vrbem
Res cui tanta eſt.

Hîc tamen per *noſtrum populum*, Hiſpanos intelligi, non autem ſolos Cæſarauguſtanos certum eſt, & vt hos ſpeciatim intellexerit Prudentius, potuit Cæſarauguſtam ſuam appellare, cum ei tanquam metropoli ſubiaceret

Calagurris, Calagurritanos enim Cæſarauguſtani olim conuentus fuiſſe, teſtatur Plinius lib. 3. cap. 3. Ipſe ſanè Calagurritanum ſe non obſcurè declarat his verſibus priori hymno contentis, vbi de eorumdem martyrum corporibus Calagurrî reconditis verba faciens, illam ſuum oppidum vocat.

Martyrum cum membra noſtro conſecrauit oppido.

Item poſteriore hymno in laudem 18 martyrum ſcripto, vbi de iiſdem ſanctis Hemiterio & Cheledonio hæc verba interſerit.

Noſtra geſtabit Calagurris ambos
Quos veneramur.

MAGNITVDINE autem animi & robore, atque etiam fide in Duces ſuos, quantum polleret Calagurritanus populus, documento ſunt ea quæ in oppido ſuo propugnando ab hoſtibus Sertorij ſui quondam Ducis, perpeſſus eſt; quæ talia tantaque ſunt, vt propè fidem humanam excedant. Hanc inuicti Calagurritanorum animi conſtantiam & fortitudinem, pertinaciæ titulo aſperè nimis & inclementer exagitat Valerius Maximus lib. 7. cap. 6. his verbis. *Horum* (de Numantinis loquitur) *trucem pertinaciam in conſimili facinore Calagurritanorum execrabilis impietas ſupergreſſa eſt, qui, quò perſeuerantiùs interempti Sertorij cineribus, obſidionem Cnei Pompeij fruſtrantes fidem præſtarent; quia nullum iam aliud in vrbe eorum ſupererat animal, vxores ſuas, natoſque ad vſum nefariæ dapis verterunt: quoque diutiùs armata iuuentus viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infælices cadauerum reliquias ſalire non dubitauit.* Mitiùs cum iis agit Iuuenalis ſatyra 13. vbi ea quæ tam acerbè in eâ gente Valerius notauit, miſeratione potius quam reprehenſione digna iudicat his verſibus.

Vaſcones, vt fama eſt, alimentis talibus vſi
Produxere animas, ſed res diuerſa, ſed illic
Fortunæ inuidia eſt, bellorumque vltima, caſus
Extremi, longæ dira obſidionis egeſtas
Huius enim, quod nunc agitur miſerabile debet
Exemplum eſſe cibi, ſicut modo dicta mihi gens
Poſt omnes herbas poſt cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hoſtibus ipſis
Pallorem ac maciem & tenues miſerantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et ſua; quiſnam hominum veniam dare, quiſue Deorũ,
Viribus abnuerit dira atque immania paſſis?
Et quibus ipſorum poterant ignoſcere manes
Quorum corporibus veſcebantur? melius nos
Zenonis præcepta monent, nec enim omnia quædam
Pro vitâ facienda putat, ſed Cantaber vnde
Stoicus antiqui præſertim ætate Metelli?

SINGVLARE etiam illud, inuiolatæ in Ducem ſuum fidei atque amoris exemplum eſt Bebricij Calagurritani Ciuis, quod exhibet vetus lapis Latinis litteris inſcriptus apud A. Moralem hac ſerie verborum.

DIIS MANIBVS
Q. SERTORII.
ME. BEBRICIVS CALAGVRRITANVS.
DEVOVI.
ARBITRATVS.
RELIGIONEM. ESSE.
EO. SVBLATO.
QVI. OMNIA.
CVM. DIIS. IMMORTALIBVS.
COMMVNIA. HABEBAT.
ME. INCOLVMEM.

RETINERE. ANIMAM.
VALE. VIATOR. QVI. HÆC. LEGIS.
ET. MEO. DISCE. EXEMPLO.
FIDEM. SERVARE.
IPSA. FIDES.
ETIAM. MORTVIS. PLACET.
CORPORE. HVMANO. EXVTIS.

Nihil mirum, igitur, ſi Auguſto Cæſari huius gentis virtus atque fidelitas vſque adeò probata eſt, vt cohortem Calagurritanorum in corporis cuſtodes ſibi delegerit, vt author eſt Suetonius in eius vitâ: ſed illud potius mirandum, cum ipſam vrbem Afranius Pompeij Legatus, iugi obſidione confectam vltimâ cæde incendioque deleuiſſet, vt refert Oroſius lib. 5. cap. 13. nihilominus breui velut à ſuis cineribus ita renatam eſſe, vt Plinij, Ptolemæi & Auſonij ac Paulini ſæculis, inter celebres Tarraconẽſis Hiſpaniæ vrbes, nominari meruerit & ſubinde ad noſtram vſque ætatem, integra, Epiſcopatu etiam ſatis amplo inſignita, potuerit perdurare. Maurorum totâ ferè Hiſpaniâ dominantium iugum, ipſa quoque ſubiit: ſed illud poſtea à ſe excuſſum geſtiit, beneficio & armis Garcię Pompelonenſis Regis, cognomento Naiarenſis, quo non ita multò poſt, à Ferdinando fratre Caſtellæ Rege, in aciê victo atque cæſo, coacta eſt vnà cum aliis oppidis atque arcibus, quæ vltra Iberum Garciæ Regi ſuberant, in gentem nomenque victoris concedere.

De reliquis Vaſconiæ Ibericæ populis, Alauenſibus ſcilicet, Biſcainis & Ipuſcuatibus.

CAPVT VIII.

ALAVÆ nomen ſunt qui à voce Arabica *Arab* deducant, quâ deſertum ſignificari aiunt: At Garibayo lib. 15. cap. 9. videtur à montibus *Vraba* & *Encia* in illâ regione poſitis, ſic dicta: mihi contrà placet, ab *Alua* Vardulorum vrbe olim primariâ, iſtius nominis originem petere; vbi enim hodie Alauenſes, Romanorum tempore Vardulos habitaſſe, ſuperiore libro docuimus. Albam vrbem in Vardulis ſtatuit lib. 2. cap. 6. Ptolemæus: Plinius autem lib. 3. cap. 3, cum quatuordecim Vardulorum populos agnoſcat, ſolos mentione dignatur Albanenſes: Nec *Alauam* ſemper poſterioribus ſæculis, ſed interdum etiam *Aluam*, voce diſſyllabâ, dictam fuiſſe, oſtendit diploma Sanctij Regis Pompelonenſis, cognomento Sapientis, Stellanis ciuibus conceſſum, cuius fragmentum ſupra cap. 2. dedimus. Latior multo olim hæc regio fuit quam nunc ſit, quemadmodum affirmat Garibayus lib. 9. cap. 20. Complectebatur enim partem Rioiæ, ipſamq; Biſcaiam & Ipuſcuam: notat quippe idem author lib. 11. cap. 22. Alfonſum Caſtellæ Regem, in quibuſdam tabulis anno 1090 conſcriptis, inter elogia & nomina regionum ſibi ſubditarum *Naiaræ* & *Alauæ* voces promiſcuè vſurpaſſe: Idipſum ratione *Biſcaiæ* obſeruare eſt, in aliis tabulis à Nunio Sanctij, Comite Durangi & Leguntiâ eius vxore, primâ die Februarij 1053. obſignatis, apud eumdem Garibayum lib. 22. cap. 30. vbi inter alios Proceres, qui ſcribendo

adfuerunt, laudatur Garcias Alauæ ſiue Biſcaiæ Epiſcopus. Iam de *Ipuſcuâ* idem (ſcilicet fuiſſe eam Alauæ nomine comprehenſam) ſignificare videntur verba fœderis, inter Alfonſum Caſtellæ & Sanctium Nauarræ Reges, ærâ 1217 initi; quæ ex Chartulario Theobaldi Regis, quod in Tabulario Pompelonenſi extat, deſcripta hîc apponimus. *Inſuper ego idem Rex Alfonſus Rex Caſtellæ quittaui vobis Sanctio Regi Nauarræ & ſucceſſoribus veſtris, Alauam in perpetuum pro veſtro Regno, ſcilicet de Ixiarr & de Durango intus exiſtentibus, excepto Caſtello de Maluezin quod pertinet ad Regem Caſtellæ & etiam à Fibarruna & Badaia ſicut aquæ cadunt vſque in Nauarram, excepto Moriellas quod pertinet ad Regem Caſtellæ & etiam exinde vſque ad Focam & à Focâ in Iuſum, ſicut Zadorra diuidit vſque cadit in Iberum ex deſignatis terminis verſus Nauarram totum ſit Regis Nauarræ.*

SVPERIORIBVS accedit aliud argumentum non contemnendum, petitum à vulgari veterum Regum ſcribendi formâ, quibus moris erat, regionum à ſe de nouo quæſitarum nomina ſuis titulis adiicere: Conſtat enim Sanctium Maiorem eoſque, qui illi proximè ſucceſſerunt Reges, ſe Alauæ regnare profeſſos fuiſſe, nullâ Biſcaiæ aut Ipuſcuæ mentione factâ: tametſi ipſos illarum pariter ditionum potitos fuiſſe extra controuerſiam ſit. Quo iure vixerint olim Alauenſes haud planè liquet: licet hoc exploratum ſit, illos ſub Regum Aſturicenſium imperio aliquamdiu fuiſſe: inter ea enim oppida, quæ Mauris eripuit Alfonſus Catholicus *Alauenſem mirandam* commemorat Sebaſtianus Salmanticenſis Epiſcopus: (ita enim emendandus eſt ex Codice manuſcripto Collegij Nauarræ Pariſienſis, locus ille apud Sebaſtianum, vbi Sandoualli editio corruptè habet *Alanenſe mirandam.*)

randam.) Poſtea cum defeciſſent, à Froilâ & Ordonio 1. Regibus in ordinem redacti ſunt, teſte eodem Sebaſtiano, apud quem Vaſconum nomine Alauenſes deſignari, iam ante monuimus: Illos rurſus nouas res molientes Alfonſus 3. Ordonij filius oppreſſit, & in ſua verba iurare coëgit, ipſorum Duce Eylone captiuo Onetum ducto, vt narrat Sampyrus Aſtoricenſis Epiſcopus. Tranſactis deinde aliquot annis à Mahomete Cordubæ Rege calamitoſo bello profligati ſunt, miſſuſque cum valido exercitu Alauam eius filius Almundir, horribilem ibi ſtragem edidit & multos ſecum captiuos Cordubam abduxit, vt narrat Roderic. Tolet. cap. 26. Hiſtoriæ Arabum. Itaque breui tempore abiectâ Aſturicenſium Regum authoritate, præſidio & tutelæ Pompelonenſium Regum ſe ſubiecerunt: idque inde colligitur, quod in vetuſtis priuilegij Roncalenſium tabulis, Sanctius Rex Pompelonenſis huius nominis primus, Alauenſis quoque Regis titulum ſibi arrogat: Manſere autem in eorum fide conſtanter, ad tempora vſque Sanctij Regis huius nominis vltimi: quibus tandem, maximo bello & diuturnâ primariæ vrbis Victoriæ oppugnatione fatigati ac preſſi, annuente ipſo Sanctio (qui tum fortè Regno longiſſimè aberat, neque obſeſſis ſubſidio adeſſe poterat) in poteſtatem Alfonſi æquis conditionibus venere.

QVOD autem etiam Caſtellæ Comites ius olim ſibi in Alauæ dominatu adſcripſiſſe, in veteribus aliquot monumẽtis legitur (niſi hoc de Alauæ parte, quæ vltra Iberum erat, intelligatur) eius rei rationem è ſingulari quodam iure Alauenſium petendam eſſe arbitror, quo illis fas erat, quemcumque vellent è primaria nobilitate in Ducem, Comitem ſeu Dominum adſciſcere, ſupremi

tamen iure dominij ipſis Regibus reſeruato, qui mos permanſit ad ætatem vſque Alfonſi XI, quem vniuerſi Alauenſes in Ducem, ſeu Dominum proximum, vel immediatum, vt vocant, communi conſenſione admiſerunt, vt pluribus narrat Ioannes Nuñez de Villaſan in Hiſtoriâ ipſius Alfonſi XI. cap. 100. cuius verba hîc inſerere placuit quò peculiare ius iſtud nobiliſſimæ gentis clariùs innoteſcat. *Acaeſcio que antiguamente deſque fue conquiſtada la tierra de los Nauarros, la tierra de Alaua era ſeñorio apartado: Y eſte ſeñorio era qual ſe lo querian tomar los hijos dalgo, y labradores naturales de aquella tierra de Alaua, y a las vezes tomauan por Señor alguno de los hijos de los Reyes de Caſtilla y a las vezes el Señor de Viſcaya, y a las vezes al Señor de Lara: y a las vezes al Señor de los Cameros. Y en todos los tiempos paſſados, ningun Rey no vuo Señorio en eſta tierra, ni puso alli Officiales para hazer iuſticia, ni las villas de Bitoria y de Treuiño que eran ſuyas del Rey, y aquella tierra ſin aquellas villas llamaſe cofradria de Alaua: Y aquel à quien ellos dauan el Señorio dauanle ſeruicio muy granado de mas de los otros pechos foreros que dezian ellos el* SEÑORIO Y EL BOY DE MARÇO. *Y el Rey ſeyendo en Burgos, vemeron alli à el procuradores deſta confradria de Alaua, hombres hijos dalgo, y labradores con procuracion cierta de los otros, y dixeron al Rey, que le querian dar el Señorio de toda la tierra de Alaua, y que fueſſe ſuyo aiuntado à la corona de los ſus Reynos, y que le pedian merced que fueſſe reſcebir ei Señorio della, y que les dieſſe fuero eſcrito por do fueſſen iuzgados, y puſieſſe alli ſus officiales que hicieſſen alli la iuſtitia. Y el Rey por eſto partio luego de Burgos, y fue à Victoria. Y eſtando alli vinò a el don Iuan Obiſpo de Calahorra: y dixo le Señor, qual quier que ſea Obiſpo de Calahorra, es de la Cofradria de Alaua.*

Y yo aſſi como cofradre deſta Cofradria; vos vengo dezir de parte de todos los hijos dalgo, y labradores de tierra de Alauâ que eſtan ayuntados en campo de Ariaga que es lugar do ellos acoſtumbran à hazer junta deſde ſiempre aca: y rogaron me que vos venieſſe à dezir y apedir por merced que vays à la junta do ellos eſtan, que vos daran el Señorio de Alaua ſegũ vos lo embiaron dezir por ſus mandaderos: y el Rey por eſto fue à la iunta del campo de Ariaga, y todos los hijos dalgo y labradores de Alaua dieron le Señorio de aquella tierra, con el pecho forero, y que vuieſſe los otros pechos reales ſegun que los auia en la otra tierra del ſu Señorio. Y pidieron le merced que les dieſſe fuero eſcrito que haſta alli no ſe iuzgauan ſi no por albedrio. Y el Rey reſcibio el Señorio de la tierra, y dioles que vuieſſen el fuero de las leyes, y puſo alli alcaldes que iuzgaſſen, y merino que hizieſſe la iuſticia. Præter illas, quas hoc capite commemorauit Villaſanus familias, fuere etiam aliæ, è quibus eligebantur, qui Alauenſibus præeſſent. Ex earum numero erat illuſtris *Velarum* familia, quæ in ipsâmet Alauæ prouinciâ lares & gentem habuit: Nam Rege Sanctio, cui Sapientis cognomentum tribuunt, Nauarræ Imperante, Comitem Velam Alauæ dominatum obtinuiſſe fidem faciunt pleraque diplomata eiuſdem Sanctij, quorum aliqua iam lucem viderunt, alia in Tabulario Pompelonenſi etiamnum latent: Leges etiam ſeu pactiones, ſub quibus iuri eligendi Ducis ſiue Domini, ab Alauenſibus in gratiam Regis renunciatum eſt, prætermiſſæ ſunt ab eodem Villaſano, quæ è diplomate regio, poſtridie Kal. April. erâ 1370 Victoriæ conceſſo, ſuppleri poſſent, niſi hoc iam præſtitum eſſet à Garibayo, qui eas cap. 7. libri 14. Compendij Hiſtorici complexus eſt. His præcipuè cautum erat: Ne vmquam Regi dominium Alauæ à ſe abiudicare, aut alij

cuipiam tranſcribere liceret: Vt Eccleſiæ Monaſticæ, quæ hactenus in cenſu Procerum fuerant, in eâdem conditione manerent in poſterum: Vt Maiorini & pręcipui Magiſtratus perpetuò, ex indigenis eligerentur, neque ad ea munera peregrinos admittere fas eſſet: Vt fundi & poſſeſſiones nobilium à tributo præſtando immunes eſſent: Idémque agricolis, qui illorum fundis colendis incumberent, ius eſſet: Nobilis viri occiſi mulcta quingentorũ ſolidorum eſſet: & pari pecuniæ ſummâ plecteretur quicumque nobilem vulneraſſet aut offendiſſet, pecuniâ ipſi vulnerato aut offenſo præſtandâ: Ne Regi deinceps, condendæ in Alauæ regione nouæ vrbis, vici aut oppidi, facultas eſſet: Ne quis ibidem Ferrariis operam daret, ne fortè hinc detrimentum montes & publica paſcua caperent: Vt Nobiles & cæteri incolæ illius regionis, quod ad priuilegia attinet, vterentur foro, ſeu iure *Soportillæ*, in litibus verò proſequendis ſeruarentur leges Partitarum: Cætera, ſcire quorum intereſt, illa à Garibayo petere ipſis per me licet.

Ab hoc autem iure quo Alauenſes vſi ſunt parùm aut nihil omninò diſcrepat ius *Behetriarum*, quibus pariter facultas erat quemcumque vellent è Nobilium grege, in Ducem ac Dominum eligendi, ipſumque ad arbitrium mutandi vel abiiciendi. Harum naturam ſic explicat Pero Lopez de Ayala, aut quiſquis eſt Auctor vitæ Petri Caſtellæ Regis, ad annum 2. cap. 14. *Deuedes ſaber que villas y lugares ay en Caſtilla, que ſon llamadas Behetrias de mar à mar: que quiere dezir, que los moradores y vezinos en los tales lugares, pueden tomar ſeñor à quien ſiruan, y acojan en ellos quales ellos querran, y de qualquier linaje que ſea: y por eſto ſon llamados Behetrias de mar à mar: que quiere dezir como que toman ſeñor ſi quieren de Seuilla, ſi quieren de*

Vizcaya, o de otra parte: y los lugares de las Behetrias ſon vnas que toman Señor cierto de cierto linage, y de parientes ſuyos entreſi: y otras Behetrias ay, que no an naturaleza con linajes, que ſean naturales dellos; y eſtas tales toman ſeñor de Linajes qual ſe pagan: y dizen que todas eſtas Behetrias pueden tomar, y mudar ſeñor ſiete vezes al dia: y eſto ſe entiende quantas vezes les plazera, y entendieren que los agrauia el que los tiene. Et paulò poſt. *Y ſi por auentura aquel Cauallero no los defendieſſe, y les hizieſſe ſinrazon, que los del lugar pudieſſen tomar otro de aquel linaje, qual les pluguieſſe para lo deffender, y por eſta razon dizen Behetrias, que quiere dezir, quien bien les hiziere que los tenga. Y ſobre eſto huuo entre los Caualleros ſus poſturas, y condiciones: Ca los vnos lugares fueron conquiſtados de hombres eſtraños de otros Reynos, que ſe tornauan deſpues à ſus tierras: y aquellos ſon llamados de mar à mar: y eſtos toman deffenſor qual quieren: y dizen, que eſtos lugares ſon quatro: es à ſaber, Bezerril, y Auia, y Palacios de Meneſes, y villa Sillos: y otros fueron ganados de linajes ciertos Y ſegun aquellos toman ſeñor: y puſieron mas los Caualleros naturales de las Behetrias: que pueſto que el lugar aya Señor Señalado: que eſte en poſſeßion de los guardar, y tener: pero que los que ſon naturales de aquella Behetria, ayan dineros ciertos en conocimiento de aquella naturaleza, en cada vn año, porque no ſe oluide la naturaleza: y el que los recauda, por ellos prenda à los de los lugares de las Behetrias, quando no ſe los pagan, &c.* Ambroſius Morales in eo tractatu quem De genere ſancti Dominici compoſuit, his verbis harum Behetriarum rationem reddit. *Hà ſe pues de ſaber que en Caſtilla la vieja, y en el Reyno de* LEON, *auia muchos lugares llamados Behetrias, nombre Corrompido de Benefatorias: eſtos lugares, teniendo en ellos el Rey algun dominio y ciertos derechos y*

tributos, tomauan el Señor que les plazia, y lo dexauan quãdo querian: Porque la preheminencia de la Behetria era mudar ſeñor por ſola ſu voluntad, diziendo con quien bien me hiziere, con aquel me yre, de donde ſe tomo el nombre de benefatorias y ſe corrompio el Behetria. Illarum verò mentionem reperiri in antiquiſſimis legibus anno 1020. Legionenſibus ciuibus ab Alfonſo, huius nominis quinto Rege datis, affirmat idem Author in Alfonſi vitâ cap. 55.

ALAVÆ caput & metropolis eſt *Victoria*, quam *Vellicam* olim dictam fuiſſe ſunt qui tradant, ſed nullo certo Authore, nec valdè ad mentem Ptolemæi, qui *Vellitam* hinc procul in *Cariſtis* collocat: *Bilantij* nomen tribuit ei Medina, quod quid ſit neſcio: Victoriæ nomine ſignatam fuiſſe à Sanctio Majore Pompelonenſi Rege, in monumentum victoriæ cuiuſpiam à ſe partæ, putat idem Medina: at Garibayus à Sanctio Garſiæ, Garſiæ Ramireſij filio, id factum pro certo habet, cum antea, inquit, *Gaſteiz* diceretur. Mihi tamen illud nomen, iam à tempore Leuuigildi Regis huic oppido adhæſiſſe, perſuadet hic locus Chronici Ioannis Biclarienſis Abbatis, qui ſub eodem Rege vixit: *Anno*, inquit, *quinto Tiberij qui eſt Leouigildi 13 an. . . . . . . Leouegildus Rex partem Vaſconiæ occupat, & ciuitatem quæ Victoriacum nuncupatur condidit*: Vix enim aliam in vniuersâ Vaſconiâ vrbem reperias, cui hæc Victoriȩ aut Victoriaci appellatio conueniat: neque vlla cauſa fuit Sanctio Regi, quamobrem id nominis huic oppido imponeret, abolitâ veteri appellatione. Parumque ad rem facit quod tabulis Priuilegij à Sanctio Victoriæ ciuibus conceſſi contineatur, antea illi *Gaſteiz* nomen fuiſſe: non enim eſt nouum vnam eamdémque vrbem in Vaſconiâ duplici nomine notari,

altero vulgari aut Romano, altero Vaſconico: ſic ſupra in Nauarrę deſcriptione obſeruauimus *Pompelonem* Vaſconicè *Iruna* dici, Olitũ, *Erriberri*, Pontem-Reginæ, *Cares*, quibus addere licet *Roncauallim* vulgò *Burguet*, quæ Vaſconicè *Aüriz*: & *Anſo* oppidum in confinio Nauarræ atque Aragoniæ, quod eâdem linguâ *Berari* dicitur: Poſſem & alia pleraque eiuſdem generis exempla congerere, niſi cuilibet in ipſius Garibay libris, iis præſertim in quibus Ipuſcuam patriam ſuam deſcripſit, obuia eſſent: Certum eſt tamen hunc Sanctium Regem plurimum incrementi & ornamenti Victoriæ oppido attuliſſe. Teſtes huius rei ſunt tabulæ priuilegij, ab eo ęrâ 1219 menſe Septembri conceſſi, ab oppidanis ſummâ curâ hactenus aſſeruatæ, quibus etiam id eſt expreſſum vt eodem iure in poſterum, quo Lucronium Rioję oppidum, vteretur. Oppidi celebritas & ciuium in Principes ſuos ſpectata fides impulit Ioannem Caſtellę Regem huius nominis ſecundum, vt ciuitatis titulum ei impertiret, conceſſis omnibus illis priuilegiis quibus reliquę Hiſpanię ciuitates vti ſolent.

EST & alia vrbs TREVENNIVM nomine, oppidum olim munitiſſimum, *Miranda* quoque (quæ nunc *Iberica* ſiue de *Ebro* dicitur) quondam in Alauæ finibus erat, licet iam extra eam cenſeatur. Eſt etiam alia vrbs SALVATERRA dicta, neque vetuſtate commendabilis, neque vllâ aliâ re inſignis *Armenti* vel *Armentegui*, nunc obſcurus vicus aut pagus mediâ tantum leucâ Victoriâ diſtans, olim Epiſcopali ſede nobile fuit, vt ex tabulis quibuſdam, à Fortunio Epiſcopo Alauenſi, in gratiam Cœnobij ſancti Ioannis Pinnatenſis in Aragoniâ conſcriptis, continetur: è quibus hæc verba recitat Briz. Martinez in Hiſtoriâ eiuſdem Cœnobij lib. 1. cap. 56.

Hanc autem ſcripturam feci & roboraui (verba ſunt Fortunij Epiſcopi) *& propriâ manu ſubſcripſi hoc ſignū Crucis* † *in ſede noſtrâ, quæ vocatur Armentegi, præſentibus Clericis & Archidiaconibus eiuſdē ſedis & firmātibus.* Epiſcopos autem qui huic ſedi præfuerunt, hos duntaxat in veteribus monumentis obſeruare licuit: Munionē, qui erâ 1052 & erâ 1073 florebat, Ioannem, qui Munioni ſucceſſit, Garciam, qui erâ 1080, & 88, Nunū qui era 1095, & Fortuniū, qui erâ 1109 & 1117 Pontificatum gerebant: ſuberant autem his Pontificibus, præter Alauam Biſcaya & pars aliqua Ipuſcuæ: à morte Sanctij Garciæ Pompelonenſis Regis (qui in *Penaleni* infœlici morte occubuit) occupatâ à Caſtellanis Regibus Alauâ, illorum ſeu iuſſu ſeu conſenſu ſedes Pontificia Alauenſis Calagurrim traducta eſt: Manſit nihilominus Collegium Clericorum vel Canonicorum in eodem pago, ad annum vſque 1498: quo demum, authore Alexandro ſexto Pontifice Maximo Victoriam tranſlatum eſt, & in Eccleſiâ illius beatæ Mariæ ſacrâ, conſtitutum. *Armentegio* vico oriundus fuit *Prudentius* Epiſcopus quondam Turiaſonenſis ſanctitate vitæ inter ſui æui viros maximè clarus, & poſt mortem inter diuos relatus, de cuius pietate & moribus qui plura ſcire deſiderat, adeat Garibayum lib. 7. cap. 45. & lib. 22. cap. 27. atque Ambroſ. Moralem lib. 11. cap. 74.

DEFINITVR Alauâ ab ortu Ipuſcuâ regione & Nauarræ montibus, ab occaſu Caſtellâ vetere, à Meridie Nauarræ Regno & à Septētrione Biſcayâ. Inter nobiles familias duæ maximè in eâ illuſtres ſunt, *Mendoçana* & *Gueuaræa* vtraq; antiquitate generis & rebus geſtis clara.

BISCAYA Roderico Tolet. *Biſcagia*, Sebaſtiano Salm. *Vizcaia* à ſitu terræ montuoſo & aſpero nomen inueniſſe

ueniſſe videtur: Ea enim vocis Vaſconicæ *Viſcaya* ſignificatio eſt: Ab ortu illam terminat Ipuſcuæ ditio, à Meridie Alaua & montana regio Caſtellæ veteris, ab occaſu regio *Aſturias de Santillana* dicta, & à Septentrione Oceanus: vndecim circiter leucas in longitudinem, totidem in latitudinem patet: Ab indigenis in conuentibus ſuis, in tres partes diſtingui ſolet, nimirum in vrbes, in parœcias campeſtres, quas *Anteygleſias* vocant & in *Incartationes*, quibus agros in nouam emphiteuſim conceſſos ſignificari arbitror: vniuſcuiuſque partis incolæ æquale ac par, ſuffragij in conuentibus publicis regionis (*iuntas* vocant) ferendi, ius habent. Vrbes numerat viginti extra *Orduniam* quæ ciuitatis titulo inſignita eſt. *Anteygleſias* ſeu parœcias campeſtres primarias lxxij, prȩter illas quæ *Incartationibus* aſſignantur. Vrbium præcipuæ ſunt Ordunia, Vermeo, Durango, & Bilbao.

ORDVNIA, vnica Biſcayæ ciuitas eſt, in quâ primarij Iudices tribunal ſuum conſtitutum habent, ideoque *Biſcayæ Camera* quibuſdam dicitur.

VERMEO olim *Flauiobriga*, ſeu *Amanum portus*, à Flauio Veſpaſiano conditam, ſunt qui putent, ducti ratione nominis *Flauiobrigæ*: ampliorem longè fuiſſe olim, quam nunc ſit & frequentiorem incolis, ita vt ad ſex millia familiarum ambitu ſuo complecteretur, author eſt Garibayus lib. 7. cap. 10. Antiquitate cæteris Biſcayæ vrbibus eam antecellere, illud etiam arguit, quod in publicis Conuentibus ſententia dicenda principatum tenet: hoc oppido, ſuperioribus ſæculis, Prætor ſeu iudex Maior Biſcayæ, populo ius dicebat.

DVRANGO omnibus hodie Biſcayæ vrbibus amplitudine pomerij & multitudine incolarum ante ſtat: habet enim ad minimum mille & quingentos ciues. Sepa-

rata erat olim à Biſcaya & Comitatus ſpecialis titulo inſignis, extantque adhuc veteres tabulæ era 1091 Kalend. Febr. conſcriptæ in Eccleſiâ ſancti Auguſtini de *Echauarri* dicta, quæ nomen Nunij Sanctij Comitis Durangi & Leunciæ eius vxoris præferunt, teſte eodem Garibayo lib. 22. cap. 30. Videtur tempore Sanctij Nauarræ Regis, huius nominis quinti, hæc vrbs ad Alauam pertinuiſſe, idque ex his verbis fœderis inter eumdem Sanctium & Alfonſum Caſtellæ Regem erâ 1217 initi, colligi poſſe. *Inſuper ego idem Rex Alfonſus Rex Caſtellæ quittaui vobis Sanctio Regi Nauarræ & ſucceſſoribus veſtris Alauam in perpetuum pro veſtro Regno ſcilicet de Ixiarr & de Durango intus exiſtentibus &c. Cariſtos* populos huius Comitatus fines olim occupaſſe qui dixerit, non multum meo iudicio à vero aberrauerit, eorum etiam vrbs *Vellica*, non alio loco commodiùs ſtatui poſſe videtur, quam circa *Lagardiam* Nauarræ nuper, nunc Caſtellæ oppidum, quæ fortaſſe hoc nomen inde traxit, quod Vellicâ Romanorum militum præſidium poſitum erat, vt tradit Author notitiæ Imperij Occidentis.

Bilbao non à bello vado, vt quibuſdam viſum, ſic dicta eſt, ſed à viculo *Bilbao* in aduersâ ripâ fluminis cui illa inſidet poſito: qui etiamnum nomen ſeruat; dicitur enim *Bilbao* Vetus. A Didaco Lupi Harēſi, Biſcayæ Comite condita fuit, circa annum Chriſti 1300: conceſſumque colonis eò commigraturis, vt iure *Lucronij*, (quod illis temporibus æquiſſimum & nouas ſedes quærentibus commodiſſimum cenſebatur) vterentur, codicillis ab ipſo Didaco Valliſoleto obſignatis 15 Iunij erâ 1338: Hoc inuitamēto & opportunitate ſitus illectis plurimis, & eò certatim confluentibus, adeo breui tempore creuit, vt iam non Biſcayæ ſolùm vrbs primaria, ſed totius illius

oræ, quæ Oceanum Cantabricum attingit, Emporium celeberrimum habeatur. Alluitur fluuio, qui antiquorum Geographorum *Nerua* & *Neſua* eſſe creditur: *Nanſam* nunc ab indigenis vocari obſeruat Fred. Non. Pintian. in Melam, cuius obſeruatio nequaquam congruit cum ſententiâ Garibaij, qui lib. 13. cap. 27. illius fluuij patrium nomen *Ibayçabal* eſſe affirmat, quæ vox Vaſconicè *fluuium latum* ſonat. *Galharragæ* antehac nomen habuiſſe, indicant veteres tabulæ, quas *voti ſancti Æmiliani* vocant, Ferdinando Gundiſſalui Caſtellæ Comiti aſcriptæ apud Sandouall. in Commentario rerum Monaſterij ſancti Æmiliani §. 35: quarum licet fides dubia ſit, eſſe tamen vetuſtas & ante quadringentos ad minimum annos cõſcriptas, facilè crediderim. Diſtat *Bilbao* à *Portugalete* (quod in littore ipſius Oceani iacet) duabus tantùm leucis: quà, accedente æſtu maris, aduerſo amne cuiuſcumque magnitudinis naues onuſtæ, facilè aſcendunt & ad Bilbai muros appellunt: eóque varij generis merces è Galliâ, Angliâ, Belgio, aliiſque locis important, quæ deinceps inde toti Hiſpaniæ communicantur: Rurſus per illud oppidum exportatur quidquid Hiſpania aut è ſuo ſinu depromptum, aut ab Americanis & Indis acceptum, nauibus ad longinquas regiones mittere ſolet: Hîc etiam ſedes eſt & domicilium præcipui illius Magiſtratus, quem Hiſpani *Correctorem* appellant, ad quem ab omnibus Biſcayę principatus Tribunalibus appellari ſole. Vrbs ipſa licet non admodũ ampla (mille enim tantum oppidanorum familiæ numerantur) eſt tamen elegans & culta, ſitu amœna, populo frequens, ponte etiam præalto ornata, neque vllius rei, quæ humanæ vitæ neceſſaria ſit, indigens: Aëre fruitur temperato, quà continentem ſpectat magnos habet obie-

ctos montes, præ cæteris autem lanæ hic commercium viget. Pręter Bilbaum, prębet etiam nauigiis ſtationem idoneam *Lequeytio* vrbs maritima quatuor leucis diſtans à *Vermeo*, eóque ob commoditatem portus frequentes commeant mercatores.

VNIVERSA Biſcaya vinetis ferè caret, vinoque vtitur aliunde importato, ſed quod ex vino ceſſat, ſupplet pomorum copia, quorum ſucco malleis ligneis in torcularibus expreſſo, incolæ potionem faciunt non ingrati ſaporis, quam ruſtici communiter ebibunt: panem etiam conficiunt è milio quod in iis oris prouenit, eiuſque copia compenſat tritici penuriam, quâ magnoperè laborant, pręruptâ montibus ſoli naturâ, hoc eis beneficium denegante: huiuſmodi pane miliaceo vtitur maxima pars infimę plebis: Ferro diues eſt regio, arboribuſque abundat variis, iis maximè quę nauibus conſtruendis aptę ſunt, quarum vberem materiam nauigantibus prębet: Superiori ſęculo latius ad Occidentem porrectam fuiſſe & caſtrum de *Vrdiales* dictum, eiuſque ditionem quæ ſpatio quinque leucarum à Portugalete recedit, intra Biſcayæ fines conſtitiſſe, teſtatur Andr. Poça: quod etiam de vlterioribus ſęculis authoritate Rogerij Houeden confirmari poſſe videtur, ſic enim ille poſteriori parte Annal. *Terra Regis Nauarræ incipit à portu de Huiarz, & protenditur vſque ad aquam quæ dicitur Caſtre, quæ diuidit terram Regis Nauarræ à terrâ Regis Caſtellæ*: nam niſi per aquam de Caſtre, amnem illũ, qui caſtrum de *Vrdiales* alluit, deſignare voluerit; vbinam alibi hęc aqua quęri poſſit non video. Tabulę tamen illę *voti ſancti Æmiliani* ſupra à me citatę, Viſcayam duobus aliis fluuiis ſcilicet *Galharragâ* & *Deuâ* circumſcribunt, his verbis. *De Riuo de Galharraga vſque in flumen de Deua*,

id eſt tota Viſcaya. Valles quoque *Orozco* & *llodio* dictas, Biſcayę olim partes fuiſſe, vetus & conſtans inter Biſcainos fama eſt.

IAM quibus olim Principibus ſubeſſent Biſcayni, inualeſcente contra Mauros Chriſtianorum in Hiſpaniâ Imperio, (cum res ſit antiquitatis tenebris inuoluta) haud facilè dictu eſt, in tanta pręſertim veterum ſcriptorum penuriâ, & ieiunâ eorum, qui aliquid litteris mandarunt, ſcribendi ratione. Si coniecturis locus eſt, eos ante Sanctij Pompelonenſis, huius nominis 1. & Ordonij 2. Aſturię Regum tempora, eadem cum Alauenſibus ſorte vixiſſe, (ſcilicet nunc immunes Imperij, nunc Regibus Aſturię ſubiectos) poſtea verò Pompelonenſibus Regibus paruiſſe crediderim: Cum enim Sanctium Alauenſibus imperaſſe ſignificent veteris Roncalenſis priuilegij tabulæ, quę infra in ſtemmate Regum Pompelonenſium producentur: Alauę quoque nomine nonnumquam etiam Viſcayam comprehenſam fuiſſe, ſupra probatum fuerit, non inconcinniter noſtra hinc ſequi ſententia videtur: quod ſi ea quoque vera ſunt quę de Ordonio 3, Alfonſi Magni Aſturicenſis Regis filio acie victo à Biſcaynis, narrant Hiſpani ſcriptores, quis dubitat quin his aduerſus tanti hoſtis furorem atque potentiam, ad ſummi alicuius Principis tutelam confugiendum fuerit? Verùm enimuerò in hac anguſtiâ & neceſſitate poſitis, nullum eo ſæculo Principem in Hiſpaniâ aut proximis regionibus occurrere potuiſſe, qui eorum afflictis rebus efficacius auxiliũ aut præſentiorem opem ferret, quam Sanctium, fatebitur quiſquis ipſius virtutem, aut ex memoriâ Annalium, aut ex lectione veterum monumentorum perſpectam habuerit. Affinitatis etiam nodus quo Sanctius ſeſe cum Comite Biſcayno

Munione deuinxit, traditâ illi in coniugium filiâ Velaſquitâ, vt author eſt Rodericus Toletanus lib. 5. cap. 22. coniecturam noſtram ſi minus certam, at ſaltem probabilem efficit. Eâdem etiam fuiſſe in opinione Prudentium Sandouallium, qui ſtrenuam noſtro ſæculo in Hiſpanicâ hiſtoriâ illuſtrandâ nauauit operam, hæc ipſius verba patefaciunt, ſtemmati familiæ Harenſis cap. de Lupo *Rufo*, ſeptimo Viſcayæ Domino, adſcripta. *En eſtos tiempos y en otros de muy atras los ſeñores de Viſcaya andauan con los Reyes de Nauarra.* Vt vt ſit à tempore Sanctij Maioris, ad Sanctij cognomento Sapientis vſque ætatem, (ſi illud duntaxat temporis ſpatium excipias quo propriis Regibus Nauarra caruit) fuiſſe Biſcaynos ſub Pompelonenſium Regum imperio ambigi non poteſt, cum à Garibayo lib. 22. cap. 27. 30. & 37. lib. 24. cap. 6. & aliis locis, item à Sandouallio in Stemmate Comitum Viſcayæ, in comment. rerum Monaſt. ſancti Æmil. §. 41. & ſequentibus, & in Catalogo Epiſcoporum Pompelonenſium plurimis iiſque certiſſimis argumentis fuerit comprobatum. Vnicus adhuc reſtat ſcrupulus in eo quod feruente bello inter Alfonſos 7 & 8 Caſtellæ, & Garſiam Remireſij & Sanctium eius filium Nuuarræ Reges, Lupus Didaci eiuſq; filius Didacus Lupi Harenſes, Biſcayæ Reguli, perpetuo in obſequio & in caſtris vtriuſq; Alfonſi fuere: quo nomine eos ſemper cariſſimos & inter Proceres Regni ſui, primo loco habuit poſterior Alfonſus: In eâ quoque legatione, quam anno 1177 aduerſus Sanctium, ad Henricum Regem Angliæ arbitrum honorarium ab vtroque Rege ſtatutum miſit, Lupum Didaci, vnum è legatis Alfonſi fuiſſe, ex Rogerio Houeden parte poſteriori Annal. diſcimus: ſed vt verum ſit Lupum atque

Didacum Caſtellæ Regibus maximè addictos fuiſſe, illorum etiam partes & officia in iis, quæ cum Nauarræ Regibus geſſere bellis & controuerſiis, ſuſcepiſſe; non tamen illicò ſequitur, Biſcayam quoque in eadem factione fuiſſe; quinimò eam nihilominùs in obſequio Nauarræ Regum permanſiſſe, poſſem probare plurimis tabulis ac monumentis, niſi hoc iam partim à Garibayo lib. 22. cap. 30. & lib. 24. cap. 6, partim à Hieronymo Çurita in Ind. rerum Aragon. ad annum 1137 & à Sandouallio in Catalogo Epiſcop. Pompelon. fol. 81. præſtitum eſſet: Lupum quoque atque Didacum interim titulo Comitum Viſcayæ abſtinuiſſe, obſeruare eſt in iis quæ ex actis aut tabulis refert Sandouallius in eorum ſtemmate, quæ Comitum Caſtellæ aut Najaræ illis ſemper titulum addunt, numquam Biſcayæ: In ipſo etiam Epitaphio, quod Lupi ſepulchro impoſitum fuit, omiſſa eſt mentio Biſcayæ. His enim verbis repræſentatur à Sandouallio, *Aqui Yaze el Conde D. Lope de Haro & de Najera de noble generation &c.* Neque id prætermiſit Garibayus: Hæc enim refert de Didaco lib. 12. cap. 25. *El qual es tan celebrado en las eſcripturas d'eſtos tiempos, que en algunas hallaran, tener el Señorio de Vilhorado, y en otras el de Grañon, en otras el de Caſtilla la Vieja, en otras el de Valdegouia, en otras el de Bureua, en otras el de Nagera, y en otras el de Pancoruo, en otras el de Rioja, en otras el de Soria, y en otras otros ſeñorios, pero todo ello por mano del Rey, aunque* EN LOS TALES INSTRVMENTOS NVNCA ES INTITVLADO SENOR DE BISCAYA: Vnde coniicere quis poſſit Comites iſtos, aut ſaltem Lupum patrem illius Comitatus poſſeſſione, à Garciâ Nauarræ Rege deturbatum fuiſſe. aut ipſum ſuâ ſponte eo ſe abdicaſſe Hiſpano more, quò pleniori ob-

ſequio Caſtellanos Reges ſibi demerendi facultas eſſet: idque eo maximè confirmatur quod è quibuſdam monumentis Tabularij Regij Pompelonenſis elicitur, ſub Rege Garciâ erâ nimirum 1173, Latronem Gueuaram, ac ſub Sanctio eius filio, era 1198 Comitem Velam Biſcayæ dominatum obtinuiſſe. Tandem regnante eodem Sanctio, ſiue bellorum iniuriâ, ſiue vi fœderum, inter ipſum & Alfonſum Caſtellæ Regem, initorum, Biſcayam è Regno Nauarræ auulſam, in ius Veterum Dominorum Harenſium Comitum rediiſſe, eamdémque Caſtellæ Regno annexam fuiſſe minimè dubium eſt.

SIMILE ius eligendorum Comitum aut Dominorum fuiſſe olim Biſcaynis, quod Alauenſibus fuit, arguunt tum ea quæ de electione Çuriæ primi Biſcayę Domini narrat Lope Garcia Salazarius, cap. de Comitibus Viſcayæ, Garibayus lib 9. cap. 22. Sandouallius in Stemmate Dynaſtarum Harenſium & plerique alij: tum illa quæ de Iñico Ezquerra ab iiſdem Biſcaynis poſt mortem Sanctij Lupi Biſcayæ Domini electo, reiectis Sanctij liberis, ſumma conſenſione tradũt iidem ſcriptores. Idipſum etiam innuit formula iuriſiurãdi à Biſcayæ Dominis præſtandi, antequam eorũ imperio pareatur, quam ex Medinæ lib. 2. cap. 131. hic exhibeo. *Quando el Señor de Vizcaya viene à ella à recebir el ſeñorio, iura à las puertas de la villa de Bilbao delante del regimiento della, que como Rey y ſeñor guardara à la tierra llana de Vizcaya, villas, ciudades, Duranguès, y encartationes y à los moradores dellas, y à cada vno de por ſi, todos ſus preuilegios, franqueças, libertades fueros, vſos y coſtumbres, tierras y mercedes que del han, ſegun los vuieron en los tiempos paſſados. Deſpues va de alli à ſan Emeterio, y Celidon de Larrabezua, y alli teniendo el ſanto Sacramento vn Sacerdote en las manos, iura*

iura en las miſmas manos del Sacerdote lo miſmo, que bien y verdaderamente guardara y terna, hara tener y guardar à los Vizcaynos, encartaciones, Durangueſes, Caualleros, Eſcuderos, hijos dalgo, tōdas las franquezas y libertades, fueros, vſos, y coſtumbres que tienen y han teindo en los tiempos paſſados, y aßi miſmo las tierras y mercedes que del Rey ſu padre y de los otros Reyes, aßi como de Reyes y Señores de Vizcaya tuuieron en la manera, y forma que los tuuieron y dellos vſaron. Deſpues deſto va à Garnica, en lo alto de Arechaualaga, Alli lo reciben los Vizcaynos, y le beſan las manos como à Rey, Y Señor, y alli debaxo del arbol de Garnica, donde ſe acoſtumbran hazer las iuntas de Vizcaya, iura, y confirma rodas las libertades, priuilegios, franquezas, vſos, y coſtumbres que los Vizcaynos tienen, y aßi miſmo las tierras y mercedes que tuuieron de los Reyes, y Señores paſſados, y promete de las guardar y tener. De aqui va à la villa de Vermeo, y en ſanta Euſemia delante del altar, eſtando vn Sacerdote reueſtido, y teniendo en las manos el cuerpo de noſtro Señor Ieſu Chriſto, pone la mano en el altar, y iura lo miſmo que en las otras partes. Y ſi el Soñor de Vizcaya dentro de vn año no viene à hazer eſte iuramento, no le acudan con las rentas del Señorio.

Hoc iuſiurandum altero pede nudo quondam præſtari ſolitum à Biſcayæ Dynaſtis, author eſt Andr. Poça libro quem de antiquâ linguâ Hiſpanorum & de rebus Biſcaycis ſcripſit, penes quem fides ſit.

Ex his omnibus priuilegiis, quæ Biſcaynos totâ Hiſpaniâ celebres effecere, illud maximè inſigne eſt, quod vniuerſi Nobiles naſcuntur & Nobilium iura in eo Regno conſequuntur: qua de re extat lex tertia titulo *De las entregas y executiones*, in eorum foro, vt vocant, ſeu Codice legum (cui authoritatem dedit Carolus V. Im-

perator & Hiſpaniæ Rex anno 1537) hac ſerie verborum edita. *Otroſi por quanto en Vizcaya todos los Vizcaynos ſon omes hijos dalgo, y por tales conocidos, tenidos y auidos y communmente reputados, y an eſtado y eſtan en eſta poſſeſſion vel quaſi: de ſer hombres hijos dalgo, no ſolamente de padre y abuelo: pero de todos ſus anteceſſores, y de immemorial tiempo aca, y entre otros priuilegios y libertades, y eſenciones dados por ſu Alteza à los omes hijos dalgoes eſte. Que por deuda alguna que deſcienda de delicto, vel quaſi no ſea preſo el tal hidalgo, ni tomada ni executada la caſa de ſu morada, è ſus armas, è cauallo, y a eſte tal priuilegio expreſſamente por el hidalgo no ſe puede renunciar. Dixeron que eſtableſcian por fuero y por ley que por deuda alguna, que no deſcienda de delicto vel quaſi: Vizcayno alguno ſea preſo, ni detenido en carcel, ni ſea executada la caſa de ſu morada, ni ſus armas, ni cauallo, aunque en la tal obligacion, o ſentencia, contracto, o eſcriptura por virtud de que ſe pide captura del, y execucion de ſu caſa, y cauallos, expreſſamente aya renunciado ſu hidalguia, ſo pena que allende de ſer la dicha execucion ninguna, el iuez que diere mandamiento de captura contra Vizcano è ſu caſa, è armas, è cauallo, caya, è incurra en pena de diez mil marauedis por cada vez que mandare lo contrario, repartidos la mitad del para el tal Vizcayno, que fuere mandado prender, y la otra mitad repartida en dos partes, la vna mitad para los pobres del oſpital de eſſe lugar, y la otra mitad para los reparos de los caminos de Vizcaya.* Huic legi etiam, quod ad ciues & oppidanos vrbium Biſcayæ attinet, locum eſſe & ita aliquoties in ſupremâ Curiâ Valliſoletanâ iudicatũ fuiſſe, teſtis eſt Ioannes Arce ab Otalora, eiuſdẽ quondam curiæ Conſiliarius lib. quem de Nobilitate Hiſpanicâ conſcripſit 2. parte tertiæ principales cap. 9. Pauca adhuc de

Biſcayâ ac Biſcaynis dicenda reſtabant, ſed quia ea illis cum accolis Ipuſcoanis (de quibus mox acturus ſum) communia ſunt, placuit ea proximo ſermoni reſeruare potius quam vtrobique cum lectoris faſtidio ingerere.

IPVSCOAM Hiſpanica lingua *Guipuſcoam* vocat præfixâ conſonante G, quam etiam aliis quibuſdam nominibus à vocali incipientibus adiicere ſolet: dicit enim *Gueuo* pro ouo, *Guerta* pro horto, *Gueſſa* pro oſſe, *Gueſſa* pro foſſâ, *Gueſca* pro Oſcâ ciuitate: in quibus omnibus littera G ſuperuacanea eſt: indigenæ vernaculâ linguâ *Ipuſcoam* dicunt, nec aliter in veteribus monumentis hoc nomen, niſi per I vocalem inchoatum reperitur: quam etiam tranſpoſitam fuiſſe ſuſpicor, in quibuſdam tabulis Cartulario Eccleſiæ primariæ Baionenſis inſertis, quæ ſancti Sebaſtiani oppidum, Ipuſcoæ Metropolim, ſanctum *Sebaſtianum de Puſico* nominant, cum *de Ipuſcuâ* dicere debuiſſent. Huius vocis ethymon, ſi quod aliud, in totâ propriorum Hiſpaniæ nominum ſyluâ, obſcurum eſt: Diuinare in re tam abſtruſâ & reconditâ ſi licet, à Vibiſcis Aquitaniæ populis circa Burdigalam (quos Vbiſcos Plinius & Ptolomæus manuſcriptus Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis: at Strabo Ioſcos nuncupant) manaſſe cenſuerim, qui hanc regionem, cum non longè ab eâ diſtarent, antequam à Vaſconibus occuparetur, inuadere potuerunt: Id vt credam eo maximè moueor, quod cum Cantabriam à Francis occupatam fuiſſe, vigente in Hiſpania Gothorum Regno, pateat ex Fredegarij Chronico cap. 33. & Aimonij lib. 4. cap. 13. hiſtor. Franc. Hunc quoque pagum (per quem aditus erat à Gallia aut Francia in Cantabriam) ſub eorum imperio & poteſtate eſſe expediebat: quod ſimiliter ex ipſorum Fredegarij & Aimonij verbis, ſi ritè perpendantur, percipi poteſt.

Poſtquam enim de Cantabriâ militibus Imperatoris Romani, qui in eâ Francis ſucceſſerant, armis à Siſebodo Hiſpaniæ Rege erepta verba facere, addunt plures etiam vrbes in littore maris ab eodem Rege expugnatas fuiſſe, & pulſis inde Gothis aut interfectis euerſas, finéſque imperij Gothorum ſecundum littus maris ad Pyrenæos montes prolatos fuiſſe: quibus verbis Ipuſcuæ regionem ſatis clarè deſignaſſe videntur, quæ ſola à parte Pyrenæi ac maris Oceani Cantabriæ adhærebat: ſed præſtat Fredegarij & Aimonij verba, in quibus poſitum eſt coniecturæ noſtræ fundamentum, in hunc locum referre: *Eo anno,* inquit Fredegarius, *mortuo Betterico, Siſebodus Spaniæ ſucceſſit in regnum, vir ſapiens & in tota Spania laudabilis valde, pietate pleniſſimus. Nam & aduerſus manum publicam fortiter dimicauit; prouinciam Cantabriam Gothorum Regno ſubegit, quam aliquando Franci poſſederant. Dux Francio nomine qui Cantabriam in tempore rexerat, tributa Francorum Regibus multo tempore impleuerat. Sed cum à parte Imperij fuerat Cantabria reuocata à Gothis (vt ſuprà legitur) præoccupatur, & plures ciuitates ab Imperio Romano Siſebodus, in litore maris abſtulit, & vſque fundamentum deſtruxit, cumque Romani ab exercitu Siſebodi trucidarentur, Siſebodus dicebat, pietate plenus, heu me miſerum, cuius tempore tanta ſanguinis effuſio ſitur! Cuicunque poterat occurrere, de morte liberabat. Confirmatum eſt regnum Gothorum in Spania per maris littora vſque Pyrenæos montes.* Aimonij autem verba ſunt, *Siſebodus Cantabriam Francione Duce mortuo militibus Conſtantinopolitanis eripit & tandem dilatat regnum Gothorum ad Pyrenæi iuga: Varduliam* antiquitùs dictam fuiſſe neminem puto ignorare qui veteres Geographos legerit. Terminos habet ab Oriente Lapurdenſem

agrum, regionis Aquitaniæ: à quo fluuio Vidaſſone ſeparatur: ab Occidente Biſcayam & partem Alauæ, à Meridie Nauarræ Regnum & aliam Alauæ partem, à Septentrione denique Oceanum Cantabricum: Tabulæ Voti ſancti Æmiliani ſuprà à me commemoratæ anguſtioribus eam aliquantò finibus arctant, quam vulgò ſoleat definiri, *Deuâ* nimirum flumine & ſancti Sebaſtiani oppido his verbis: *De Riuo de Galbarragâ vſque in flumen Deua, id eſt tota Viſcaya: & de ipsâ Deuâ vſque ad ſanctum Sebaſtianum, id eſt tota Ipuſcoa:* Rogerius Houeden poſteriori parte Annalium cum ditionem *Comitis Baionæ* producat vſque ad portum *Huars* vel *Huuiars* dictum quod incolæ nunc *Oiharzun* vocant, ſatis indicat, ſuo ſæculo *Vidaſſonem* amnem, *Foutarrabiam* oppidum, necnon vicum illum qui *Irun Vrançu* nuncupatur, extra Ipuſcuam fuiſſe & ad Comitatum vel Vicecomitatum Baionenſem ſpectaſſe. Diuiditur *Ipuſcoa* in tres pręcipuos pagos ſeu Regiones, quas *Certanes* incolæ vulgari ſermone appellant, atque totidem amnibus diſcernunt. Prima Regio ea eſt, quam *Deua* fluuius irrigat: Altera, quæ *Vrolæ* amnis ripis expoſita eſt. Tertia, quæ flumine *Oriâ* alluitur: Hæc poſtrema Regio alias duas amplitudine ſuperat, porrigiturque ad confinia vſque Galliæ. *Deua*, Ptolomæi & Melæ ſcriptis celebratus, oritur in montibus Ipuſcoæ qui *Alauam* attingunt in territorio illius vici cui à proximis Salinis *Salinarum* nomen eſt quique vernaculè *Gaza*, id eſt Sal dicitur: Hic agros vallium *Leynzij* & *Elguetæ*, necnon *Vergaræ* & *Plaſenciæ* vrbium decurrens & aquis trium aliorum amnium tumens, quorum alterum è valle *Aramayona*, alterum ex *Oñate* oppido, tertium è finibus Biſcayæ delapſum, alueo ſuo amplectitur: per *Elgoyuarij* & *Mendari* terras, non pro-

cul à cognomine ſibi vrbe *Deua*, in Oceanum peruenit. *Vrola*, è montibus Seguræ vrbis *Alauæ* contiguis editus, per *Legazpiam* vallem ac per *Azcoytiæ*, *Azpeytiæ*, & *ſanctæ Crucis Ceſtonæ* vrbium, atque *Arronæ* vallis fines deductus, iuxta *Çumayam* vicum mari infunditur. *Orcia* ſuprà *Cegamam* vicum, vnius leucæ interuallo non longè à monte Edito, qui nomine ſancti Adriani in illis oris notiſſimus eſt, erumpit: indéque deuolutus per *Seguram* vicum & trium fluuiorum incurſu adauctus, quos è montibus *Alçaſſuæ*, è *Valle Areriâ*, & è monte *Ararâ* emiſſos, ſinu ſuo excipit, *Alegriam* attingit: indéque *Toloſam* verſus procedens ibi *Araxi* fluuio occurrit, qui è montibus Nauarræ, *Larraunio* & *Baraybarrio* proximis, demiſſus, hîc aquas ſuas cum *Oriâ* miſcet: mox vterque per *Vſurbilenſium* & *Orienſium* agros inuectus; Oceano iuxta *Orium* vicum immergitur. Complectitur hæc *Oriæ* ſeu *Araxis* Regio, tria alia flumina *Vrume*, *amnis de Leço*, & *Vidaſſo* dicta, in quibus nobis Ptolemæi Menlaſcus & Melæ Magrada inueſtigandi ſunt, quæ ſi Villanouano Ptolomæi interpreti credimus, non duo flumina diuerſa, ſed vnicum tantum conſtituunt, illud ſcilicet quod nunc *Vidaßi* ſeu *Vidaſſonis* nomine, Galliam ab Hiſpaniâ ſeparat: Floriano verò Ocampo & Garibayo placet, *Menlaſcum* Ptolomæi interpretari *Vrumeam* amnem, qui è montibus Nauarræ exiliens per agrum Hernanienſem proximè muros oppidi *ſancti Sebaſtiani*, in mare exit: At Abrahamo Ortellio magis probatur *Menlaſcum*, fluuio ab Ipuſcoatibus *Orio* dicto adſcribere: cuius ſententiæ libenter accederem, ſi minus obſtarent interualla graduū appoſita à Ptolomæo *Menlaſco* fluuio & *Oiaſoni* vrbi (Idanuſa aut Oidaſſuna eſt Straboni) quam aut ipſammet *Fontarrabiam* eſſe, aut ab illius ſedibus non mul-

tum ſitu abfuiſſe, è Melæ verbis, vbi de Magrada agit, non difficilè eſt intelligere: At certè (niſi mendi arguere numerorum notas à Ptolomæo deſcriptas velimus: aut Menlaſci aquas componere cum alueo fluuij illius, qui ab Ipuſcoatibus *Rio* de *Leço* dictus, è montibus Nauarræ deſcendens, ſecatis *Oiarçunenſium* campis non procul à portu *Paſſagio* in Oceanum ſe effundit) *Menlaſcum* nihil à noſtro *Vidaſſone* differre concedamus neceſſe eſt, ſicuti neque à Magradâ Melæ: nam vt *Vrumeæ*, Menlaſci ſitus conuenire poſſit, neque id numeri Ptolemaici patiuntur, neque veriſimile eſt, Ptolemæum magni nominis Geographum, neglectis *Vidaſſone* & *Oriâ*, præcipuis iſtius tractus fluuiis, *Vrameam* exiguum amnem celebrare voluiſſe. Vrbium Ipuſcoę quas referre conueniat, ſolę ſunt, *ſanctus Sebaſtianus*, indigenis corruptè *Don oſtia* dictus, *Toloſa* atque *Fontarrabia*. Sancti Sebaſtiani oppidum in ipſo maris littore poſitum eſt, cui olim *Ycurum* nomen fuiſſe, cum referat in quodam diplomate apud Sandouall. in Catalog. Epiſc. Pompelon. Sanctius Pompelonenſis Rex, cognomento maior, pręclarum ſuę antiquitatis teſtem tantum Regem habet: Ab alio deinde Sanctio Pompelonenſi etiam Rege, cognomento ſapiente auctum fuiſſe atque inſtauratum, argumento eſt diploma illud, quo ipſius incolis ea priuilegia concedit, quę in foro ſeu iure Iaccenſi continentur: Oppidum ipſum hoc noſtro ſęculo, licet non admodum amplum, cultu tamen atque elegantiâ commendatur, eſtq; ciuibus frequens & portu commodiſſimo munitum, qui mercatores nauigantes ad ſe allicit, nec ſecuram modo nauibus ſtationem hoc munimento, ſed ipſis etiam mercatoribus commercij exercendi facultatem pręſtat propriâ ſitus opportunitate, cum in confinio penè Galliæ atque Hiſpaniæ iaceat.

Tolosa ad confluentes *Orij* atque *Araxis* amnium ſita mediterranearum huiuſce ditionis vrbium Principatum tenet: ibique præcipuum domicilium habet, Præfectus ille ſeu Magiſtratus, qui *Corregidor* ab Hiſpanis dicitur. Alfonſi X. & Sanctij IV. eius filij auſpiciis conditam fuiſſe, ante trecentos & quinquaginta circiter annos, Codicillis xx. Aprilis era 1328, à Sanctio obſignatis probari poteſt, qui oppidanorum manibus teruntur: *Fontarrabia* ad fluuij *Vidaſſonis* ripam (qui è Nauarræ montibus per Vaſtanenſem agrum huc labitur) poſita eſt, non longè à littore Oceani: fons rapidus ſeu rabidus à quibuſdam Latinis ſcriptoribus dicitur: ab indigenis ſuo tempore *Ondarribiam* appellatam fuiſſe, teſtatur Garibayus lib. 8. cap. o: nunc tamen non Ondarribiam ſed cum triplici a, Ondarrabiam vocant: videturq; ſic dictâ Vaſconicâ voce ab eo ipſo flumine cui inſidet, quaſi *Ondarr-Ibaya*, id eſt poſtremum flumen: Eſt enim non Ipuſcoæ modò, ſed totius etiam Hiſpaniæ vltimum in Galliam ituris, viciſſimque è Gallicâ in Hiſpaniam pergentibus, inter Galliæ amnes poſtremus occurro. A Suintillâ Rege Gotho conditam fuiſſe, affirmat Beuterus lib, 1. cap. 27; ſed quis credat Beutero ſine teſte loquenti in re adeo antiquâ & à noſtro æuo remotâ? Mihi certè nulla ſuppetunt argumenta, quæ huic oppido tantę vetuſtatis decus concilient: nec enim aliqua hîc veteris vrbis *Oiaſij*, *Oidaſſunæ* aut *Eaſonis* veſtigia ſuperſunt: tametſi eius ſitum non malè huic vrbi conuenire, colligi poſſit è Ptolemæo & Melâ. Hodie propugnaculum eſt Hiſpaniæ validiſſimum, Galliæ ex hac parte oppoſitum. Alfonſus IX. Caſtellæ Rex qui iſtud oppidum cum vniuerſâ Ipuſcoâ & Alauâ Sanctio Nauarræ Regi, huius nominis vltimo eripuit, oppidanis conceſſit eadem

priuilegia

priuilegia fori ſeu iuris Iaccenſis, quæ oppido ſancti Sebaſtiani à Sanctij patre, aliquot ante annis, conceſſa fuerant, territorijque modum ac fines amne *Oiarçuni* & *Vidaſſone*, *Peñadaya* monte, *Leſſacâ*, *Belsâ*, & *Irum-Vrançu* vicis terminari voluit, proprio diplomate hac de re confecto Palentiæ XIV. Kal. Maij erâ 1241. Promontorium huic oppido imminens *Oiaſſonem* vocat Ptolemęus, adiunctâ vrbe cognomine: At Plinio *Olarſo* eſt, Martiano verò Capellæ *Iarſo*. Horum nominum veſtigia ſeruat adhuc pagus *Oiarço* dictus, duabus leucis *Fontarrabia* diſtans: voce autem *Oiarço* Vaſcones rem vel locum ſylueſtrem deſignant. Præter ſancti Sebaſtiani portum, habet Ipuſcua alium egregium *Paſſagij* nomine notum, naturâ potius quam arte factum, qui ad IV circiter milliaria à Fano ſancti Sebaſtiani ſitus eſt in Orientali plagâ; at Occidentem verſus, ſunt duo alij portus ignobiles *Guetaria* ac *Motrico* cum cognominibus vicis.

IN mediterraneis vrbibus præter *Toloſam* celebrantur, *Plaſencia*, aſſiduâ varij generis armorum fabricâ, quæ hinc in vniuerſas Hiſpaniæ regiones aſportantur: & *Oñate* (quæ Comitibus Gueuaræ ſubiecta eſt) inſtituto illic gymnaſio & liberalium, quas vocant, artium ſcholâ clara. Illa iuſſu Alfonſi IX. Caſtellæ Regis ædificari cœpit anno 1343: hæc verò antiquior eſt, eratque iam tempore Ferdinandi IV Caſtellæ & Ludouici cognomento Hutini Nauarræ Regum temporibus valida & potens, ſi tamen eadem eſt cum eâ, quæ in quibuſdam illius ætatis tabulis Tabularij Regij Pariſienſis *Oyñaz* nominatur. Vtrum Ipuſcoa proprios olim dynaſtas habuerit necne, quemadmodum Biſcaya, mihi non conſtat: hoc vnum ſcio, extitiſſe nonnullos primariæ nobilitatis viros, qui

Ipuſcoæ cognomen ſibi adſciſcerent; meminit enim Ioannes Brizius in hiſtoriâ Pinnatenſi lib. 1. cap. 55. *Garciæ Aznarij de Ipuſcoa* & *Galgæ* eius vxoris qui erâ 1063 Regnante Sanctio Maiore Pompelonenſi Rege monaſterium *Ollaçabal* dictum, eiuſdem cœnobij monachis conceſſere: Eadem tamen, in hoc, fuiſſe conditione Ipuſcoates crediderim ac Alauenſes, vt ſcilicet Dynaſtas ſibi velut duces aut defenſores, ad arbitrium eligerent: cum legam apud Sandouallium in commentario rerum ſancti Æmiliani §.71. Lupum Eneconis Biſcayæ dominum, Ipuſcuæ & Alauę quoque dominatum obtinuiſſe erâ 1120: At poſterioribus ſęculis impetrarunt ab Henrico Rege huius nominis IV, ne deinceps alicuius optimatum Imperium perferre cogerentur, ſed vt ſolis perpetuò Regibus ac eorum prędectis ſubiacerent, neque Regibus fas eſſet ſe Ipuſcoę dominio abdicare, aut illud in aliũ quemuis conferre. Iam quod attinet ad ius ſummi Imperij in Ipuſcoâ, illud penes Reges Pompelonenſes ferè ſemper fuiſſe haud dubito: nec id magnifacio quod Garibayus lib. 10. cap. 8. ex diplomate, *voti S. Æmiliani* quod vocant, aſſeruit: Ipuſcoam era 972 in poteſtate Ferdinandi Caſtellę Comitis fuiſſe: nam vacillare illius diplomatis fidem, nec eſſe cur quiſquam ei innitatur, oſtendunt ea quę in hanc rem obſeruauit Ambroſ. Moral. lib. 16. cap. 16: tum illud pręcipuè, quod prœlium ad Septem mancas geſtum (quę illius voti veluti ſeges & materia ad argumentum ſubiecta eſt) nondum illa ęrâ ſed quadriennio poſt cómiſſum eſt, vt ibidem docet Morales. Inſuper, etſi concederemus Garibayo diploma illud vitio carere: non ideò verum eſſet Ipuſcoam tunc temporis ad Ferdinandum ſpectaſſe, quia illam Ferdinandus pari voto, ac ſuę ditionis terras, erga ſanctũ Æmilianum

adſtrinxit: illud enim cum bona Pompelonenſis Regis venia, factum intelligi poſſet, ex his verbis quę ad calcem illius diplomatis addita ſunt: *Ego autem Garſia Sanctionis Rex totius Pompelonenſis Regni aſſenſum præbui tantæ deuotionis & partem regni mei, quæ vicinior illi eſt monaſterio, ſicut ſuprà notatum eſt in illâ deuotione ſtabiliui, & cum ſubiectis meis deuoto animo confirmaui.* Tabulas autem huiuſce diplomatis, licet non ea, quam prę ſe ferunt, ęra ſcriptę ſunt, eſſe tamen vetuſtas, ideò ſuprà dixi, cum de fluuio illo Biſcayo, qui *Bilbaum* alluit, verba feci: quia in antiquo Cartulario ſeu Codice tabularum manuſcripto monaſterij ſancti Æmiliani (*Bezerro vocant*) ſcriptę reriuntur: extatque *Cuellari* vrbe illarum exemplar Hiſpanicâ linguâ expreſſum, inſertumque nouo diplomati Ferdinandi IV. Caſtellę Regis Valliſoleti XXI Septembris anno 1287 conceſſo: quo ea omnia, quæ illis tabulis continentur, Ferdinandus rata habet: vtriuſque teſtem habeo Sandouallium in commentar. rerum ſancti Æmil. §. 35. Quod autem idem Garib. lib. II. cap. 22. *Ipuſcoam* anno quoque 1090 in tutela Alfonſi Caſtellę Regis fuiſſe ſcribit, id idcircò factum ignorare non debuit, quod à morte Sanctij Garſiæ Pompelonēſis Regis, qui *Penaleni* anno 1076 intetemptus eſt, illius regnum, pulſo inde vi hærede legitimo, partim ab eodē Alfonſo, partim à Sanctio Remirez Arag. Rege occupatum eſt, atque ob eam cauſam Nauarri, inter Caſtellæ & Nauarræ Regnum, (vt Roderic. Tolet verbis vtar) velut acephali fluctuabant: At poſt aliquot annos Garciâ Ramireſij Nauarro Principe in auitum regnum reſtituto, Ipuſcoa quoque eius imperio ceſſit, & in eâdem causâ ſub poſteris eius manſit: donec Regnante Sanctio huius nominis vltimo, cum hic in Africam tranſmiſiſſet & diutiùs ibi cunctaretur,

ardente bellis interim prouinciâ, coacta eſt ſimul cum Alauâ in ditionem ac poteſtatē Alfonſi IX Caſtellæ Regis venire. Ab eo tempore Caſtellæ Reges cum Ipuſcuatum, in illâ regni ſui orâ & Galliæ ac Nauarræ confinio habitantium, operam ſibi vtilem futuram, fidem etiam neceſſariam viderent: de conciliandis eorum animis & ad vſus ſuos adiungendis ſatagentes, multis eos ac ſingularibus immunitatibus & prærogatiuis donarunt, plurimis etiam in eorum ſolo & patriâ vrbibus atque oppidis aut nouis condendis, aut veteribus reficiendis ac augendis ſtuduere. Ab eodem enim Alfonſo *Guetariam* & *Motricum* in littore Oceani, inſtauratas & munitas comperio: Ab Alfonſo autem eius nepote *Mondragonem* amplificatam & *Vergaram* conditam; At Ferdinandum IV *Azpeytiæ*, Alfonſum verò XI *Azcoytiæ* vrbium fundamenta ieciſſe publicis tabulis apparet: (in vnaquaque ambarum trimeſtri ſpatio conſiſtere & litibus dirimendis ac facinoroſis plectendis vacare *Correctoris* officio incumbit:) Ab eodem Alfonſo XI, *Salinæ, Maia, Deua, Plaſencia, Heybar, Elgoyuar* & *Çumaya*, vrbis ſeu municipij ius acceprunt, *Vſurbi'um* Henricum II, at *Orio, Ceſtona* & *Villa Regalis Vrrechuæ* Iohanem I. conditores agnoſcunt.

Maxima pars *Ipuſcoæ* & id totum, quod *Vrolâ* & *Vidaſſoue* amnibus continetur, Pontificis Baionenſis, in Vaſconiâ Aquitanicâ, iuriſdictioni in rebus Eccleſiaſticis ſubiacebat, ſed patrum memoriâ Philippus II. Hiſpaniæ Rex reſcriptum à Pontifice Maximo impetrauit, quo indictâ causâ Ipuſcoæ iuriſdictio à Baionenſi abducta & ad Pompelonenſem Epiſcopum traducta eſt. Huius reſcripti cauſam Iacob. Auguſt. Thuan. ſcitè & ornatè ſuo more lib. XXXVII hiſtor. ſui temp. ad annum CIↃ IↃLXV

expreſſit his verbis. *Ex occaſione graſſantis in Gallia ſectarij mali poſtulatum ab Albano Philippi nomine fuerat vt Regis Edicto conueniendi ad conciones libertas in vrbibus in limite poſitis reuocaretur, ne malum contagione in vicinas prouincias ſerperet & commoditate ob proximitatem allecti plerique ex altera ditione in alteram migrarent: ſed intercedentibus apud nos proteſtantibus & libello edito iniquitatem poſtulati exaggerantibus, Albani deſiderio minime ſatisfactum fuit: eo tamen colore poſtea obtinuit à Pontifice Philippus, vt Vipuſcoa & Bizcaya Cantabriæ olim nomine comprehenſæ prouinciæ, quæ Baionæ Epiſcopo ſuberant ab eius poteſtate ac Diœceſi auellerentur magnâ Gallici nominis iacturâ & iniuriâ.* Hoc tamen Pompelonenſi Epiſcopo nô purè aut decretoriè, ſed tantum fiduciario iure à Pontifice attributum, tantiſper dum graſſantis in Gallia tunc hæreſis lues ceſſaret, declarant ipſæ reſcripti Pontificij tabulæ, quarum exemplum breuitatis ſtudium hoc loco excluſit. Huius diœceſis terminos à parte Ipuſcoæ ſtatuunt veteres tabulę Cartularij Eccleſiæ Baionenſis, tempore Benedicti VII. Romani Pontificis circa annũ Chriſti 980 conſcriptæ, *ſancti Adriani* montem, quam *ſanctam Trianam* vocant, & *ſanctam Mariam de Aroſth*, quæ vox non longè abit à nomine *Vroſtili*, qui pagus parum ab Vrolæ amnis ripâ, atque Azpeytia vrbe diſtat. Reliqua Ipuſcoa, quæ ab Vrola ad Deuam porrigitur, ſuberat olim Alauenſi Epiſcopo, nunc illi ius dicit Calagurritanus Pontifex, perinde ac Biſcayæ: mons *ſancti Adriani* cuius meminere tabulæ illæ, quâ Galliam ſpectat humanâ operâ pertuſus eſt ad commeantium vltrò citróque neceſſitates.

De Ipuſcoa & Biſcaya earumque incolis hæc vniuerſim refert I. Metellus Sequan. in ſpeculo orbis terræ:

Dominia Biſcayæ & Guipuſcoæ montibus obſita ſunt nec multum panis aut vini habẽt. Aliquibus in locis panẽ è milio quem Borona vocant pinſunt eduntque ſuccum è pomis expreſſum quem ſidram nominant vini loco bibunt, maxima tamen Regionis pars vino panéq; aliũde illato vtitur: multã materiam nauibus fabricandis aptam montes ſuppeditant, earumque cuiuſcunque generis plus in hac Regione paratur quam in alia Hiſpaniæ parte. Harum prouinciarum gentes veloces bellicoſæq; ſunt cæteriſq; nationibus nauigãdi arte præferendæ credũtur, ferri chalybiſque venæ in iis regionibus ſunt tantumq; eius materia hic effoditur vt multis regnis ſufficiat. Et paulò pòſt. *In Biſcaya & Guipuſcua ccc ferri cudẽdi officinæ ſunt, in quarum vnaquaque quot annis ad minimum mille pondo (quæ quintales vulgus nominat) ferri & chalybis elaborantur,* quibus hæc addunt qui nuper mercatoris tabulas geographicas edidere, *Guipuſcoani nauigationi vt plurimum operam dantes ex piſcium quos Baccalaos vocant captura & balænarum quæſtum faciunt, harum adipem in ahenis decoſtam liquefactamque & cadis impoſitam longè latéque diſtrahunt liquorem vulgò Traiam vocant, ſal quoque hic coquitur in loco quem Salinas appellant.* Et infrà: *Incolæ iiſdem cum Biſcaynis ſunt moribus eadémque vtuntur lingua natura ſunt ingenioſi, ciuiles, exculti ſatis, ad alliciendum faciles, honoris cupidi, ſuorum priuilegiorum defenſores acerrimi, agiles, animoſi, ad tractanda omnis generis arma dexterrimi, & ad militiam procliues, mulieres validæ ſunt, robuſtæ, viragines ſunt veræ, corpore bene habito, nec ineleganti forma.* Superiora ferè omnia ex Medina Hiſpalenſi libro, *De las coſas notables de Eſpaña* cap. 131. & ex Garibayj lib. xv. cap. xv. expreſſa ſunt, Nauagierus addit hoc tractu tantum ferri chalybiſque effodi vt ſingulis annis lxxx millia Ducatorum inde quæſtus fiat: Ipuſcuates nauigationes

animas parant in illam Americæ Septentrionalis Regionem quæ *terra noua vel terra de Bacallaos dicitur*, inde ſumam illius piſcis qui Bacallao dicitur copiam inuehũt, litteris parum dediti ſunt Ipuſcoates & Biſcayni licet ad eas non inepti, vt iactat Garibayus. Cæterum omnes ferè elato ſunt animo & ad iracundiam procliui. Hoc etiam vtrique populo proprium eſt (tametſi commune cum Reliquis Vaſconibns) quod candidi atque aperti ſunt & ad humanitatem propenſi, oſtentationem aliquantum affectant, auaritiam auerſantur, diuitiarum non multum appetentes, paupertatis tamen impatientiſſimi ſunt. Poſtremò (quæ illis maxima laus eſt) inuiolatæ in ſuos Principes, familiares & heros fidei, inter quaſcumque alias gentes, palmam ferunt. Iam abſoluta Vaſconię Ibericæ deſcriptione, principum in ea familiarum veterum ſtemmata expedienda ſunt.

De origine Nauarræ Regni ac de primis illius Regibus, variæ diuerſorum authorum ſententiæ examinatæ.

CAPVT IX.

IN aſſignandis Regni Pompelonenſis ſiue Nauarrici primordiis, bifariam diuiſi ſunt autores: Nam plerique veterum Annalium Aragonenſium, qui in cœnobij ſancti Iohannis Piñatenſis ſcriniis latent, fidem ſequuti, illa à tempore Pelagij I. Aſturiarum Regis ab anno ſcilicet DCCXVI vel DCCXVIII aut vt plurimũ DCCXXIV repetunt, Garſia Ximenij primo Rege conſtituto, cui ad annum Chriſti DCCLVIII vitâ functo, ſucceſſorem in regno tribuunt filium Garſiam Eneconis, huic Fortunium Garſiæ, Fortunio Sanctium Garſiæ, Sanctio Xi-

minum Garſiæ, Ximino Garſiam filium, quo ſine liberis decedente, Regnum noua electione ad Eneconem cognomento Ariſtam dicunt perueniſſe, qui deinde illud Garciæ filio tranſcripſerit, Garſias Sanctio cognomento Abarcæ, Abarca Sanctio Garſiæ cognomento tremulo patri Sanctij maioris. Alij contra Roderici Toletani Epiſcopi, grauis & antiqui ſcriptoris autoritate freti; Regnum ab Inico vel Enecone cognomento Ariſtâ auſpicantur, huic itidem Garſiâ filio ſucceſſore dato, Garſiæ verò Sanctio Abarcâ, at Abarcæ Garciâ tremulo: Garſiâ Ximenio aliiſque Regibus, quos ante Ariſtam ponunt prioris ſententiæ authores, inſuper habitis. Sanè ſi rem attentiùs conſideremus, prior opinio non parum aberrat à veritate, ſiue rationem temporum inſpicias, ſiue ordinem ſucceſſionis Regum, ſed ne poſterior quidem vitio caret, cum pleroſque Reges, quos certum eſt inter primum Regem & Sanctium Abarcam, Sanctij maioris auum regnaſſe, ſilentio prætereat. Vtraque cum obſtinatos habeat defenſores accuratiùs examinanda eſt & iuſtis machinis oppugnãda. Stephanus Garibayus, cui multùm hiſtoriæ nomine debet Hiſpania, plurimùm Nauarra, cum aliàs in pleriſque næuis, qui hiſtoriam Nauarricam fœdabant, tollendis fœliciter verſatus ſit, hoc vno loco ſui ſe diſſimilem præſtitit, dum aliorum autorum errores, quos illi tot ſubſidiis veterum monumentorum, quæ in manibus habebat, fulto, corrigere facillimum fuerat, nouis ſubinde erroribus auxit, pro ſingularibus Regibus, qui Fortunij, Sanctij Garſiæ & Garciæ Sanctij nomina, ante Regẽ Abarcam tulere, geminos nobis obtrudendo: & quia in eo maximè lapſus eſt in quo primæ ſentẽtiæ authores veluti duces certos ſecutus fuit, ideò illum inter ipſos in hac diſputatione complectemur. Primùm itaque contra

contra prioris ſententiæ authores illud fidenter decernimus: nullum proprium Regem Pompelonenſibus ſeu Nauarris ad Ludouici Pij Imperatoris Romani & Francorum Regis ætatem imperaſſe, ſed ipſos aliquandiu immunes imperij, aliàs Francorum Regibus, nonnũquam etiam Sarracenis ſubiectos vixiſſe. Sebaſtianus Salmantic. Epiſcopus, qui nõ multis annis Ludouici ętatem exceſſit, cum res in Hiſpaniâ ab aduentu Sarracenorum ad ſua vſque tempora geſtas, literis mandandas ſuſcepiſſet, Aſturiæ ſeu Oueti Principum vitas ſigillatim deſcripſit, Pompelonenſium verò ſeu Nauarrorum Regum nuſquam meminit: quin imò in vita Froilani, qui anno 757, in Aſturia regnare cœpit, hunc Regem Vaſcones ſuo imperio rebelles domuiſſe prodit: vbi ſiue voce Vaſconum (ex propria huius nominis vi) Pompelonenſes & Nauarros omnes ſignificare voluit: ſiue Alauenſes tantum, vt ex ipſo in vita Mauregati Regis colligere licet, contrariam noſtræ ſententiam funditus euertit: cuius authoribus Alauam tunc temporis ad Pompelonenſe ſeu Nauarræ Regnum ſpectaſſe probatur. Sebaſtiano adiungo Eginhardum, alióſque hiſtoricos Carolo Magno & Ludouico Pio Regibus ætate ſuppares, quos à Petro Pithæo dudum editos nuper bono publico auctiores dedit Andr. Duchenius; nam hi quoque dum iſtorum Regum Annales contexunt, multa pro re nata de rebus Hiſpanicis interſerunt, neque Reges Aſturiæ indictos prætereunt: at de Regibus Nauarræ aut Pompelonis vel etiam Suprarbis (vt quidam eos iam tum nuncupatos fuiſſe hariolantur) altũ apud eos ſilentium; cæterum de rebus Pompelonenſium & Nauarrorum ita ſcripſere, vt nullos ea ætate inibi Reges proprios fuiſſe, ex eorum verbis intelligi facilè poſſit: quorum ſumma

eſt, anno 778 Carolum, ab Ibnabala, aliiſque Sarracenorum proceribus accitum, Hiſpaniam cum valido exercitu appuliſſe: Vaſcones & Nauarros veluti de via ſibi ſubdidiſſe: Pompelonem oppidum cum oppugnaſſet ad deditionem compulſiſſe: Rurſus in reditu, eiuſdem oppidi mœnia, quaſi rebellionem futuram proſpiceret, diruiſſe: Anno 806 tam Pompelonenſes quàm Nauarros, qui non ita pridem ad Sarracenos defecerant, in fidem recepiſſe: Anno 809 Ludouicum Regem Pompelonem adiiſſe, ibique iis, quæ è re tum publicâ cum priuatâ erant procuratis, Aquitaniam repetiiſſe: Anno denique 824 Eblum & Azenarium Comites cum copiis à Ludouico Pompelonem miſſos, poſtquam datum ſibi negotium peregiſſent, in Galliam redeuntes à Vaſconibus in anguſtiis Pyrenæi malè acceptos & deletis copiis comprehenſos fuiſſe. Sed operæ pretium fuerit, in re adeò controuersâ & plenâ diſſenſionis, inter hodiernos authores, eoſdem ſcriptores loquentes audire. Eginhardus in Caroli Magni vitâ, bella ab hoc Principe geſta & incrementa Franciæ Regno adiecta, recenſens. *Ipſe*, inquit, *per bella memorata, primo Aquitaniam & VVaſconiam totumque Pyrenæi montis iugum & vſque ad Hiberum amnem, qui apud Nauarros ortus & fertiliſsimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertuſæ ciuitatis mœnia Baleàrico mari miſcetur. Deinde Italiam totam* &c. *Deinde omnes barbaras ac feras nationes quæ inter Rhenum* &c. *Ita perdomuit, vt eas tributarias efficeret.* Author Annalium Francorum vetuſtus qui anno 808 viuebat, è Codice manuſcripto Ioannis Tilij auctior ſuperiori anno à Duchenio editus, ad annum 779. *Tunc*, inquit, *domnus Imperator agens partibus Hiſpaniæ, per duas vias, vnam per Pampaloniam, per quam ipſe perrexit, vſque Cæſar-Auguſtam,*

ibi obſides receptos de Ibinalarabi & de Abutauro, Pampaloniâ deſtructâ, Hiſpanos VVaſcones ſubiugatos reuerſus eſt in Franciam. Idem Eginhardus ſeu alius quiſquis eſt author Annalium Coloniæ primum ab Hermāno Comite Nuenario editorum, ad annum 778. *Tunc,* inquit, *Rex perſuaſione prædicti Saraceni ſpem capiendarum quarumdam in Hiſpaniâ ciuitatum haud fruſtra concipiens, congregato exercitu profectus eſt: ſuperatóque in regione Vaſconum Pyrenei iugo, primò Pompelonem Nauarrorum oppidum aggreſſus, in deditionem accepit. Inde Iberum amnem vado traiiciens Cæſarauguſtam præcipuam illarum partium ciuitatem acceſſit: acceptiſque quos Ibinalarabi & Abithaur, quoſque alij quidam Saraceni obtulerunt obſidibus, Pompelonem reuertitur: cuius muros, ne rebellare poſſet, ad ſolum vſque deſtruxit: ac regredi ſtatuens, Pyrenei ſaltum ingreſſus eſt.* Idem Author ad annum 806. *In Hiſpaniâ verò Nauarri & Pompelonenſes qui ſuperioribus annis ad Saracenos defecerant in fidem recepti ſunt.* Qui locus totidem verbis extat in iis Annalibus quos anno 808 conſcriptos fuiſſe diximus, quamquam in tempore aliquantulum varient. Nam in annum 807 illa referunt. Author vitæ Ludouici Pij, qui ſe Aſtronomum & in aulâ ipſius Pij verſatum profitetur, ad annum 809 de eodem Rege verba faciens. *Superato autem,* inquit, *penè difficili Pyrenearum tranſitu Alpium Pampalonam deſcendit, & in illis quamdiu viſum eſt, moratus locis, ea quæ vtilitati tam publicæ quàm priuatæ conducerent ordinauit.* Idem Author ad annum 823. *Eodem anno Eblus atque Aſenarius Comites trans Pyrenei montis altitudinem iuſsi ſunt ire: Qui quum magnis copiis vſque ad Pampilonam iſſent & inde negotio peracto redirent, ſolitam loci perfidiam, habitatorumque genuinam fraudem experti ſunt. Circumuenti enim*

ab incolis illius loci , omnibus amiſsis copiis , in inimicorum manus deuenire. Qui Eblum quidem Cordubam Regi Sarracenorum miſerunt : Aſenario verò, tanquam qui eos affinitate ſanguinis tangeret , pepercere. Hunc tamen Ebli & Aſenarij vel Aſinarij (vt eum vocant, Annales illi ab Hermanno Nuenario editi) caſum , ad annum 824 referunt ij Annales , in reliquis verò cum hoc authore conſentiunt. Superiora omnia confirmant etiam alij veteres hiſtorici , tam anonymi à Pithæo & Duchenio editi , quàm Aimonius, Regino, & Sigibertus. Quod ſi antiquiora tempora recolamus, eoſdem populos, ante Caroli in Hiſpaniam aduentum, primùm ſub Regum Aſturiæ , deinde ſub Sarracenorum imperio fuiſſe nihilo ſeciùs apparebit : & de Regibus quidem Aſturiæ docent hi Roderici Toletani & Lucæ Tudenſis loci. Roderic. lib. 4. cap. 5. de Adefonſo Aſturiæ Rege huius nominis primo. *A Malauâ,* inquit , (lege ex MS^to Collegij Nauarrici Pariſienſis in Alauâ) *& Orduniâ, Biſcaiâ & Nauarra & Ruconia & Saraſacio vſque ad Pyrenæum plurima caſtra puniuit.* (lege ex eodem MS^to muniuit) Lucas Tudenſis lib. 4. de eodem Adefonſo. *Exercitum cum Froyla contra Sarracenos ſæpius mouens quam plurimas à Barbaris ciuitates oppreſſas bellando cepit, id eſt Lucum, Tudam, Portugalam &c. Alauam , Biſcayam , Aiconem , Orduniam, Pampiloniam & Beroziam. Omnes quoque Arabes gladio interficiens , Chriſtianos, qui detinebantur captiui, ſecum ad patriam duxit. Eo quoque tempore populauit Aſturias & Leuanam & totam Caſtellam, Alauam & Biſcayam & Pampilonam : alias autem ciuitates vaſtauit quia illas non potuit populare.* Quæ tamen Lucæ verba , haud vſquequaque congruunt cum iis quæ in hanc rem ſcribit Sebaſtianus Salmanticenſis Epiſcopus, in vita ipſius Ade-

fonſi, vbi poſtquam de vrbibus ab eo expugnatis egit, hæc ſubdit. *Eo tempore populantur Primorias, Leuana, Traſmera, Supporta, Carranca, Burgis, quæ nunc appellatur Caſtella & pars maritimæ Galliciæ: Alaua namque Vizcaia, Araone & Ordunia à ſuis incolis ſemper eſſe poſſeſſa reperiuntur: ſicut Pampilona, Deguis* (ſic enim legitur in manuſcripto libro) *atque Berroza*. Roderici & Lucæ ſententiam confirmant hæc verba præfationis veteri foro ſeu Codici legum Suprarbienſium annexæ. *Entonces ſe perdio Eſpaña entroa los puertos ſino en Galicia & las Aſturias & daca Alaua, Bizcaia, & dotra part Baſtan & la Berrueza Deierri & en Anſo & ſobre Iacca & encara en Roncal & en Saraſaz & en Sobrarbe & en Anſa & en eſtas montayñas ſe alçaron muy pocas gentes & dieron ſe à pief aſiendo caualgadas & puſieron ſe à cauaillo & partian los bienes à los mas efforçados entroa que fueron en eſtas montayñas d'Aynsa & de Sobrarbe que eran mas de ccc. à cauayllo*. Et paulò pòſt. *Et depues eleyron Rey al Rey D. Pelayo que fue de linage de Godos & guerreo de las Aſturias à los Moros & de todas las montañas.* Non autem diu in hac conditione perſeueraſſe hos populos, ſed breui in Maurorum Regum poteſtatem veniſſe, & in ea vſque ad Caroli Magni tempora manſiſſe, è veteribus tam Arabum quàm Francorum hiſtoriis colligitur & è prioribus quidem hæc narrat Ludouicus Marmol. lib. 2. deſcriptionis Africæ parte 1. cap. 14: Circa annum Chriſti 733 Ben Xeque Regulum Maurum, cui etiam Atinij cognomentum fuit, Pompelonem oppidum vniuerſamque Nauarræ regionem armis obtinuiſſe: rurſus cap. 17 poſt Atinium fato functum Yucefo alteri Regi Mauro è Galliâ cum copiis reuertenti, circa annum 751 Adefonſum Aſturiæ Regem, comparato exercitu in Nauarrâ

occurriſſe, multas ibi vrbes & caſtra occupaſſe, commiſſóque inter vtrumque circa Calagurrim prœlio, victorem Adefonſum ſe euaſiſſe. E Gallis verò ſcriptoribus hoc præterea liquet anno 778 Pompelonem etiamnum in ipſorum Maurorum ditione fuiſſe: Regino Prumienſis qui ea quæ de Caroli geſtis ſcripſit, ab antiquiori ſe authore accepiſſe monet ad annum 814. *Carolus*, inquit, *cum exercitu in Hiſpaniam ingreſſus eſt, venit enim primò ad Pampilonam ciuitatem, deinde ad Cæſarauguſtanam vrbem perrexit, vbi innumerabilis multitudo de partibus Burgundiæ & Auſtraſiæ vel Baioariæ ſeu Prouinciæ & Septimaniæ. Pars etiam Longobardorum in auxilium Francorum conuenerunt: obſidione itaque ciuitatis territi Saraceni obſides dederunt & immenſum pondus auri: eiectis itaque Saracenis de Pampilonâ muriſque eiuſdem ciuitatis dirutis Vaſconibuſque ſubiugatis in Franciam reuertitur.* Pluribus hanc obſidionem Pompelonis proſequitur Paulus Æmilius lib. 23 hiſtoriæ Francorum, ex priſcis Vaſconum Annalibus, quos in Caroli vitâ ſe præcipuè ſecutum fuiſſe profitetur. *Ad Pompelonem*, inquit, *caſtra poſita, miſſi qui percontarentur deditionem ne facerent Saraceni, qui eam valido præſidio inſederant, an fortunam belli experiri vellent. Tempus primùm ad deliberandum petebant: datum eſt diei ſpatium: deinde id agebant vt ad Reges ſocios amicoſque ſibi mittere liceret: vt niſi intra quindecim dies auxilio illi præſto eſſent, dederent ſeſe vrbemque: è re Francorum eſſe, vrbe integra à clade belli potiri potius, quàm & à victore per iram, & à victo per deſperationem euersâ, &c.* Satis ne quæſo hæc demonſtrant Pompelonenſes ac Nauaros eo interuallo temporis, quod ab ingreſſu Sarracenorum in Hiſpaniam, ad annum vſque 824 effluxit, propriis Regibus caruiſſe, eóque quatuor illos, qui huc irrepſe-

runt, Garſiam Ximenij, inquam, Garſiam Eneconis, Fortunium Garſiæ & Sanctium Garſiæ, ſi minus ementitos, at ſaltem præpoſterè ac perturbato ordine hic collocatos fuiſſe? Sed plenius adhuc noſtra confirmant vetuſta diplomata ac monumenta apud Ioannem Brizium lib. 1. cap. 20 & 26. & lib. 2. cap. 2. Garib. lib. 22. cap. 3. 6. & 10. Blancam cap. de variis Suprarbienſis Regni initiis ſententiis, Ambroſ. Moralem lib. 15. cap. 36. & Sandoual. in Catal. Epiſc. Pompel. quæ quatuor illos Reges Garſiam Ximenium, Garſiam Eneconis, Fortunium Garſiæ, & Sanctium Garſiæ, non ante, ſed poſt Ariſtam, ab anno ſcilicet 856 ad annum 924, vixiſſe clamant. In agnoſcendis tamen his Regibus, qui è diplomatum iſtorum lectione emergunt, non ita concors omnium ſententia eſt, quin noſtra controuerſiam aliquam patiatur: Nam vt ſpeculum ſi frangas, duplicem pro vnicâ faciem reddit, ſic nomina iſtorum Regum, quaſi membra luxata, ſuâ ſede dimota & à vera epochâ abiuncta, geminos pro ſingulis Reges effingendi non nemini anſam dedere. Vnde infeſtis ecce in nos incurrit ſignis Garibayus, vt quatuor illos Reges in priſtinâ ſede tueatur, & à totidem cognominibus Regibus qui Ariſtam ſubſecuti ſunt & iis diplomatibus deſignantur, ſeparet: triplicique certat argumentorum acie, quarum prima & poſtrema duces oſtentant alios prioris ſententiæ authores, inter quos, vt præmonui, principatum tenet author Anonymus Annalium veterum Aragonenſium. Hi, inquit Garibayus, non vnicum duntaxat, ſed binos ſtatuunt Garſiæ Eneconis nomine Nauarræ Reges, Fortuniumque f. ciunt Garſiæ Ximenij nepotem, cum alter Fortunius, Ximini non Garſiæ ſit nepos Sanctium etiam, qui Fo:tunio illi in Regno ſucceſſit, ip-

ſius filium eſſe affirmant: At alter Sanctius Fortunij poſterioris ſucceſſor, ipſius non filius ſed frater extitit. Secunda autem acies à vetuſtis tabulis Sanctij Garſiæ Regis, huius nominis primi, in gratiam Roncalenſis pagi incolarum æra 860, anno nimirum Chriſti 822, vt ait Garibayus, emiſſis vires ac robur accipit: quibus, eo anno Pompelonê Sanctium regnaſſe fuiſſéque Fortunij Regis filium, apertè declaratur. De authore Annalium primo loco videamus, an tanti ſit vt Sebaſtiano Salmanticenſi, Eginhardo & aliis antiquiſſimis authoribus, quorum teſtimoniis noſtra ſententia ſtat, præferri debeat. Porrò etſi de ipſo iudicium ferre difficile ſit, cum nec nomine quidem nobis notus ſit (licet Petrum Marcillum monachum, à quibuſdam credi teſtetur Hieronymus Blanca) Annales verò illi adhuc in occulto lateant, necdum lucem viderint: præſto tamen nobis eſt authoritas Hieronymi Çuritæ, omnium, quotquot de Aragonicis rebus ſcripſerunt, longè doctiſſimi & idonei harum rerum arbitri: Hic enim in Indicib. rerum Aragoniæ à ſe anno 1578 editis, ad annum 758 teſtatur, hunc authorem monachum fuiſſe Pinnatenſem, neque ſcientiâ, neque diligentiâ, neque etiam fide commendandum, neque adeò vetuſtate clarum, vtpote qui exeunte decimo quarto ſæculo vixerit. *Vetus*, inquit, *Rerum Aragonenſium author, qui ante* CC *annos Regum facta compoſuit, in artificio & operâ quam tenui & exili, quum aliàs nullam adhibuiſſe diligentiam videatur, in recenſendis Regni originibus, longè ſe & cæteros omnes ſuperat: ſed falsò quæſita propriæ gentis laus, leuiorem authorem facit: præſertim cum Rudericus Simenius Toletanus Antiſtes, propior temporibus harum rerum ſcriptor, & longè vetuſtior, apud quem clariora, certioraque domi militiæq; geſta exponuntur,*

Reges

Reges quos ille noſter commemorat, ſilentio prætermiſerit. Ipſemet quoque Garibayus, reſtitutis in locũ ſuum tribus Regibus, Fortunio ſcilicet Garſiæ, Sãctio Garſiæ & Garſiâ Sanctij, quos ille monachus inter Ariſtæ Regis ſucceſſores omiſerat, & exploſâ ac confutatâ fabulâ illâ, quam de Sanctij Garſiæ, Ariſtæ nepotis natali, Annalibus ſuis intexuerat, vbi illum, ex vtero matris inter Maurorum acies exſecto, auulſum perſuadere conatur, ſatis ſupérque hominis inſcitiam & indiligentiam in aſpectum lucémque protulit. Fruſtra igitur iſtius anonymi ſcriptoris authoritate nos oppugnat Garibayus, ac in fide huiuſmodi teſtis, de rebus tot ſæculorum interuallo à ſuâ ætate diſiunctis, teſtimonium dicentis acquieſcere iubet, quem ipſe in aliis minus antiquis, tum falſi, tum manifeſti erroris conuictum tenet: quamuis illum in numero quidem Regum nobiſcum potius, quàm cum Garibayo ſentire; in cæteris verò, quæ hoc loco ex ipſo vſurpat Garibayus, magis αἰπηχρονίσμοις, ſeu vitioſis anticipatæ æræ calculis, qnam rerum commentis laborare eius ſcripta, iuſtis rerũ æſtimationibus, probàre poſſe confidimus.

VENIO nunc ad tabulas Sanctij Garſiæ anno 822, vt putat Garibayus, Roncalenſibus conceſſas, quæ tanti ab eo fiunt, vt iis ſe maximè antea ambiguum, & veluti fluctuantem, inter vtramque de primis Regibus opinionem, ad priorem pertractum aſſerere non dubitet: ſed illud, quod præcipuè in quæſtione tanti momenti optandum fuerat, & quod veluti caput erat, tabulas ipſas non exhibuit: quique aliàs, in huiuſcemodi monumentis euulgandis multus fuit, in hac parte ſe admodùm parcum præbuit. Cuius rei hanc cauſam reperio, quod illas tabulas nec habuit, nec vmquam vidit: ſolum enim exemplum diplomatis cuiuſdam, à Carolo huius nomi-

nis tertio Nauarræ Rege, Roncalenſibus conceſſi, quo illas tabulas firmas & perpetuas eſſe iubet, penes ſe eſſe iactat. Iniquè igitur nobiſcum agit Garibayus, dum ſuæ opinionis fidem, earum tabularum authoritate conſtare vult, quæ nuſquam extant. Sed eſto, concedamus diplomate illo Caroli 3. ſeriem tabularum Sanctij Garſiæ comprehendi, ipſáſque æræ 860 ſiue anno 822 adſcribi: num ideò hic numerus æræ, ſeu anni, qui è ſola librarij aut ſcribæ peritiâ, fide, ac ſedulitate pendet, pro certo & indubitato habendus eſt? minimè certè, fallaces enim ſunt iſtiuſmodi librariorum manus & nimium erroribus (præcipuè in numeris annorum, qui arithmeticis notis exprimuntur deſcribendis) obnoxij: itaque ab iis ſeriò cauendũ monent duo eruditi viri Morales & Sandouallius: ille lib. 15. cap. 25. & lib. 16. cap. 22. & 24: hic autem in vitis Regum Ramiri I. & Alfonſi III. cognomento Magni, atq; alibi paſſim. *En los priuilegios,* inquit, *in vitâ Alfonſi tan bien ay falta, porque faltan muchos originales, y los traſlados de los mas ſe ſacaron por malos eſcriuientes ignorantes y deſcuydados.* Et in vitâ Ramiri. *Todo ſe puede creer de tan malos eſcriuanos, como agora 300 años auia.* Addo, nec illud ipſum diploma Caroli Regis vmquam Garibayo viſum aut inſpectum fuiſſe, ſed tantum exemplum aliquod à priuato quopiam Hiſtoriæ ignaro, in vſum ſuum negligenti manu deſcriptum: Archetypum enim iam ante natum Garibayum interciderat, abſumpto igni Roncalenſium Tablino: ideóque Roncalenſes anno 1527 Caſtellæ Principes tunc temporis in Nauarrâ rerum potientes, illorumque Curiam maiorem, quam vocant, ſupplices adiere & factâ fide incendij, teſtificataque amiſſi diplomatis ſerie, impetrarunt, vt illius exempla, quæ à priuatis, citra publicam authoritatem, con-

ſcripta fuerant, in publica acta referre ſibi liceret, factumque eſt in hanc rem à Curiâ decretum huiuſmodi.

CARLOS *por la diuina clementia Emperador ſiempre auguſto & Dona Iuana ſu madre y el miſmo don Carlos por la miſma gratia Reyes de Caſtilla, de Nauarra &c. Parecieron ante nos, y los Alcaldes de nueſtra corte mayor del Reyno de Nauarra, es aſſaber Iuan de Subiri procurador de la dicha corte, & procurador de los Alcaldes, iurados, Gentiles hombres Fijoſdalgo de noſtro valle de Roncal, fecha fe de ſu procuracion demandant. de la vna parte y el fiel & bien amado noſtro Conſegero el licentiado Gaſpar Calderon nueſtro procurador fiſcal y patrimonial defendiente de la otra, el qual dicho Iuan Çuuiri en el dicho Iuycio preſentò vna petition y articulos, à cerca los priuilegios que la dicha valle tiene y el dicho nueſtro procurador fiſcal pidio treſlado de aquellos para reſponder è por nos è los dichos Alcaldes le fueron mandado dar los dichos treſlados & ambas las dichas partes alegaron de ſu drecho &c. la qual dicha ſupplicacion y articulos y las copias de los priuilegios en aquellos mentionados y lo por el dicho fiſcal negado y lo dende ſubſeguido ſon del tenor ſeguiente S. C. R. M. los Alcaldes iurados è vniuerſidad de la valle de Roncal dicen que ſus priuilegios y eſcrituras concedidos por les Reyes deſte Reyno à ellos y à la dicha valle originalmente las tenian en la Yglesia de Yſaua que es en la dicha valle la qual pocos dias ha como es notorio que fu quemado con todo lo que en ella eſtaua y los dichos priuilegios y eſcrituras que ſon las que van pueſtos en vn memorial aneio à la preſente petition, y el tenor de cada vna de ellas en efecto y porque ay perſonas que vieron è leyeron los dichos priuilegios y eſcrituras è lo contenido en ellos, de los quales aſsi bien ay copias colationadas ſacadas fiel y deuidamente de los meſmos originales de los dichos priuilegios por*

perſona publica y Notario Real ſupplican, manden receuir information de los teſtigos que vieron y leyeron los dichos priuilegios y eſcrituras y ſaben lo contenido en ellos y de cada vno dellos como parece por el dicho memorial y tinen viſtas y leydas las copias de los dichos priuilegios y coteiados con los dichos originales y hauida la dicha information les manden dar en publica forma &c. E conteſtado el dicho pleyto ante nos y los Alcaldes de nüeſtra Corte mayor en iuyzio ambas las dichas partes alegaron las ſobredichas razones è otras en fundamento de ſus intentiones acerca laſquales por nos certifiar del fecho de la verdat ouimos cometido y mandado à cierto Comiſſario nueſtro, para que el recibieſſe mediante iuramento y en forma deuida interrogaſſe à los teſtigos que de parte de los procuradores de las dichas partes les ſerian preſentados y que de todo lo que ſupieſſe nos ficieſſe verdadera relation &c. E fixieron todos los autos ata la concluſion è no prouo [el dicho fiſcal] coſa ninguna contra lo ſuſo:dicho y los dichos Alcaldes iurados vezinos y conſeio de la val de Roncal o ſu procurador an prouado bien è complidamente lo que les cõuenia y era neceſſario prouar en razon del ſobredicho: Portanto nos el Ceſar. Reyna y Rey ſobredichos à relation de los Alcaldes de nueſtra Corte mayor de Nauarra por eſta nueſtra præſente ſententia definitiua declaramos y pronunciamos el dicho val de Roncal tener los dichos priuilegios cuyas copias de ſuſo van encorporadas y auerſeles quemado los originales, è no auer eſtado aquellos rotos cancellados ni en alguna manera vitiados los quales mandamos les ſean dados en publica forma à laſquales dichas copias queremos y mandamos à perpetuo ſe les aya de dar y de tanta fe y credito como à los propios originales ſe diera anſi en iuyzio como fuera del, y que por vertud del gozen de todas las libertudes &c. Dada en la ciudad de Pamplona ſo el dicho

grand ſello de nueſtra Chancelleria ſegundo dia del mes de Septiembre del año de mil y quinientos y veynte ſiete años.

IDEÒ autem exempla illarum tabularum, quæ hodie in manibus Roncalenſium verſantur, ab imperito aliquo negligenter deſcripta fuiſſe dixi, quia multa in iis errata, non in numeris tantum annorum (in quibus lapſus facilior eſt, eo quod ſemper ferè notis breuibus, non autem perſcriptis litteris componuntur) ſed in nominibus etiam propriis Regum commiſſa deprehendi, quæ non hiſtoriæ ſolùm perito, ſed mediocriter etiam in legendis veteribus monumentis verſato vitare facillimum fuiſſet: nam vt leuiora omittam, pro *Theobaldo* Rege *Garſiæ*, & pro *Henrico*, *Philippi* nomina præferunt: pro *Sanctio* quoque Pompelonenſi & Arragonenſi Rege, *Ramiri* nomen ibi legitur.

QVID quod ipſemet Garibayus fidem his tabulis Sanctij Garſiæ derogat, dum ea quæ in iis de Abderamene Cordubæ Rege, regnante Fortunio parente Sanctij à Roncalenſibus interempto narrantur, cum veritate hiſtoriæ pugnare docet? lib. 21. cap. 10. *Dizen auer muerto en la batalla Abderrahamen Rey Moro de Cordoba: pero en eſto de la muerte pongo yo difficultad, à cauſa que en eſto tiempo reynaua en Cordoba Ali Hathan primero deſto nombre, ſegun la computacion de los auctores, que de aquellos Principes Moros hablan.* Sunt inſuper alia in illo diplomate Sanctij Garſiæ verbis expoſita, quæ antiquæ hiſtoriæ gnaros non parum offendunt: cuius generis eſt iſtud: Ordonium Legionenſem Regem ab Abderamene in acie cæſum fuiſſe, regnante Fortunio (id eſt, ab anno 802 ad annum 815) eâque cæde elatum Abderamenem tranſcenſo Pyrenæo ad Toloſæ vſque confinia prædabundum proceſſiſſe. Certum enim eſt, nondum id tempo-

ris vllum Regem Ordonij nomine Legionenſibus imperaſſe : ſi quidem Ordonij primi Regni initia circa annum 850 ſtatuunt Sebaſtianus Salmanticenſis & eorum temporum ſcriptores & A. Moralès, ille in vitâ Ordonij, hic verò in libro XIII. cap. 54. & 55. Reliqua autem, nimirum, illâ ætate, ſeu Abderameni, ſeu alteri Sarracenorum Duci Galliæ fines inuadere & illis infeſtandis tam longè Toloſam vſque impunè vagari licuiſſe, quis credat, duobus potentiſſimis Regibus, Carolo ſcilicet (cui à rebus geſtis Magni cognomentum inhæſit) vniuerſæ Galliæ & Ludouico Pio eius filio Aquitaniæ imperantibus? Idque eò certè minùs probabile fit, quod iis temporibus, Ludouicum complures expeditiones in Hiſpaniam cum validiſſimis copiis feciſſe, oppugnandíſque Saracenorum caſtris atque oppidis, Barcenonæ potiſſimùm, Oſcæ & Tortoſæ ſtrenuam operam nauaſſe, ex vetuſtis Francicorum Annalium ſcriptoribus cognoſcimus. Ne quis tamen hæc à me ideò animaduerſa putet, vt inde prçiudicium aliquod authoritati illarum tabularum Roncalenſium fiat, ſed vt qui eas legent cautiores reddantur in iis omnibus quæ ibi hiſtoricâ fide narrantur, nullo diſcrimine admittendis: Nam de cætero, quemadmodum ipſe de earum veritate dubitare non auſim, ſic pleraque in iis librariorum culpâ corrupta, quædam etiam vitio temporum perperam expoſita eſſe, nemo vel minimùm in Hiſpaniæ hiſtoriæ notitiâ verſatus, inficias iuerit: ita vt vnico earum ſuffragio nouos in Nauarrâ Reges creare, non periculoſum modo, ſed etiam omnino temerarium videatur, & penè cum illorum flagitio comparandum, qui nouiſſimè in regio Perſarum ſolio, neſcio quæ Regum mendicabula, vt cum Plauto loquar, Aſſueros Priſcos,

Aſſueros Babylonios, Aſſueros Pios, & nouos quoque Cyros collocare auſi ſunt: aut cum illius errore qui noſtrâ memoriâ in claſſem Hiſpaniæ Regum, nouum Regem Froilanum nomine, Pelagio æqualem inducere ſtuduit: quorum primi iure vapulant apud Scaligerum libris de emend. temp. alter verò Ambroſij Moralis Hiſpanicorum Annalium conditoris peritiſſimi cenſuram meruit. Quæ autem in illis tabulis Roncalenſibus pro firmis & certis, quæ item pro falſis ac mendoſis haberi debeant, paulò poſt videbimus.

IAM quia in hoc certamine Garibayo ſe ſocios & adiutores præbuere Hieronymus Blanca, in comment. rerum Arag. & Ioannes Bricius Martinez Abbas Cœnobij ſancti Ioannis Pinnatenſis, in hiſtoriâ illius Cœnobij: ne cum iis quidem manum cõſerere dubitabo. Ait Blanca, ex Roderic. Toletani ſcriptis concludi, ante Ariſtam Regem, in Nauarræ prouinciâ, alios Reges extitiſſe: Muniminam enim illam ſeu Momeranam Froilæ Aſturiarum Regi enuptam, ex Regali Nauarrorum ſtirpe profectam fuiſſe, teſtari eundem authorem. Sed hîc Roderico oppono Sebaſtianum Salmanticenſem, illo longè antiquiorem & Froilæ ætati proximum ſcriptorem, à quo etiam Rodericum ea, quæ de Froilâ narrat, ſumpſiſſe credidit Morales. Hic enim Muniam illam (ſic vocat vxorem Froilæ, quam Rodericus Momeranam) non à Regiâ Nauarrorum ſtirpe, ſed è Vaſconum gente ortam fuiſſe prodit. *Vaſcones*, inquit, *rebellantes ſuperauit atque edomuit, Muninam* (ita legitur in mſ. cum vulgata editio Muniminam præferat) *quamdam adoleſcentulam ex Vaſconum prædâ ſibi ſeruari præcipiens, poſtea eam in Regale coniugium copulauit, ex quâ filium Adefonſum ſuſcepit.* Per Vaſcones etiam hîc à Sebaſtiano Ala-

uenſes ſpeciatim deſignari, antea docui, & idipſum iamdudum oſtenderat Morales lib. 13. cap. 17 & 25. Eſt tamen veriſimile hîc Rodericum Regalem progeniem pro primariâ ſtirpe Comitum Alauenſium vſurpaſſe, ſic enim ſæpius has voces *Regalis, Regnum* & *Regium*, iis quę ad Comites ſeu Duces ſpectant, applicatas fuiſſe, tam ab ipſo Roderico, quàm ab aliis priſcis ſcriptoribus obſeruaui: itaque Vrracam Garſiæ Eneconis & Teudam Sanctij Garſiæ I. vxores, Regio ſanguine natas prædicat idem Rodericus lib. 5. cap. 21. & 22: cum tamen vtramque Aragoniæ Comitum genere procreatam fuiſſe certum ſit: ſic apud Aimonium lib. 4. cap. 6. hiſt. Franc. *Hunoldus* dicitur affectaſſe Aquitaniæ *Regnum*, hoc eſt, Ducatum. Non ſecus Sigebertus ad annum 820 *Lupum* vnum è proceribus Vaſconum *Regem* Vaſconum appellat. Gregorius Turonenſis lib. 4. cap. 4. hiſtoriæ Francicæ *Britannos Aremoricos* ſemper in Francorum Regum poteſtate fuiſſe & Comites non Reges dictos teſtatur; & nihilominus eodem capite, necnon cap. 16. lib. 5. eorum ditionem *Regnum* vocat. Idem author lib. 2. cap. 2. Sulpicij Alexandri verba referens *Marcomerem* & *Simonem* Francorum nunc *Duces*, nunc *Regales*, nunc *Subregulos* vocat. In legibus Alemannorum cap. 35 patrimonium Ducis *Regnum* nuncupatur. *Si quis Dux filium habet contumacem & malum, qui rebellare conetur contra ipſum patrem & filius eius vult eum deshonorare, aut per raptum Regnum eius poßidere, non obtineat quod inchoat &c.* Extant apud Antonium Yepes in Appendice tomi I. Chronici Benedictini cap. 8. tabulæ piæ cuiuſdam largitionis 5 Idus Iulij æra 1010, id eſt anno Chriſti 972 à Garſia Caſtellæ Comite & Aua eius vxore hac ſerie verborum factæ. *Ego Garſia Fernandes, & vxor mea Aua,*

ſi

ſi beneficiis diuinis noſtra compenſetur oblatio, paruipenditur quod concedimus, quôque ſumus, quodque Regno præditi & rerum Domini ſumus cœleſti largitate locupletati. Ideò timentes pœnas inferni &c. videlicet per miſericordiam Domini & per huius noſtri Regalis gloriæ titulũ & pro remedio animabus noſtris damus atque concedimus exitum vel terminũ &c. Sed & alios Caſtellæ Comites Garſiâ antiquiores, Rodericum ſcilicet I. qui anno, 72 claruit, & eius poſteros, *Regnandi* & *Regalis* voces de ſe vſurpaſſe, teſtantur eorum verba apud Sandouallium in comment. Rer. S. Æmil. §. 24, 25, 26, 30, 31, 32, 33, 37, & alibi. Author veteris Chronici manuſcripti Cœnobij Malleacẽſis in Pictauis, cuius excerpta apud Th. Godofredum hiſtoricum Regium mihi videre contigit. *Anno,* inquit, 1058 *VVilielmo Comiti Pictauienſi, qui & Petrus cognomento Acer, ſucceſſit in Regno Gofredus.* Hinc patet quam vano nitantur fundamento qui, ex hac vnâ voce *Regali* apud Rodericum parum intellectâ, Nauarrorum Principum Regnum cum æuo Froilæ Aſturiarum Regis componere conantur. Quod autem Roderico authorem Chronici Hiſpanienſis, nomine Regis Alfonſi X. editi, adiungit Blanca, cum is ferè vbique non tam Hiſtoricum agat, quàm Roderici interpretem (niſi ſicubi fabulas Carpij & Cidi, atque alia id generis commenta ſcriptis commendat) non puto, explicatô Rodericô, in eo refellendo mihi laborandum eſſe.

HVIC Blancæ argumento, quatuor adiungit veteres tabulas Ioannes Bricius lib. 1. cap. 20. veluti ſubſidiarias legiones, quas breui derelictâ diuersâ acie ad nos tranſitionem facturas ſpero. Primæ tabulæ ſunt Garſiæ Sanctij Pompelonenſis Regis, eiuſque vxoris Ximenæ, quibus Cœnobio Pinnatenſi, Monaſterij Fontis-frigidi

BB

gratiam hi Principes faciunt. Conſtat, inquit Bricius, his tabulis Monaſterium iſtud à Garſia Eneconis Rege Nauárrorum conditum fuiſſe, indéque probatur regnaſſe in Nauarrâ Garſiam Eneconem: quod ei libenter concedimus: ſed de tempore, ab eo diſſentimus: atque etiam de numero, ſiquidem in altero Rege eiuſdem nominis antiquiori aſtruendo laborat ille, Authorem veterum Annalium Aragonenſium, Garibayum, & alios ſecutus: eúmque octauo ſæculo regnaſſe & ad annum 802 vitam produxiſſe exiſtimat: At nos hunc ſolum, qui Inico Ximenoni, quem vulgò Ariſtam vocant, in regno ſucceſſit, quique ab aduerſariæ ſententię authoribus Garſia Eneconis ſecundus dicitur, agnoſcimus: priorem verò commentitium arbitramur: quem pariter fruſtrà his tabulis ſuſtentari opinatur Brizius, cum nihil in iis de illius Garſiæ Regis æuo, qui hoc Monaſterium condidit, contíneatur. Ideóque alias ipſe iis adiicit tabulas, à Ximino Epiſcopo conſcriptas, quibus eidem Monaſterio quartum Epiſcopale villarum ſeu agrorum aliquot largitur: his tabulis deeſſe numerum anni, ſubſcripſiſſe autem Fortunium Garſiæ Pompelonenſem Regem, atque Azenarium Comitem Aragonenſem admonet: Enimuerò cum duo, inquit, Comites Azenarij nomine Aragoniæ præfuerint, neutrius ætas cum ætate Fortunij Garſiæ poſterioris congruit: (nam alterum huius quoque nominis Regem fingunt, exeunte nono ſeculo Nauarræ imperantem) itaque priori tribuendas eſſe has tabulas conſequens eſt, expungendámque in iis vocem Azenarij & pro eâ Galindi vel Ximeni Comitis nomen ſubſtituendum. Dupliciter hic peccatur à Brizio: primùm quia id pro certo & conceſſo ſumit, quod in quæſtione verſatur: ætatem, ſcilicet, Comitis Azenarij poſterioris,

quem vnà cum Sanctio Garſiæ, Rege Nauarræ vel Suprarbis, vt ipſe vocat, anno 832 obiiſſe affirmat, quod tamen nos tam de Comite quàm de Rege falſum eſſe infrà ſuo loco docebimus: rurſus dum, vt eâ ſe difficultate expediat, quam ipſe ſibi peperit æram illarum tabularum ad tempus longè antiquius transferendo, quàm ætas Ximeni Epiſcopi illarum Authoris & Fortunij Garſiæ Pompelonenſis Regis, qui iis ſubſcripſit ferre poſſit, illis vim facere conatur mutato Comitis nomine & Galindo aut Ximeno in Azenarij locum ſuffecto: Et ſic authoritati veteris monumenti, quod in iis rebus vtramque paginam facere deberet, proprium ſenſum & ſuas leues coniecturas anteponere non veretur. Succedunt his tabulis aliæ apud Brizium, quibus narratio Regulæ Monaſterij Fontis-Frigidi, à Garſia Eneconis Rege, vnà cum Gulgerindo Epiſcopo Pompelonenſi, inſtitutæ comprehenditur, in quibus æquè numerum æræ deſiderari ait: nequaquam tamen eas ad Garciam, Eneconis filium ſpectare, ſed ad alium antiquiorem eiuſdem nominis Regem, ideò arbitratur, quia illius æuo nullus Epiſcopus nomine Gulgerindi vel etiam V Villeſindi (ambas enim voces affines inter ſe eſſe & pro eâdem ſumi poſſe non abnuit) Eccleſię Pompelonenſi prędfuerit: cuius rei vnicum teſtem citat Sandouallium in Catalogo Epiſcoporum Pompelonenſium: ſed parùm attentè Catalogum illum legiſſe videtur Brizius, cum hęc ſcriberet, ſiquidem eiuſdem fol. 11, 14, 16, 18, & 141. V Vileſindi vel Guilleſindi Epiſcopi (vtroque enim modo id nomen effertur) ad annos 842, & 851. expreſſam mentionem fieri cuiuis legenti facilè apparebit: Cui cum ſucceſſorem proximum Ximinum faciat Sandouallius, huiuſque Pontificatus mētionem anno 914. (ęram voluit dicere)

ordiatur: Ecquid ſatis indicaſſe videtur Guilleſindum adminiſtrationem Pontificij muneris ad hanc vſque æram continuaſſe? Obiicit deinde nobis Brizius tabulas illas, quæ Cœnobium ſancti Martini Cercitenſis à Galindone Comite Aragoniæ, approbante Garcia Enecconis Rege, conditum clamant, & æram quidem his adſcriptam ad Garſiam Eneconis filium, quem ſecundum vel poſteriorem huius nominis nuncupat, pertinere fatetur. *Verdad es que no faltan autores que alargan la fondation deſta caſa à los tiempos del ſecundo Garſia Yñigues hijo de Ariſta porque la data deſte priuilegio que alego es de aquella edat.* Negat tamen eſſe veram, ideò nimirum, quia epocha Galindi Comitis, illi ætæ, vt aſſerit, aliena eſt: ſed idipſum erat quod argumentis certiſſimis cõfirmare oportebat, quæ tamen eum prorſus deficiunt: ſolum enim adducit teſtimonium Garibaij, Blancæ & aliorum recentiorum eiuſdem ſectæ ſcriptorum, quod nobis hic pro Panidis ſuffragio erit, cum non minus ipſorum, quàm Brizij ſententiã oppugnemus. Quod autẽ Çurita in Indic. Galindi huius ætatem & illius Cœnobij Cercitenſis conſtructionem ab ipſo factam in annum Chriſti 803. contulit, id eum non tam ex ſuâ, quàm ex anonymi ſcriptoris Annalium Aragonenſium mente feciſſe, ſatis ipſe lib. 11. cap. 5. ſuorum Annalium ſignificat. Superſunt iam examinandæ quartæ tabulæ ab eodem authore cap. xxi. eiuſdem libri recitatæ, quibus Galindus Azenarij Comes, Garciâ Enecone Rege, Eccleſiæ ſancti Petri Sireſienſis fundos aliquot & poſſeſſiones piè largitur, rogátque Sanctium Regem generum ſuum vt Eccleſiam illam authoritate ſuâ tueatur: In iis autem hoc primùm obſeruare decet, non apponi ſolum ęram, quę temporibus Garciæ Eneconis illius, quem nos inter Ariſtę ſuc-

ceſſores admittimus, conſentanea ſit: verùm etiam nomina Principum, qui tunc Galliç atque Galliciç imperabant, adſcripta eſſe: Ærâ enim 905, Carolo Rege in Galliâ, Alfonſo filio Ordonij in Galliâ Comatâ (Galliciam hoc nomine intelligit) & Garciâ Eneconis in Pampilonâ, ſcriptas eſſe ibidem proditur. Has nihilominus tabulas, iſtius Garciæ Eneconis æuo ſubtrahere nititur Brizius, ideò ſcilicet quia Sanctij Regis meminere: quem, etſi Garſiç cuiuſdam filium fuiſſe, non ambigit qui, ipſo ſuperſtite, paterni Regni partem obtinuerit: iſtius tamen noſtri Garſiç filio, cui pariter Sanctij nomen fuit, nullatenus conuenire, ex eo probat, quod hunc (quç ſententia eſt Roderici Toletani & Authoris anonymi Annalium) poſthumum fuiſſe credit & poſt patrem à Mauris interemptum, ex vtero matris ſimiliter interfectç exſecto auulſum. *Præterea cum ærâ*, inquit, 905, *quæ anno Chriſti 867 congruit, Garcias hic noſter Regnum inierit, annos natus ſolùm quindecim, fieri non poſſe, vt illo ipſo anno filium habuerit Regem maturum coniugio & cui Aznarij Comitis filia vxor eſſet. Poſtremò æram illam 905, ſiue annum Chriſti 867, Caroli Galliæ & Alfonſi Galitiæ Regum ætati conuenire negat.* Concludit itaque ad annum 805 reuocandas eſſe illas tabulas, emendatâ ærâ, ita vt vnius centenarij nota abiiciatur: æræ autem nomen non hic pro çrâ Hiſpanicâ, vt fieri aſſolet, ſed pro anno Chriſti ſumatur, deleanturque illç voces *Ordonij filio* quæ inibi Alfonſo Galitiæ Regi tribuuntur. Mirari licet tot inerudita atque abſurda huic Scriptori in vnico contextu excidere potuiſſe. Nam (vt illud prçteream quod initio capitis Çuritam imprudenter refellit, ea quç hic de aliis quibuſdam tabulis diſſeruit, tanquam de iſtis dicta accipiens) in eo prçcipuè ferendus non eſt, quod vt verba &

ſeriem veteris monumenti incorrupti & nullius vitij ſuſpecti immutare & corrumpere ſibi liceat, illa aſſumit, quæ non ſolum certa & indubitata non ſunt, ſed etiam iampridem fuerunt ab eruditis viris refutata: Huius enim generis ſunt ea, quæ de ortu poſthumo Sanctij Garciæ & de tenerâ ætate Garciæ Eneconis regnum ineuntis, effutiit. Ad illa quod attinet, conſulendus eſt Garibayus lib. 22. cap. 6. Compendij Hiſtorici, cuius ſententiam nos pluribus infra confirmabimus, cum de Sanctij Garciæ Regno agemus: de ætate verò Garciæ Eneconis, nihilo ſeciùs falli hunc ſcriptorem argumento eſt vetuſtum diploma Eneconis Regis, apud Sandouallium in Catal. Epiſc. Pompel. fol. 15, quo declaratur iam anno Chriſti 839 Garſiam, Eneconis filium, parenti ſundos & ſaltus quoſdam Ignatio Lanço, vni ex proceribus Regni, donationis titulo largienti adfuiſſe & aſſenſum præbuiſſe: aliud item diploma ipſius Garciæ, filij Eneconis, extat apud Garib. lib. 22. cap. 3. quo conſtat hunc Principem anno 876. de conſilio Fortunij filij ſui Legerenſe Cœnobium adiiſſe, ibique ea quæ illo diplomate continentur eo præſente peregiſſe. Quod autem ætates Caroli Galliæ & Alfonſi Galitiæ Regum, ab anno 867 diſiunctas eſſe arbitratur Brizius, nimiùm ſe in eo ἀνιστόρητον exhibet, cum nihil notius ſit, quam eo ipſo anno Carolum Caluum in Galliâ, Alfonſum verò 3. Ordonij primi filium in Galitiâ rerum potitos fuiſſe. Certè hæc duo poſtrema monumenta, nec non tria illa aut quatuor diplomata Garſiæ Scimenonis & Galindonis Comitis æra 894 & 896 emiſſa, quę cap. 26. & 30. lib. 1. ſui operis intexuit Brizius, magni eſſe momenti poterant huic authori, ad inueſtigandam veram epocham Galindonis Comitis Aragonenſium, ab omnibus Hi-

ſtoricis hactenus ignoratam: ſed quid facias homini adeò in ſuâ ſententiâ obfirmato & præiudicatis opinionibus irretito, vt veritatem non modo non quærat deliteſcentem, ſed vltrò etiam reſpuat oblatam?

BINÆ iam ſe nobis offerunt bullæ Pontificię Garſiæ Ximenio, vt ferunt, Regi inſcriptę: altera à Gregorio 2. anno 717: altera verò à Zachariâ anno 745. Illam obſcurus Cœnobita, in Tabulariis Pali aut Nauarrẽſij, Principatus Bearnenſis, à ſe, vt iactat, repertam Authori Hiſtorię Apologeticę Nauarrę Regni, quę anno 1628 Pompelonæ prodiit, incauto tradidit edendam: Huius verò ſolum lemma ac inſcriptionem exhibuit Andræas Fauynus Pariſienſis Curiæ patronus, *in Hiſtoriâ Nauarræâ*, & in alio libro, cui titulus *Theatrum honoris & militiæ*, à ſe Gallicâ linguâ editis, diſſimulatis tamen forulis, vbi bulla ipſa quæri poſſet. Ambæ certè pro putidis otioſorum hominum commentis haberi debent: & priorem quidem, falſam & merum figmentum eſſe, nefas ſit dubitare; vetat hoc ipſa orationis ſeries, aliena prorſus ab illius æui ſtylo & paralogiſmis atque anacroniſmis ſcatens: Cuius generis illa ſunt, quod Celtiberos cum Nauarris confundit, Mauros & Sarracenos Lybios vocat, & Ouetanæ vrbi ad annum Chriſti 717 (quo vixdum condita erat) Epiſcopum tribuit, quem tamen Rege Froilâ, qui anno 757 regnare cœpit; primum obtinuiſſe, tranſlatâ eò Lucenſi ſede, author eſt Sebaſtianus: vetat inſuper affectata illa Cardinalium ſubſcriptio, ſæculo illo planè inſolens: Prohibent denique, ipſa Pali & Nauarrenſij cartophylacia: in quibus ipſe, qui iis excutiendis antiquitatis noſcendæ gratiâ, multùm temporis atque laboris impendi, nihil prorſus tale, nihil quod ad ætatem Gregorij 2. Pontificis maximi accedat, exta-

re affirmare poſſum: imo nec extitiſſe iam à centum annis euincit authoritas libri, qui Indicis aut Inuentarij nomine, anno 1530, iuſſu Henrici Lebretij illius regionis Principis, operâ verò Petri Biaxij, eiuſdem Conſiliarij conſcriptus, omnium quæ ibi aſſeruantur monumentorum titulos & ſummam, additis anno & die, quibus vnumquodque confectum eſt, complectitur. Ad poſteriorem verò bullam quod attinet, cum nondum lucem viderit, ſed adhuc latebris ſe tueatur, non video quæ eius eſſe poſſit authoritas: illam interea non parùm ſuſpectam facit vel ipſa inſcriptio à Fauyno edita, quæ vix ſibi conſtat, aliis enim verbis ab eo recitatur in *Hiſtoriâ Nauarræâ*, aliis in *Theatro honoris atque militiæ*: quin etiam in eo ſibi malè conſulit Fauynus, illius bullæ patronus, quod authorem non laudauit, nec locum, vnde eam accepit, indicauit: quaſi parùm intereſſet, in re adeò vetuſtâ atque reconditâ, antiquitatíque illuſtrandæ opportunâ, teſtes adhibere, aut illius loci, vbi bullæ copia haberi poſſet, lectorem commonefacere.

De titulo Suprarbienſis Regis, quem nonnulli Scriptores primis Nauarræ Regibus tribuunt, déque fabuloſis quibuſdam, ab iiſdem illorum Regum Hiſtoriæ inſperſis.

CAPVT X.

NON leuiter illis omnibus incommodis, quæ priorem ſententiam ſequuntur, ſibi defunctus videtur Blanca, cum primos illos Reges, qui in controuerſiâ verſantur, non tam Pompelonenſibus & Nauarris, quàm Suprarbienſibus præfuiſſe edixit. Suprarbienſe autem Regnum in Aragoniâ collocat, eiuſque caput ac Metropolim

tropolim Aynſam facit. Sed cum ſubinde Garſiam Ximenium cum copiis in Nauarram penetraſſe, & quaſdam arces in Cantabriâ armis occupaſſe narret; Garſiam verò Eneconis, illius filium, Pompelonem ipſam expugnaſſe: At Sanctio nepoti vniuerſam Nauarræ prouinuinciam, in ipſo Regni initio, id eſt ſub annum Christi 815, paruiſſe; omnia illa argumenta, quæ paulò ante adduximus, vt Nauarros ac Pompelonenſes Reges, interuallo illo temporis à nobis principio ſuperioris capitis definito arceremus, aduerſus commentitios hos Principes Suprarbienſes æquè pugnant. Eoſdem tamen præfractè tuentur Blanca & Brizius Martinez, próque illorum ſtatu veluti pro ſingulari gentis ſuæ gloriâ, ſummis ingenij viribus certant: maximi id eſſe momenti arbitrati ad Aragonici Regni antiquitatem, pro dignitate ipſius longiùs producendam, ita vt etiam Nauarrici initiis anteferatur: ſed quo authore id faciunt? nullo certè idoneo aut parentum noſtrorum memoriâ antiquiori. Stephanus Garib. lib. 1. cap. 6. & lib. 21. cap. 7. Compendij Hiſtor. & Sandouall. in catalog. Epiſcop. Pompelon. titulo, *De Garciâ Rege cognomento Tremulo*, fidem faciunt, in nullis Nauarræ Regum monumentis aut tabulis (quæ quidem ante Sanctium Maiorem conſcriptæ ſint) Suprarbienſis Regis titulum iis adſcriptum reperiri. Fatetur etiam Hieron. Blanca, apud veterem authorem hiſtoriæ Aragonum, primos illos Reges Pompelonenſes ſemper dici, nunquam Suprarbienſes: idipſum teſtatum reliquit Brizius Martinez de veteribus monumentis Eccleſiæ Pinnatenſis. Blanca titulo, de variis de Suprarb. Reg. init ſententiis: *Neque*, inquit, *huic meæ opinioni obſiſtere videtur, quod priſcos hoſce Reges in Pinnatenſi hiſtoriâ pluribuſque aliis monumentis Reges in Pompi-*

lonâ vocatos inueniamus, nulla prorſus Suprarbienſis tituli factâ mentione. Brizius Martinez lib. 1. cap. 6. *Bien es verdad que en muchos actos de los primeros Reyes, que lo fueron iuntamente de Sobrarue y Pamplona, ſe halla, que tan ſolamente ſe intitulan Reyes de Pamplona, ſin hazer mencion alguna de Sobrarue.* Hieron. Çurita ad annum 758 teſtimonium Authoris Annalium veterum Aragonenſium referens *Hîc verò*, inquit, *prodit Garciam Simenium cum vxore Iunicâ primùm ex quo Mauri Hiſpaniâ potiti ſunt, in Vaſconum regione Regnum conſtituiſſe, quod Nauarræ poſteri vocarunt.* Poſtremò quicũque hactenus de rebus Nauarricis ſcripſere, primos illos Reges Pompelonenſes aut Nauarros nuncupant, non autem Suprarbienſes. Horum numero cenſentur Sampirus Aſtoricenſis, Rodericus Toletanus, Garcias Euguius Baionenſis, Rodericus Sanctius Palentinus, Alfonſus à Carthagena Burgenſis, Epiſcopi, Carolus Princeps Nauarræ R. Volaterranus, Franciſcus Tarapha Canonicus Barcinonẽſis, & alij pleriq;. Videamus igitur quibus freti rationibus hi duo authores ſibi cum tota antiquitate certamen in hoc argumento propoſuerint. *Hieron. Çurita ad annum* 814 (infit Blanca) *Suprarbium id temporis Regni nomen ſortitum fuiſſe* ait: *idémque in Annalibus refert antiquum quoddam priuilegium extare Eccleſiæ ſancti Petri Sireſiẽſis, in quo Sanctij Garſiæ Regis & cuiuſdam Aragonenſis Comitis fiat mentio nomine Comitis præpoſtero ordine Regio nomini anteposito.* Neſcio quid cogitaret Blanca, cum hæc ſcriberet; nec video quemadmodum ex iis effici voluerit, Garſiam Simenium & quatuor qui illi ſucceſſere Reges Suprarbio ſedem Regni habuiſſe, indéque Suprarbienſes non Pompelonenſes nuncupatos, quod erat in quæſtione poſitum: At ipſe facilè euincam, vel teſte Blancâ, di-

ploma illud ſeu priuilegium, vt ille vocat, à Çuritâ laudatum, nihil ad hanc controuerſiam pertinere, illud ipſum eſt enim quod Blanca in id caput Cõmentariorum ſuorum, cui *Sanctius II. Abarca & Galindus Aragonum Rex* 3. titulum fecit, referri curauit in hunc modum. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & pax omnium ſanctorum vbi ſunt virtutes recondita in hunc locum qui appellatur Sireſa, glorioſique ac beatiſſimi Petri Domini Apoſtoli & fratris eius beati Andreæ Apoſtoli & Domini Stephani leuitæ & Domini Michaëlis Archangeli atque ſancti Saluatoris, vel aliorum plurimorum Sanctorum quorũ ſunt ibi reliquiæ conditæ; vt præbere dignetur auxilium Dominus noſter Ieſus Chriſtus illis intercedentibus & placeamus Chriſto. Amen. Ego Endregoto Galindonis & proles eius Sanctio Garſeanes Rex & vxor eius Vrraca Ferdinandi. Sub gratiâ Dei grato animo & propria voluntate conuenit nobis pro redemptione animæ noſtræ & ideo in loco Sanctorum offerimus villam, quæ dicitur Exauierre Martes poſt obitum noſtrum cum omnibus omnino, domos, hortos, vineis vel omni herencia, molinos, pratos, vel omnia quæ nobis pertinent, in loco illo cum ſuis terminis de Aragon aſſuſo &c. Facta carta confirmationis ſub die tertia Kal. Iulias æra MIX. regnante Sanctio Garſeanis & Vrraca regina in Aragone & Pampilonâ & Degio Epiſcopo in Aragone, Blaſio Epiſcopo in Pampilonâ: & Bernardo Epiſcopo in Naierâ. Egò Sanctio Garſeanis, qui hanc chartam fieri iuſſi manu mea roboraui & ſigno. Ego Endregoto Galindonis manu mea roboraui. Ego Vrraca Ferdinandi manu mea roboraui.* Pergit Blanca, aitque, *In priuilegiis Roncalenſis vallis habitoribus conceſſis, quorum Carolus Princeps meminit, & Garibayus eorum exempla ſe aſſeruare dicit, Garſiæ Regis ac Fortunij eius filij, infantis Suprarbienſis nominati, expreſ-*

ſam fieri mentionem. Nuſquam hoc dictum eſt vel à Carolo Principe, vel à Garibayo: quod etiam falſum eſſe propriis ipſius priuilegij literis oſtendere paratus ſum, quæ in Archetypo Roncalenſium his verbis ſunt conſignatæ.

CARLOS *por la gracia de Dios Rey de Nauarra Duque de Nemox à todos quantos las preſentes lettras veran & oyran Salud. Como à los Principes qui tienen de Diõs en la tierra cargo de miniſtrar iuſtitia pertenezca render ſu merito o demerito à cada vno & aſſi como por iuſtitia ſon tenidos punir & caſtigar los criminoſos y delinquentes, ſean tenidos de exalçar & render Señalada gracia, don y remuneration à los virtuoſos que ſiempre acoſtumbraron à ſe emplear en obras meritorias y virtuoſas, tocantes al ſeruicio de Dios è acrecentamiento de la fee Catolica & ſea aſſi que nos ayamos viſto, è fecho leer en noſtra preſentia dos priuilegios otorgados y dados à los pueblos habitantes y moradores en noſtros lugares de noſtra tierra de Val de Roncal que eſtonce eran adelant à perpetuo: es aſſauer el primero de Don Sancho Garcia Rey de Pamplona, Alaua è de las montañas el qual fue dado en la ciudad de Pamplona en el mes de henero de la era de ochientes è xixanta años: el ſegundo priuilegio fue otorgado y dado à los dichos Roncalenſes por Don Sancho Garcia Rey de Pamplona de Aragon y de Sobrearbe de Ribagorça de Nagera, de Caſtilla y de Alaua el qual fue dado en Sobrearbe, en la era de mil cinquenta y tres annos: otroſi ayamos viſto dos confirmationes de los dichos priuilegios, la vna otorgada y fecha por el Rey Remiro Rey de Pamplona, de Aragon, de Sobrarbe è de Ribagorça, la qual fue dada en la era de mil ciente y veynte y ſiete años, è la otra confirmacion fecha por el Rey Don Garcia de Nauarra, la qual fue dada en Pamplona, en el mes de Mayo en la era de mil cient ochienta y*

vn años: Et ſegunt parece mas largament por los dichos priuilegios, y aquellos à los dichos pueblos de la dicha Val de Roncal ouieſſen ſido otorgados, por razon que ellos ſe acertaron y fueron en Compañia del dicho Rey Don Sancho Garcia & obieron la delantera en vna batalla que el huuo en vn lugar clamado Ocharan contra los infieles Moros enemigos de la fee Catolica en laqual batalla por la gracia de Dios, el dicho Rey Don Sancho Garcia ouieſſe ſeido vencedor: è aſſi bien por razon que los dichos pueblos de la dicha valle de Roncal en el tiempo del Rey Don Fortuni Garcia padre del dicho Don Sancho Garſia Rey en el lugar clamado, Oloaſt, obieron vencido y muerto à vn Rey Moro de Cordoa clamado Abderamen & venoieron las gentes de ſu hueſt perſeguiendo & enançan dolos ata el lugar clamado Guiſſa: el qual dicho Rey Abderamen auia fecho muchos males y daños à los Chriſtianos, è hauia muerto al Rey Orduño de las Aſturias que era Chriſtiano & hauia paſſados los montes de Ronceſuaylles, ata la ciudad de Tholoſa deſtruyendo la fee Catolica è por cauſa y raçon de los dichos ſeruicios ſobredichos è por vigor de los dichos priuilegios los ombres y mugeres habitantes è moradores en los lugares de la dicha valle de Roncal qui eſtonces eran & ſeran adelante è los ſucceſſores è decendientes dellos à perpetuo obieſſen ſeido por las dichas raçones Infançones, ingenuos è quitos de toda ſeruitud Real y Imperial, è toda lezta peaje barraje, en todo el Reyno de Nauarra, ſegun todas las coſas ſobredichas por los dichos priuilegios mas largamente pueden parezer. Facemos ſaber que nos conſiderando las coſas ſobredichas que ſon muy antigas y autenticas: otroſi conſiderando que en memoria de ombres pueden alçancar tanto tiempo de los otros Reyes de Nauarra, donde nos deſſendemos como en el nueſtro los dichos de la valle de Roncal ſiempre con gran effuerço è amoroſidat, como gentes que an amado el

bien è el ſeruicio de los Reyes è del Reyno exponiendo ſus perſonas en muchos periglos ata la muerte incluſiuè, an defendido los limites y derechos de nueſtro Regno, que ſon en la frontera aumentando ſiempre aquellos ſin diminucion en res è ſe ſon moſtrados continuadamente como buenos y leales ſubditos è naturales ſeruidores preſtos, voluntarios è afecionados à ſeruicio nueſtro è de todo nueſtro Regno, entendiendo que ſea iuſto è rezonable que los dichos ſeruicios tan antigos y ſeñalados y notables les deuã tener y ſer fructuoſos de fauorable remuneracion, mouidos por las coſas y razones ſobredichas è otras muchas &c. Loſquales dichos priuilegios antigos quanto à los caſſos ſobredichos eſpecificados è declarados en ellos nos de noſtra autoritad Real è cierta ciencia aprouamos, loamos è ratificamos &c. Otroſi por raçon de los dichos priuilegios antigos los dichos de val de Roncal ſon aforados à los fueros de Iaqua y Sobrearbe, è por la diuerſitad è differencia que es entre los dichos dos fueros, podria ſer gran confuſion è variedad entre ellos, en quanto algunos de ellos ſe querrian ayudar del vno y los otros del otro: Por eſto nos queriendo tirar dentre ellos toda manera de diſcordia y debat, de noſtra autoritad Real y cierta ciencia hauemos querido y ordenado, queremos & hordenamos por las preſentes que los dichos ombres y mugeres, vezinos habitantes y moradores de los dichos lugares de noſtra val de Roncal, è los deſcendientes y ſucceſſores dellos, qui à preſente ſon y por tiempo ſeran à perpetuo ſean aforados al fuero general de nueſtro Reyno &c. Dada en la puente de la Reyna primero dia de Setiembre laño del nacimiento de nueſtro Seiñor 1412. *Por el Rey en ſu Conſeio Simon Nabar.* Addit Blanca, *tempore Froilæ I. Aſturum Regis, qui Nauarros in poteſtate habuit, complures eorum ſe totos Suprarbienſibus Regibus addixiſſe, teſtemque huius rei producit Beuterum:* ſed nihil eſt quod nos cogat

credere Beutero nupero ſcriptori in hiſce antiquis quæ non ex ſermone hominum recenti, ſed ex Annalium vetuſtate eruenda ſunt. Idem iudicium de Carolo Principe facere liceret, vnico ſæculo Beuthero antiquiore, niſi viderem fruſtrà conari Blancam, in ſuæ opinionis commodum, eum inclinare: quaſi vero Enecone Ariſtâ primo Nauarræ Rege conſtituto, eo ipſo alios Reges eo antiquiores Suprarbienſibus aſſerere viſus ſit, & non potius ipſos reiicere. Nouum deinde firmamentum accerſit Blanca ab hâc ſcribendi formula, quam in ſuis diplomatibus vſurpat: Rex Sanctius Maior *facta charta &c. Regnante me Rege Sanctio in Pampilona, in Superarbi & Ripacurcia.* Vnde colligit Suprarbium ante Sanctium Maiorem Regni titulum adeptam fuiſſe, ideóque proprios Reges habuiſſe. Nihil ineptius hac ratiocinatione: Solemne fuit Sanctio Maiori (quemadmodum & aliis Hiſpaniæ Regibus) ditionum aut inſignium oppidorum, quæ à Mauris pepererat, aut à maioribus parta acceperat, nomina titulis ſuis affingere: ideóque non ſe Pampilonæ, Aragoniæ, Suprarbiæ & Ripacurciæ tantum imperare profitetur, ſed etiam Alauæ, Naieræ, Caſtellæ, Aſturiæ, ditioni Palliarienſi & Gaſconiæ, quemadmodum teſtantur Garibayus, Morales, Yepes, Sandouallius, & ipſe etiam Brizius lib. 2. cap. 28: quis tamen ſanæ mentis hinc arguat Caſtellam, Alauam, Naieram, Palliarenſem ditionem & Gaſconiam olim regna fuiſſe & vnumquamque earum proprios Reges coluiſſe? Plus firmamenti aduerſariis eſſe videtur in Iure Nauarrico (forum vocant) quod Suprarbienſe inſcribitur. Nam vnde hoc, inquiunt, niſi ab ipſius conditoribus Regibus Suprarbienſibus? ſed nec in hoc quoque cum iis conſentio: cum exploratè norim ius illud Nauarricum, à

Suprarbienſi iure ita differre, vt totum à parte: fuiſſéque tá ex Suprarbienſi illo, quàm ex aliis iuribus ſingularibus variorum Regni oppidorum atque pagorum conflatum & *iuris* ſeu *fori generalis* nomine donatum: quod opus Theobaldo I. Rege tentatum atque inchoatum, tandem Philippo Ebroicenſi & Ioannâ Nauarrâ eius coniuge regnantibus, perfectum atque abſolutum fuiſſe intelligere licet, tum ex Pompelonenſi librario tabularum ipſius Theobaldi (Cartularium vulgò vocant) tum ex nouella conſtitutione Philippi & Ioannæ, anno 1330 cum hoc titulo *Ameioramiento de fuero*, id eſt, ſupplementum ſeu emendatio veteris iuris, editâ: è quibus hęc capita excerpſi. *Sepan todos aquellos que ſon & los qui ſon à venir que nos Don Tibalt por la gracia de Dios* Rey *de Nauarra, de Campaña & de Bria Conde Palacin, faciemos tal auinienҫa con los caueros è los Infanҫones iurados de Nauarra que nos de nueſtra parte por nos è eyllos de la ſuya por ſi embiemos nueſtros mandaderos à la Cort de* Roma *&c. Et nos aſſi como los prometemos & iuramos al dia que fuemos alҫado por* Rey *de Nauarra, que lis tornamos ſus fueros. Agora & todo prometemos lis otroſi que ielos tengamos fermament ſiempre & porque ſabuda coſa ſia entre nos & eillos de los fueros ſuyos quales an & deuen auer con noſco & nos con eillos que ſean eſlitos diez Ricos ombres & veint Caualleros diez ombres de ordens & nos & el Obiſpo de Pamplona de ſuſo con nueſtro Conſeillo* POR METTER EN ESCRITO AQVELLOS FVEROS, *que ſon & deuen ſer entre nos & eillos amellorandolos de la vna parte & de la otra como nos con el Obiſpo & aqueſtos eſleitos vieremos por bien todo eſto es feito de la vna part & de la otra à buena fe ſen mal engaynno. Actum Stell.e menſe Januarij in feſto Conuerſionis ſancti Pauli Anno Domini* 1237. Ex ſupplemento fori Philippi & Ioannæ.

Entendido

Entendido que en el Regno de Nauarra ay muchos fueros & diuerſos & contrarios los vnos de los otros donde ſe ſeguecen muchos males daynnos à los del Regno nos querèndo proueer à los del nueſtro Regno de remedio conuenible mandamos que ſegun las tres condiτiones de gentes que ſon en nueſtro Regno es aſſaber Fidalgos Ruanos, & labradores ſean tales fueros ordenados el vno ſea clamado de los Fidalgos è el otro de los Ruanos e el otro de los labradores & quo todos los otros fueros del Regno de Nauarra ſean reductos à eſtos ſaluando à cada vno de ſus franquezas & libertades.

IVRA autem ſingularia, vnde generale illud manauit, quæ partim Propria, partim Tralatitia erant, hæc ferè apud Nauarros extitiſſe obſeruaui in variis Tabularij Regij Pompelonenſis monumentis. Propria erant Sangoſſienſe, Stellanum, Vicarienſe, Vianenſe, Sanuincentienſe, Gardienſe, Ameſcuanum, Caparroſienſe & Artaxonenſe. Tralatitia verò Iaccenſe, quod Alfonſus Rex nouæ Pompelonenſi Coloniç, quam Burgum ſancti Saturnini dicunt, anno 1129, Carolus verò II. Lerinenſibus anno 1365 tribuit: quo etiam vtebatur pars Roncalenſis pagi: Calagurritanum, quod Funeſij Marcillæ & Penaleñi incolis ærâ 1148 menſe Iulio; Suprarbienſe quod Tutelenſibus, Cerueranis & Gallipinſienſibus ærâ 1155; Cornacenſe quod Aracelitanis ærâ 1163, & Darocenſe quod Pennenſibus & Caſedanis idem Alfonſus: Methymnacelimenſe denique, quod Carcaſtellenſibus Rex Sanctius conceſſere. Falluntur itaque qui Suprarbiēſe ius, quod Tutelanorũ, Gallipinſienſium & Vicanorum aliquot Roncaliæ vallis ſingulare erat, cum iure communi ſeu generali Nauarrico confundunt. Erroris cauſam præbuit præfatio huic affixa (in quâ ſolâ Suprarbij nomen, nec alibi vſquam in toto libro occur-

rit) quæ cum proximis aliquot capitibus è Suprarbienſi foro decerpta & huc tranſlata eſt. Cætera tamen non parum inter ſe diſcrepare probabit, quiſquis vtrumque ius inter ſe diligenter contulerit.

NOVVM argumentorum ſupplementum ſcribit Ioannes Brizius lib. 1. cap. 6 & 7 Hiſtoriæ Pinnatenſis, & primò Monachum illum Anonymum Aragoniæ Annalium conditorem in nos concitat: cuius authoritatem inuiolatam eſſe putat, quam tamen nos cum Çurita leuem & inualidam iudicamus: quamquam vereor, ne non bonâ fide in hoc quoque nobiſcum agat Brizius: ſi quidem ſupra, teſtimonium dicente Blancâ, probauimus Reges illos de quibus diſputatio iſthæc inſtituta eſt, ab hoc Monacho non Suprarbienſes, ſed Pompelonenſes dictos fuiſſe: quod etiam ex his Çuritæ verbis lib. 1. Annalium cap. 5 confirmare poſſumus. *Entonces ſegun eſte Author* (loquitur de illo Monacho Annalium ſcriptore) *Reynaua en Nauarra el Rey Garcia Ximenes y la Reyna D. Enenga ſu muger anno 758 y tenian por ſeñor en aquella region* (Aragoniam intellige, de qua ante ſermonem inſtituerat) *al Conde Aznar, y era Rey en hueſca Abderamen, y ninguna otra particularidat es criue cerca de los principios, ſaluo que à Garci Ximenez ſuccedio en el Reyno de Pamplona Garci Ynigo ſu hijo y a eſte Fortunio Garcia.* Sed & in hoc facto nobis aurem præbet & licere anteſtari annuit, contrariæ opinionis doctor & caput Gaubertus Fabricius, cuius verba in vitâ Garciæ Ximenij ſic ſonant. *No miraron aqueſtos* (illos deſignat qui Garciæ Ximenio Nauarræ Regis titulum adſcribunt) *ni las Coronicas de ſan Iuan de la Peña, ni la del Cauallero Tomique, ni de otros mas ciertos y finos Coroniſtas que ponen que no ſe llamo aqueſte Rey de Nauarra mas ſu fijo don Garcia Ynigo que gano à Pomplona.* MOX *inſignia ſcuti Aragoniæ Re-*

gni, argumentatur Brizius, *in priori parte crucem ſuper arbore depictam præferre, quod eſſe inſigne*, ait, *Regni Suprarbienſis.* At hoc non minus habet dubitationis & obſcuritatis, quam illud ipſum cui probando adducitur: Quis enim hîc teſtimonium dicit pro Brizio? nemo ſanè; aut ſi quiſquam, vnus is eſt Antonius Yepes, iſtius ſæculi ſcriptor, qui nihilominus Brizio adeò non fauet, vt inſigne illud Crucis atque arboris non Suprarbij, ſed Nauarræ Regibus tribuat. Marineum deinde Siculum in partes trahit, licet is numquam huic factioni nomen dederit: Sanctium enim Garciæ Regem primum omnium Mauros Suprarbiô & Ripacurciâ depuliſſe ſignificat: *At*, inquit Brizius, *titulus ſeu inſcriptio capitis quo de Garciâ Ximenio agitur, apud Marineum, Suprarborum Regis titulum ipſi affingit.* Sit hoc ita; in editione aliquâ operum Marinei, Suprarborum vocem titulo illi additam eſſe: à pluribus tamen ipſam abeſſe negari haud poteſt, maximè ab eâ quæ Compluti anno 1533 ex Typographiâ Michaëlis Eguiæ prodiit: Item ab aliâ quæ Hiſpanicâ linguâ anno 1539, apud Ioannem Brocarium, excuſa eſt: poſtremò ab editione Francofurtienſi anni 1603. quam procurauit Andræas Schotus, in quibus omnibus, inſcriptio illius capitis ſic conflata eſt, vt Garciæ Ximenio Ducis primi Chriſtianorum duntaxat, nullatenus verò Suprarborum Regis titulus aſſignetur. Sed vt ab ipſo Marineo vox iſta Suprarborum manauerit (quod minimè credimus) non adeò opinionibus huius recentioris Scriptoris, qui anno 1509 hæc commentabatur, obnoxij ſumus, vt eas omnes pro veritate amplecti cogamur; præſertim cum de rebus antiquis quæritur, niſi conſignatis tabulis aut vetuſtorum Authorum teſtimoniis nos vrgeat. *Sed Octouiri ſeu Procuratores.* Re-

gni Aragonici(vulgò Deputati) inquit Brizius, *Ferdinando* Regi *huius nominis vltimo fidem faciunt epiſtolâ Marinei libro præfixâ hunc Authorem genealogiam* Regum *Aragoniæ eo libro traditam à ſe accepiſſe fuiſſeque erutam è Tabulario eiuſdem* Regni. Fateor hoc ita eſſe, ſed quo tempore in Tabularium illud coniecta fuerit genealogia illa, non debuit ſilere Brizius, quando ex eadem epiſtolâ liquet tempore Ioannis Regis huius Ferdinandi parentis, qui ad annum 1479 vitam produxit, id factum: ſic enim alloquuntur Ferdinandum Octouiri illi. *Cum itaque ſtirpem & genealogiam regiam longo ſucceſſionis ordine vſque ad Sereniſſimi* Regis *Ioannis patris tui tempora deſcriptam & in modum cuiuſdam arboris depictam in huius* Regni *archiuo publicâ patrum cura cuſtoditam reperiſſemus: eam elegantiori ſtilo per Lucium Marineum Siculum virum eloquentiſſimum publicâ quoque impensâ in Hiſtoriam redigi vt in lucem edi poſſet Illuſtriſsimi Domini Alfonſi de Aragonia Cæſarauguſtani & Montis-regalis Archiepiſcopi locum tenentis Generalis filij tui conſilio & auctoritate piè & officiosè procurauimus.*

RELIQVÆ rationes Brizij, ſi quæ extant in eius ſcriptis, cum vanæ & nugatoriæ ſint, vanum & nugatorium eſſet iis diluendis immorari. Vnam tamen exceperim traditionem veterem, quam ille vocat, famam ſcilicet vulgi & quoddam multitudinis teſtimonium ex auditione acceptum: Hoc, cum velut caput & columen ſit aduerſariorum doctrinæ, non in præſenti ſolum diſputatione, ſed & in aliis pleriſque quæ tam ab ipſo Brizio quàm à Blancâ, & nonnullis aliis recentioribus magnificè circa exordia Regni ſunt enarrata, accuratiorem efflagitat explicationem. Cenſet, Brizius, *piaculi inſtar eſſe communi hominum opinioni, quæ per plurimorum ſæculorum conſenſum radices egit altiſsimas, ad-*

uerſari, nos contra in hoc ſcribendi genere ipſi aut parum, aut nihil tribuendum eſſe arbitramur. INFIDA EST ENIM VERITATIS RERVM GESTARVM CVSTOS ET CONSERVATRIX VVLGI FAMA, QVÆ PLERVMQVE VANA A VANIS ET IGNARIS ACCEPTA AVTHORIBVS PRO CERTIS ARRIPIT, SYNCERA PRO LIBIDINE SINGVLORVM AVGENDO ATQVE IMMVTANDO CORRVMPIT ET IN OMNIBVS FERE PLVS AVRIVM VOLVPTATI STVDET, QVAM VERITATI. Appoſitè ad hanc rem Dio Pruſæus oratione 2. *Perpauci*, inquit, *res norunt exactè, ſed rumore duntaxat audiunt, atque hoc qui eo ſæculo vixerunt, poſteriores verò & tertij planè ſunt ignari, & ſi quis quid dicat amplectuntur facile &c. Cum enim primus aliquis anticipauerit (vt ſolet fieri) iam videtur abſurdum non credere.* Lucianus lib. 1. hiſtoriæ veræ. *Cteſias fabuloſa de Indis ſcripſit, item Iambulus de iis quæ in mari magno ſunt, multi præterea hos imitati errores ſuos ac peregrinationes ac immenſa belluarum corpora & feritates hominum & inuſitatos mores enarrarunt. Huius verò ſcurrilitatis artifex & inuentor extitit Homericus ille Vlyſſes &c.* Præcipuè autem in originibus ſeu rebus antiquis Regnorum ac Rerumpublicarum recenſendis huic mentiendi affectui indulſiſſe Scriptores notum eſt ac peruulgatum. Lucianus in Philopſeude. *At vrbes iam genteſque totas vnâ voce ac publicitùs mentiri, an non hoc ridiculum? veluti cum Cretenſes Sepulchrum Iouis oſtendere non pudet: Athenienſes Erichtonium editum è terrâ ferunt, primoſque illos homines in Attica olerum more ex terra emerſiſſe: Hi autem multò verecundiores quam Thebani, qui ex ſerpentis dentibus ſatiuos quoſdam progerminaſſe narrant: quod ſi quis hæc, cum ſint ridicula, vera eſſe non credat, ſed ea prudenter exami-*

nans &c. impius nimirum hic atque inſanus videatur eis, quippe qui tam manifeſta veraque non credat: vſque adeò obtinet mendacium. Certè in hac parte adeò Græcorum vitium Aragonenſibus illis Scriptoribus non diſplicuit, vt ipſos ſibi imitandos propoſuiſſe videantur, Cum *incredibilium relatu commendationem parant*, vt de illis profert Seneca, *& lectorem aliud acturum ſi per quotidiana duceretur miraculo excitant, quique approbare opus ſuum & fieri populare non putant, niſi illud mendacio aſperſerint.* Ad hanc claſſem reuocari debent illa quæ ſupra fidem de rebus geſtis Garciæ Ximenij déque Regno per eum breui tempore à finibus Suprarbij & Ripacurciæ in medium vſque Nauarræ atque Cantabriæ, cum tenuiſſimis copiis dilatato, vigentibus licet in eo tractu Sarracenorum armis: quæ inſuper de ſingulis crucibus tam ab eodem Garciâ quàm ab Enecone Ariſtâ in aëre inter prœliandum viſis, primi quod ſciam, Gaubertus Fabricius & alij quidam Authores inediti cõſortes Gauberti temporum, ſibi per inſomnium viſa, vel ob otioſis excogitata, veluti oracula de tripode effudere. Illa item quæ Rodericus Toletanus Antiſtes, grauis alioquin author, de poſthumo ortu Sanctij Garciæ Regis, Eneconis nepotis, è vulnere matris à Mauris in acie interemptæ erumpentis atque auulſi, ſolâ famâ & auditione, vt veriſimile eſt, accepta libris ſuis inferſit: quæ deinde maiore narrationis apparatu ab Authore Anonymo in Annalibus Aragonenſibus fuere expoſita. His autem effectum eſt, vt à celeberrimis noſtri ſæculi Scriptoribus, vniuerſa ferè quæ de origine & initiis Regni à noſtris commemorantur, tamquam dubia & ſuſpecta contemnantur, quò nobis impenſiùs laborandum eſt, vt adhibito diligenti examine & vnaquaque re ad veritatis trutinam expensâ, mẽſa-

riorum modò ſingula explorantes, quemadmodum pię-ſcribit Lucianus dialogo de hiſtoriâ ſcribendâ, ſpuria à legitimis, dubia à certis ſeparemus: nec quidquam pro explorato ponamus, quod non ſit authoritate alicuius veteris monumenti aut probati Scriptoris firmum: Circa ea autem quæ coniecturis continentur & ſunt opinabilia, iis accedamus quæ ad veritatis ſimilitudinem videntur eſſe propenſiora. Adeò enim illis nugis & fabulis patroni & vindices hoc noſtro æuo non defuere, vt haud puduerit Blancam, dum ad eas exponendas accingitur, *in Comment. Rer. Aragon. cap. de Suprarbienſis Regni initiis*, antiquorum monumentorum authoritatem illis prætexere, & huiuſmodi vſurum ſe argumentis polliceri, quæ perſpicuâ nitantur illorum veritate, quorum tamen nec veſtigium, nec ſimulachrum vllum, in totâ illâ de Suprarbienſibus Regibus ipſius lucubratione videas. Enimuerò dum iſtius effrenatæ mentiendi libidinis cauſas quæro, hanc primùm reperio quæ à Ioſepho *lib. 1. aduerſus Appionem Grammaticum*, de Scriptoribus Græcis iudicium ferente, expreſſa eſt. *Eò quod*, inquit, *ab initio non fuerit ſtudium apud Græcos publicas de iis quæ ſemper aguntur proferre conſcriptiones, hoc etenim præcipuè & errorem & poteſtatem mentiendi poſteris, vetus aliquid volentibus ſcribere, conceſſit.* Non ſecus apud Nauarros atque Aragonenſes publicarum conſcriptionum inopia, quibuſdam ſuperioris ſæculi Scriptoribus, quiduis de primis Regni originibus comminiſcendi licentiam fecit. Acceſſit deinde, velut fermentum quoddam, alia cauſa poſita in inſcitiâ & vanitate eorumdem ſcriptorum, qui dum famam & exiſtimationem, quam è verâ eruditione conſequi nequeūt, ambitioſè affectant, ex huiuſmodi commentis ad miraculi ſpeciem confictis,

aucupari voluerunt. Sed iam ad Brizium redeo. Indignatur ille *antiquitatem Regni Suprarbienſis nongentorum*, vt iudicat, *annorū vetuſtate robuſtam, & tot authorum qui variis ſæculis ſcripſere, conſenſu firmatam, à Garibayo in contentione poni;* Sed indignari potius liceat nobis Brizium tantum ſibi in hac materiâ permittere, vt diſſentanea & falſa aſſumat, quò nouitium iſtud figmentum ſartum tectum conſeruet. Nam cuinam vnquam, ne fando quidem, quidquam de ficto & adumbrato iſto Regno auditum eſt ante decimum quintum ſæculum? *Admittunt illud*, inquit, *Tomichius & Aclotus Catalani ſcriptores, Beuterus Valentinus, nec non Gaubertus Fabricius Ferdinandi & Yſabellæ Caſtellæ atque Aragoniæ Principum Hiſtoricus, qui etiam auctoribus aut teſtibus vtitur xij Hiſtoricis diuerſis, vnoque imprimis vetuſtiſsimo nondum edito quem in Tabulario Regio Barcinonenſi ſe euoluiſſe affirmat.* Ad Aclotum vel Eſclotum Catalanarum rerum ſcriptorem quod attinet, fallor ni eius ope ſe planè deſtitutum ſentiat Brizius; cum in toto illius opere, quo res potiſſimum à Iacobo Rege Aragonum huius nominis I. & à Petro eius filio vſque ad annum 1285 geſtas proſequitur, nullum de Suprarbio aut de Suprarbienſibus Regibus verbum faciat. Tomichium ſcio circiter annum 1400 vixiſſe, in Hiſtoriâ autem ſuæ gentis ſcribendâ, non adeo eum ſyncerè verſatum, quin multa fabuloſa commenta ipſi intexuerit, didici ex his Çuritæ verbis ad annum 758. *Quæ huic loco de Augerio Catalone & magnis illis ſiue Germanicæ ſiue Francorum gentis proceribus in Cataloniam tranſcenſis, iuſto coacto exercitu ſacrum bellum geſturis, fabula interſeritur, quâ ferme res antiqua alia apud vulgus non eſt inſignior, ne incertæ vanæque rei auctor ſim, reiici mihi digna viſa eſt: cuius neque priſcis in Annalibus, neque teſtatis rerum*

geſtarum

geſtarum monumentis vlla veſtigia apparent: Ne pro certo traderem, cum ipſius rei de qua agitur, dignitas, tum ipſi vetuſti rerum Barcinonenſium auctores efficiunt: qui nihil eorum geſtum prodidere: propagatámque fabulam ex vanâ quadam Petri Tomichij oſtentatione videmus. Vnde iudicium facere liceat, quæ fides huic authori habenda ſit, in iis quæ de aliis nationibus ſcriptis commendauit, ac de Nauarris præſertim procul ab ipſius patriâ remotis, ſi tamen vera ſunt ea, in quæ illum teſtem excitat Brizius: de quo eſt cur dubitem; cum à Tomichio Garciæ Eneconis ſecundo, vt ait Brizius, Suprarbij Regi: non Suprarbienſis, ſed Nauarræ Regis nomenclaturam additam, pateat ex Gauberti Fabricij verbis à me ſupra recitatis. *Gaubertus* Regum Aragoniæ hiſtoriam Cæſaraugustæ anno 1599 edidit iuſto volumine; ſed quod ſi laudes immodicas & non neceſſarias detrahas, inquit *Vaſæus*, in exiguum redigetur opuſculum. Is primus eorum, quos mihi hactenus videre contigit, hiſtoricorum peruulgauit Garciam Simenium captis Aynsâ & Beneuarrio oppidis Suprarbij & Ripacurciæ ſe Regem profeſſum fuiſſe. Huius autem rei ſeu ipſe eam commentus, ſeu ab ignobili aliquo ſcriptore mutuatus ſit, cuius nomen indicare pigeret, nullum authorem laudat. Nam quod de XII hiſtoricis ab eo in hanc rem citatis ingerit Brizius, ea alio ſpectare ex ipſius Gauberti verbis actutum patebit. *llamaron los dos Caualleros* (loquitur autem de Aragonenſibus ad primi Regis electionem confluentibus) *hermanos, tenidos por todos en reputacion de varones muy ſanctos como faſta la coronica real del archio de Barcelona lo affirma y todas quaſi las coronicas que vi que ſon mas de xij y pidieron les por merced que les pluguieſſe de rogar &c.* P. Antonius *Beuterus* Valentinus 2.

parte Chronici Hiſpanienſis quam anno 1550 prælo emiſit, eadem ferè ſcribit de Garciâ Simenio & de Regibus Suprarbienſibus, quæ Gaubertus, illaudato pariter authore: niſi quod è variis & diſſidentibus ſcriptorum ſententijs veriſimiliorem ait ſe elegiſſe. *Deſta election hablan muchos muchas coſas y por ſer ſin autoridat de eſcrituras antigas y que los vnos ſon contrarios a los otros auemos pueſto aqui lo ſuſtantial, y que haze al propoſito verdadero.*

Summotis huc vſque aduerſariorũ argumẽtis, ne quod deinceps pertinaciæ in hoc negotio pateat perfugiũ, noſtra quoque proponẽda ſunt. Primum pẽdet à veteri illo monumento Cœnobij Pinnatenſis, apud Blancam, cui *Canonica ſancti Petri Tauernæ* titulus eſt, quod tamen nolim omni ex parte verum præſtare: cum in pleriſque ab aliquo recentiori interpolatum fuiſſe mihi non ſit ambiguum. In eo autem commemoratur *Bentium Cæſarauguſtæ Epiſcopum ex quo Mauri illi ciuitati imminebant, cum reliquiis ſanctorum in montanas ſe regiones recepiſſe, ibi ſe in fidem & præſidium Comitis cuiuſdam Armentarij nomine contuliſſe, eiuſque nutu in Eccleſia illa ſancti Petri quæ in Ripacurcienſi pago ædificata eſt, conſediſſe: poſt aliquot annos Belaſcutum ſuperſtite adhuc Epiſcopo Bencio ab Abbate illius Eccleſiæ Donato ad Carolum Regem miſſum fuiſſe, vt eius opem atque auxilium contra Mauros flagitaret.* Si iam tum Suprarbium Regem habuit Chriſtianum, fortem & potentem, vt ſentit Blanca, Garciam Ximenij nimirum, aut Garciam Eneconis eius filium: cum ditio illa Cæſarauguſtâ minus diſtet, quam Ripacurcia: quis credat Bencium, tantâ opportunitate neglectâ, ad Comitis obſcuri & inualidi præſidium confugiſſe; qualis dubio procul fuit is Armentarius cuius ne nomen quoque abſque hoc monumento foret ad

nos vnquam perueniſſet? Rurſus cum Ripacurcienſis pagus, vbi illa Eccleſia ſita eſt, finitimus ſit Suprarbio; num potius Suprarbienſis Regis auxilium imploraſſet Donatus Abbas illius Eccleſiæ, quam Caroli qui tot inde terrarum ſpatiis diſiunctus erat? Præterea, cum nuſquam, apud vetuſtos authores, de Suprarbienſibus Regibus quicquam ante Sanctij Maioris tempora legamus: ſi contra appareat vniuerſo illi tractui, qui inter Oſcam & montes Pyrenæos interiectus eſt, quôque Suprarbienſis etiam pagus includitur, aut Sarracenos aut Francos per ea ipſa tempora, ad quæ Suprarbienſium illorum Regum ætatem confert Blanca, dominatos fuiſſe: cui porrò dubia eſſe poterit illorum Regum falſitas, quos nobis veluti in ſcenam immiſere Aragonenſes illi ſcriptores? Atqui hoc è probatis authoribus colligitur, Maurum quemdam nomine Bahalucum illius tractus principatum anno 796 habuiſſe, conſecutis verò temporibus, Aureolum Comitem, qui è genere Felicis Petragoricenſis Comitis erat, nonnullas arces in eâ regione poſitis præſidiis occupaſſe, eidémque ad annum 809. vitâ functo Amorozium Cæſarauguſtæ atque Oſcæ præfectum ſucceſſiſſe, datâ fide Ludouico Regi Aquitaniæ, ſe cum iis arcibus in eius poteſtate futurum. Vetus author vitæ & actorum Ludouici Pij Regis Francorum ſuprà à nobis citatus, ad annum 796. *Sequenti*, inquit, *porro tempore Toloſam venit Rex* (loquitur de Ludouico Pio Rege tunc Aquitaniæ) *conuentum generalem ibidem habuit, Adefonſi Galleciarum Principis miſſos, quos pro amicitia firmanda miſerat, cum donis ſuſcepit & pacificè remiſit, necnon & Bahaluc Sarracenorum Ducis, qui locis montuoſis Aquitaniæ proximis principabatur miſſos pacem petentes & dona ferentes ſuſcepit & remiſit.* Quæ ne quis

de Cataloniæ regionibus Aquitaniæ adiacentibus intelligat, quæ diu ante in Ludouici ac Caroli eius patris ditione erant, ſequitur mox apud eumdem authorem. *Ordinauit autem illo tempore in finibus Aquitanorum circumquaque firmiſſimam tutelam, nam ciuitatem Auſonam, Caſtrum Cardonam, Caſtam Serram & reliqua oppida olim deſerta muniuit, habitari fecit & Burrello Comiti cum congruis auxiliis tuenda commiſit.* Author vitæ Caroli Magni, quem Monachum Engoliſmenſem fuiſſe quidam putant, ad annum 809. *Ipſo tempore Aureolus Comes de genere Fælicis Aureoli Petragoricenſis Comitis exortus qui in* COMMERCIO HISPANIÆ ATQVE GALLIÆ TRANS PYRENÆVM CONTRA OSCAM ET CÆSARAVGVSTAM *reſidebat, defunctus eſt, & Amoroz præfectus Cæſarauguſtæ & Oſcæ miniſterium eius inuaſit & in Caſtellis illius præſidia diſpoſuit, miſſáque ad Imperatorem legatione ſeſe cum omnibus quæ habebat, in ditionem illius venire velle promiſit.* Quod ſi quis tunc Rex aut Princeps magni nominis, Chriſtianus præſertim, in iis finibus cum ſummo imperio fuiſſet: ita ne verò oſcitantes aut iniquos fuiſſe hos Scriptores exiſtimandum eſt, vt illum ſilentio præterire voluerint, cum aliorum nullius alioquin gentis ac nominis Ducum tam Chriſtianorum quàm Sarracenorum prolixè meminerint? Ad hæc cum ex iiſdem Scriptoribus, præcipuè verò ex Eginhardi Annalibus, ex Authore vitæ Ludouici Pij, ex Rheginone ac Aymonio perſpicuum ſit: Ludouicum, ab anno 797 ad annum 809, non ſemel, Oſcam vſque (quò per Suprarbium iter eſt) infeſto exercitu perrexiſſe: ſi qui tunc in Suprarbio Reges extitiſſent, nullęne in hoc negotio illorum partes fuiſſent? Et vt nullæ fuerint: num ipſa ſaltem locorum vicinitas ab vno aut altero horum ſcriptorum aliquam

de iis mentionem aut verbum expreſſiſſet?

HANC inſuper de priſcis Suprarbienſibus Regibus fabulam egregiè retegit teſtimonium Hieronymi Çuritę, qui ad annum 814 ex vetuſtis Annalium monumentis narrat: Mauros è Suprarbio & vicinis locis à Bernardo Comite Ripacurcię eo anno pulſos fuiſſe. *Bernardus*, inquit, *Comes, Dux, atque Marchio, ea enim cognomina rerum geſtarum dignitate iure merito præfert, Ripacurciæ regione, quæ iugis montium cincta latis & fertilibus agris culta atque referta eſt, dignus poteſtate & dominatu habitus Theudam Galindonis Comitis filiam ducit. Is, vt ex vetuſtis Annalium monumentis eruimus, Caroli Magni auorum ſtirpe ortus, eo genus ducebat; cuius virtutè, cum maiorem Suprarbij, Ripacurciæ & trans Nochariam fluuium Paliarienſis regionis partem Mauri potirentur, montoſis & præruptis munitionibus exturbantur & longè latéque eius regionis vrbes oppidáque ſub imperium ditionémque ſuam ſubiunxit.* Quod autem Suprarbium Regni nomen eo tempore ſortitum fuiſſe ſubdit, id eò ſpectat vt Regni titulo, ſiue à Mauris, ſiue deinceps à Francis, quorum auſpiciis militabat Bernardus, poſſeſſum fuiſſe intelligamus: non vt inde ſequatur proprios ibi tunc Reges Chriſtianos viguiſſe, Fortunium ſcilicet vel Sanctium, vt argumentatur *Blanca* capite *de variis de Suprarbienſis Regni initiis, ſententiis.* Nec video ea, quę hoc loco de Suprarbij Dynaſtiâ id temporis à Bernardo Ducis, Comitis ac Marchionis titulo occupatâ habentur, quâ ratione conuenire poſſint cum iis quæ tradidere *Gaubertus Fabricius* & *Petrus Beutherus* (quos erroris duces habuit Blanca) nimirum *Garsiam Ximenium primum Suprarbienſium Regem breui poſt inuaſam vrbem Aynſam huius ditionis caput in Ripacurcienſem agrum impetum feciſſe, expugnatoque*

Benauarri primario oppido, Ripacurcienſis quoque Regis ſibi nomen adſciuiſſe. Carolus quoque Vianæ Princeps cap. XI. lib. I. Hiſtor. Nauarr. Sanctium Maiorem primum inter Reges Nauarros Suprarbienſi dynaſtiâ potitum fuiſſe ſignificat, illius Comite ſe ſuaque vltrò ei ſubmittente.

DENIQVE id à conſuetudine communis ſenſus abhorret, nec militaris ratio credi patitur, vt Garcia Ximenius Ameſcuâ oppido à finibus Nauarræ, quâ Caſtellam attingit, ortus: à Nauarris & Aragonenſibus in confinio vtriuſque regionis Rex ſalutatus, præteritis tot vrbibus propinquis *Sangoſſâ*, *Ilumberrio*, *Iacca* & aliis, illicò cum paruis copiis in Suprarbienſem agrum irruperit: indéque *Aynſæ*, non adeò nobili oppido (vbi Regni ſedem ſtatuiſſe ferunt) tantopere confiſus ſit, vt de illo, etſi vndique Maurorum arcibus & præſidiis circumſepto ſecurus, in Cantabriam quatridui ad minimum itinere *Aynsâ* diſtantem, cum non multum maiori exercitu, per infeſtas hoſtilibus armis vias expeditionem ſumpſerit: eius quoque filius Garcias Eneconis *Pompelonem* ciuitatem, non minori regionis ſpatio ſeiunctam, obſidione cingere auſus ſit: Vterque verò neglectis in propinquo famoſis vrbibus *Oſca*, *Ilerda*, *Barbaſtro*, & *Iacca*, quæ in confiniis Suprarbij ſitæ, rei bene gerendæ occaſionem ſatis amplam offerebant, tam procul à ſuis finibus incrementa Regni quærere maluerint. Si quis autem ex me ſciſcitetur, è quo fonte manarit hæc de Regni titulo Scriptorum contentio, proindéque iam refutatum à nobis illud de propriis Suprarbienſium Regibus commentum. Reſpondebo ex mente potius quàm ex verbis Çuritæ, ambitionem quorumdam Aragonenſium ſcriptorum, qui Regnum ſuum Nauarrico antiquitatis

laude præponere ſtuduerunt, huius rei cauſam extitiſſe: cui etiam hæc alia ſubiungi poſſe mihi videtur, primorum, ſcilicet, Aragoniæ Regum (qui etiam Pompelonenſes aut reuera fuerunt, aut dici voluerunt) cum primis Nauarræ Regibus (qui nihilo ſeciùs Aragonenſes vocantur ab illis authoribus) confuſio: cum enim proximos illos à Ramiro Aragonenſes Reges Sanctium & Petrum primo Suprarbienſes Reges (ſuperſtitibus nimirum parentibus) dictos fuiſſe, deinde Aragonenſes ac Pompelonenſes obſeruaſſent: hanc obſeruationem ad antiquiſſimos illos tum Pompelonenſium, tum Aragonenſium Reges Garſiam Simenium & eius ſucceſſores produxerunt. Aliam etiam attingit cauſam Çurita in Annalibus, eam nimirum quæ à vicinitate Suprarbij & Bigorræ (vnde Inicum Ariſtam prodiiſſe ferunt) peti poſſet: Sed cum Suprarbienſis Regis titulum non tam Inico Ariſtæ (quem Nauarræ vniuerſæ imperitaſſe fatentur omnes) quàm Garſiæ Simenio tribuant ſcriptores illi Inicique originem procul à Bigorrâ, ab Abarçuça ſcilicet Septentrionalis Nauarræ viculo repetant, ei potiſſimùm, quæ à nobis aſſignata eſt, rationi ſtandum eſſe arbitramur.

Altera de primis Nauarræ Regibus opinio diſcuſſa.

CAPVT XI.

INTER poſterioris de primis Nauarræ Regibus ſententiæ authores familiam ducit *Hieronym. Çurita*, vir non vulgaris eruditionis & magni in Hiſpanicâ hiſtoriâ nominis. Hic in Roderici Toletani veſtigiis inſiſtens, non ſolum Regnum ab Enecone, cui Ariſtæ cognomen

tribuit, orditur: præterito Garſia Simenio & quinque aliis Regibus qui ei ſubiungi ſolent, ſed etiam tres illos quos poſt Eneconem poſuit Garibayus, Fortunium Garciæ, Sanctium Garciæ, alium ab Abarcâ, & Garſiam Sanctij, à Tremulo diuerſum, è catalogo Regum expungit, exagitato etiam tacitè, non ſine contumeliâ verborum, Garibayo, quaſi nouos hic nobis Reges finxerit: Sex autem illos, qui Eneconem-Ariſtam apud vulgares authores antecedunt, neque reiicere audet, nec etiam inter Reges admittere; ſed Ducum nomine eos functos fuiſſe cenſet, priuſquam ad Eneconem Regnum peruenerit: Enecони denique Regi Ximinum Regem patrem affingere (quod primus præſtitit Garibayus) rem plenam futilitatis ſummæque leuitatis eſſe pronuntiat. Ad prima quod attinet, ſicuti non me inuitum ad ſententiam ſuam trahet Çurita, vt Nauarræ Regni initium ab Enecone-Ariſtâ, non autem à Garciâ-Simenio fiat, ſic in reliquis ita ab eo diſſentio, vt Regum ſeriem ab ipſo poſt Rodericum traditam mancam & imperfectam eſſe; Garibaij verò opinionem, quam is magnoperè improbat, probã & ſynceram putem, neque in aliâ hiſtoriæ parte huius diligentiam magis excelluiſſe prædicare auſim, quam in tribus illis Regibus huic loco aſſerendis: In aliis verò adeò mihi Çurita parùm verum aſſecutus videtur, vt Reges fuiſſe nec tantùm Duces ſex illos Principes viros: vniuerſóſque (ſecundo duntaxat excepto) Eneconis ętati ſucceſſiſſe, non autem eam anteceſſiſſe affirmare non dubitem. Et primùm quidem, nobis Garibayum defenſuris, non parùm fauet temporis longinquitas, quæ ab Enecone-Ariſtâ (cuius inaugurationem ad annũ Chriſti 819 refert Çurita lib. 1. Annal. cap. 5.) ad Sanctium vſque Maiorem interceſſit, quem ad annum

num circiter milleſimum regnare cœpiſſe, omnes ferè conſentiunt hodierni Scriptores. Nam ſi vaſtum hoc ducentorum penè annorum ſpatium, quatuor ſolum Principum Regnum occupauit, (quæ opinio eſt Çuritę) vno etiam ex iis Garſiâ nimirum Eneconis, ætate florenti, hoſtili furore abſumpto, longæuitas reliquorũ trium, ſi minus miraculo, at ſaltem rari & ſingularis propè in hoc genere euentus exemplo eſſe poſſit: præſertim cum in æuum illud incidat ærumnoſum, quo noſtrorum Principum vita aſſiduis Maurorum Chriſtiani nominis hoſtium bellis vexata, plus armis quam annis ingraueſcebat. Præterea cum duo ſint genera probationis, quæ ad res à noſtrâ memoriâ remotas cognoſcendas adhiberi ſolent, vetuſti authores & antiquæ tabulæ ſeu monumenta: ſi altero quidem nos Çuritâ ſuperiores eſſe: altero quoque illum defici, nos abundare, oſtendere poſſum; quid deinceps obſtabit quò minus ipſum causâ vincamus? Incipio à tabulis. Fortunium (nam de Ximeno poſtea videbimus fuerit nec ne Rex aut Eneconis Ariſtæ parens) tempore illo quo Ximinus Pontificatum Pompelonenſem gerebat, poſt annum ſcilicet 880, Pompelonæ regnaſſe teſtatum faciunt antiquæ tabulæ à Ioanne Brizio lib. 1. cap. 20. commemoratæ, quibus Ximinus iſte Eccleſiarum quarumdam atque agrorum quartum Epiſcopale, quod vocant, Fontifrigidenſibus Cœnobitis condonat: ſi quidem in extremo illarum tabularum Fortunij-Ximenonis Pompelonenſis Regis tanquam præſentis & illi donationi aſſenſum præbentis memoria habetur. Altero etiam veteri monumento Cœnobij ſancti Ioannis Piñatenſis, cui titulus *Notitia vel explanatio de terminis ſancti Ioannis*, necnon antiquo diplomate Garſiæ Sanctionis alterius Regis Pompelonenſis (quo-

rum vtrumque recenſet idem Brizius lib. 2. cap. 2.) Fortunij Regnum ad annum 893 producitur: quin & vlterius ad annum 901 perueniſſe Codicillis ab ipſo Fortunio è re Monaſterij Legerenſis eo anno (qui æra 939 exprimitur) factis à Garibayo lib. 22. cap. 6. oſtenditur. Iam Sanctij, Garſiæ filij, Eneconis nepotis, necnon alterius Garſiæ, huius Sanctij filij, Garſiæ ſuperioris nepotis & Eneconis pronepotis Regna agnoſcit Çurita: ſed quia huic Garſiæ poſteriori proximè in Regno ſucceſſiſſe Sanctium exiſtimat, cui Maioris cognomentum fuit, anno nimirum 967: in hoc illum opinione falli, fuiſſéq; Sanctium iſtum poſterioris Garciæ, non filium, ſed pronepotem conſignatis tabulis nobis demonſtrandum eſt: Primò itaque id in confeſſo eſt, (quod ipſe etiam Çurita ad annum 1025 ſcriptum reliquit) Sanctio Maiori, matrem Ximenam, vxorem Maioram Sanctij Caſtellæ Comitis filiam extitiſſe. Illud quoque, quod à Roderico Toletano eſt proditum, Sanctium primum huius nominis, vxorem Theudam habuiſſe, atque ex eo Garciam filium, qui ei in Regno ſucceſſit, ſuſcepiſſe, probat idem Çurita ad annum 926. At iſtius Garſiæ vxori Tereſæ nomen tribuunt vetera monumenta, tam à Garibayo lib. 22. cap. 11. & 14. quam à Sandouallio in comment. rer. S. Æmil. §. 37. & 39 recitata. His ita conſtitutis inter Garſiam illum Eneconis Regis pronepotem & Sanctium Maiorem duos alios Reges interiectos fuiſſe, nimirum *Garſiam* patrem & *Sanctium* auum *Maioris*, qui vulgo *Abarca* dictus eſt, authoritate aliorum monumentorum confirmare nobis haud difficilè erit: & pro patre quidem Garciâ faciunt duo diplomata apud Garibayum cap. 18. & 19. lib. 22. & Sandouall. in comment. ſupra citato §. 41. quorum altero, Garcias Rex Pompe-

lonenſis cum vxore Eximinâ & matre Vrracâ villę Herrero dictæ Ferrutio Abbati & Monachis Monaſterij ſancti Æmiliani æra 1034, (quæ anno Chriſti 996 congruit) gratiam facit: Altero verò, quod in æram atque annum proximum incidit, idem Rex aſtantibus pariter matre Vrracâ & vxore Eximinâ, aquam ſeu riuum Alaſonis iiſdem Abbati ac Monachis in vſum vinearum Monaſterij impertitur: vtrique ſubſcripſit Sanctius Regis filius, qui poſt patrem regnauit & Maioris nomenclaturam obtinuit. Bina alia diplomata eiuſdem Regis Garciæ, eiuſque vxoris Ximenæ refert Brizius Martinez lib. 2. cap. 16. quorum primo Cœnobitis Pinnatenſibus anno 996 campeſtres vicos Eſſum, Catameſſas, Caprunas & Genepratam vterque largitur: Altero autem Fontifrigidenſibus Cœnobitis anno 1005 tributum ſalarium remittunt. Priuatas deinde adiicit tabulas Brizius Ximeni cuiuſdam Eneconis eiuſque vxoris Vrracæ, quæ nihilominus ad vindicandum à ſilentio & obliuione iſtius Garſiæ eiuſque vxoris Eximinæ Regnum conducunt. Sed ne ipſius quidem Çuritæ libri huius Regis monumentis vacant: quippe in Indicibus Rerum Aragoniæ ad annum 966 ex vetuſtis tabulis refert, Garciam Regem cum vxore Simenâ & Vrracâ Reginâ Cœnobio Cireſię Verdunum oppidum & ſaltus qui Beraldo & Aragone fluuiis continentur, quæ auorum Regum tempore quęſita fuerant, condonaſſe. Quod ſanè ad alterum Garciam Eneconis Regis pronepotem trahi nequit, cum illũ non Vrracâ matre genitũ, ſed Teudâ vel Totâ, virumq; Tereſæ, non Ximenæ fuiſſe id temporis manifeſtum ſit ex ſupradictis. De Sanctio autem cognomine Abarcâ, Maioris auo, & alterius Sanctij nepote cum frequentes occurrant tabulę apud Gaubert. Fabric. in hiſtoriâ Aragon.

Garibayum cap. 14, 15, 16 & 17. lib. 22. Sandouall. in comment. rer. S. Æmil. §.40. & in catalogo Epiſcoporum Pompelonenſium fol. 25 & 26, Blancam côment. Rer. Aragon. titulis de Sanctio 1. & Sanctio 2 Abarcâ; Anton. Yepes in Append. tom. 1. num. 21. & tom. 5. num. 19. Brizium Martinez lib. 2. cap. 9 & 13: quæ illum ab anno 972 ad annum 992 vixiſſe arguunt, fuiſſéq; Garciâ patre progenitum, & ex Vrracâ vxore filium Garciam procreaſſe, cui Ximena nupſerit; æquè ſuperuacaneum eſſet illis recenſendis immorari, at pertinaciç proximum iiſdem fidem derogare, nullis præſertim ex contrariâ parte erumpentibus validis probationibus. Vnum tamen aut alterum ex his veteribus monumentis hic non grauabor apponere, quæ cum velut ipſius Çuritæ manu tradita habeamus: quemadmodum propriis etiam viribus contraria ſententia corruat appoſitè commonſtrant. Docui ſupra Garſiam Sanctij Maioris patrem ad annum 996 & vltra ætate proceſſiſſe: At multò ante, nimirum *ad 3 Kal. Iulias ærâ* 1009 anno verò Chriſti 971. refert Çurita *ex vetuſtis tabulis Endregotum Galindonum vnà cum Rege Sanctio Garſiæ & Vrracâ Ferdinandi Reginâ Sanctij vxore Exaberium oppidum pietatis causâ donaſſe, eámque rem geſtam regnante Sanctio Garſiâ & Vrracâ Reginâ in Aragone & Pompelonenſi ciuitáte: & ſcribendo adfuiſſe Degium Epiſcopum Aragonenſem Blaſium Epiſcopum Pompelonenſem, & Benedictum Epiſcopum Najarenſem.* Ad *æram autem* 1025, annum ſcilicet 987 *Kal. Ianuarij. In Donationum Regiarum & aſsignationum agrorum monumentis S. Petri Tabernæ Sanctij Regis & Vrracæ eius vxoris & trium liberorum Garſiæ, Ramiri & Gonſalui fieri mentionem. Anno* inſuper 989 *ab eodem Sanctio Rege Martem Bagueſium & Huertolum oppida Cæ-*

nobio ſancti Ioannis Pinnatenſis fuiſſe condonata, quæ ne de Sanctio Maiore intelligi poſſint, præter rationem temporis, quæ id nullatenus patitur, obſtat mentio Vrracæ Regis vxoris: *Maiori* enim non Vrracam, ſed Muniam fuiſſe vxorem notius eſt quam vt doceri debeat.

IAM authoritates vetuſtorum ſcriptorum ſi quærimus, proferet Çurita in medium Rodericum Toletanum, quem ducem in hac controuerſiâ aſſumpſit. Fateor multum tribuendum eſſe Roderico in Hiſpanicâ hiſtoriâ: nego tamen ei in his, quæ illius memoriam longo interuallo anteceſſerunt, eatenus adhæreſcendum, vt non ab ipſo diſcedere liceat, imò & deceat, quoties aliquid certius aut probabilius è priſcis monumentis, vel è vetuſtioribus ſcriptoribus affulſerit. Enimuerò hic præter tot antiqua monuměta, quæ Roderico non tam refellendo, quàm ſupplědo ſufficere poterant, etiam vetuſtorũ ſcriptorum authoritate pollemus. Itaque ad Fortunij Regnum confirmădum teſtem edimus primùm authorem vetuſtũ libri manuſcripti, quem in Bibliothecâ Eccleſiæ Diui Iſidori Legionenſis ſe reperiſſe teſtatur Ambroſ. Morales lib. 15. cap. 36. In eo enim legitur Garſiam Eneconis Regem duos reliquiſſe filios Fortunium Garſiæ & Sanctium Garciæ, quorum vterque poſt illum regnarit: filiam item nomine Inicam, quæ poſt mortem prioris viri Cordubenſi Regi Abdallæ iterum nupſerit, vnde natus Mahomades pater Abderamenis tertij qui Abdallæ auo in Regno Cordubenſi ſucceſſit. De Regibus Sanctio-Garciæ primo, Fortunij fratre, déque Garciâ, Sanctij filio meminit Sampyrus Aſtoricenſis Epiſcopus in vitâ Ordonij 2, de prœlio ad vallem Iuncariam facto verba faciens: *Ex hinc*, inquit, *in anno tertio innumerabile agmen Sarracenorum venit ad locum qui dicitur Mohis.*

Quo audito Pompelonenſis Garcia Regis Sanctij filius (ſic enim legitur in manuſcripto libro cuius exemplum ſeruatur apud Andr. Ducheſnium Geographum Regium) *miſit ad Regem domnum Ordonium vt adiuuaret eum contra acies Agarenorum &c.* & infrà. *Interea nuntij venerunt ex parte Regis Garſeani vt illuc pergeret Rex noſter ſuprafatus ad debellandas vrbes perfidorum, hæ ſunt Nagera & Veguera. Rex verò iter egit cum magno exercitu & expugnauit & oppreſsit atque cepit ſupradictam Nageram, quæ ab antiquo Tricio vocabatur. Tunc ſortitus eſt filiam eius in vxorem nomine Sanctiam conuenientem ſibi & cum magnâ victoriâ ad ſuam ſedem venit.* Ex ſuperioribus ſatis conſtat, vtrumque horum Regum Sanctium atque Garſiam Ordonio in Aſturia ac Legione regnante vixiſſe, ſcilicet ante æram 963 ſiue annum 925, ad quem Ordonij mortem contulit Sampyrus: ſed & vlterius ad tempora vſque Ordonij 3 & Sanctij Craſſi, qui æra 988 ſiue anno 950 Regnum adeptus eſt, perueniſſe Garciæ Regis ætatem teſtatum facit idem Sampyrus in vtriuſque Regis vitâ. Porrò ſecundùm hos Sanctium, & Garciam, regnaſſe alios eiuſdem nominis, alterum Sanctij Maioris auum, Abarcæ cognomento; alterum patrem, cognomine Tremulum, non tacuit Lucas-Tudenſis, qui dum Sanctium Abarcam Almanſori æqualem facit, ſatis indicat alium fuiſſe à ſuperiore illo Sanctio Eneconis nepote, cuius etiam filius Garcias Almanſori ætate præſtitit. Hanc Regum ſeriem à Garibayo poſitam confirmat etiam Author Anonymus monumenti veteris manuſcripto libro Cœnobij Legerenſis, quo regulæ ſancti Benedicti continentur, intexti, quem eiuſdem Cœnobij Monachum fuiſſe probabile eſt, vixiſſéque circiter annum 1100 ex ibidem ſcriptis colligi poteſt. Hic itaque

Catalogum Regum Nauarræ, qui in illo Cœnobio ſepulti credebantur, conſcribens, eodem ordine quo Garibayus tres illos Reges à Çurita exploſos, diſponit.

PRÆTEREA Garſiæ Regis Sanctij Maioris proaui obitum, initiumque Regni, Sanctij eius filij ad annum 970 præcisè annotat *Vigila* Monachus Albeldenſis in Codice Conciliorum Hiſpaniæ manuſcripto, quem ſuperſtitibus eodem Sanctio eiuſque fratre Ranimiro Rege Vicariæ anno 976 ipſe conſcribi curauit, teſte Ambroſio Morale lib. 16. cap. 35. Poſtremò locupletem nobis in hanc rem teſtem ſuppeditat ipſe Çurita, ad Regna vtriuſque Sanctij, & alterius Garſiæ comprobanda; Belaſconem nimirum, qui ęrâ 1032 anno verò 994 Codicem Conciliorum ſancti Æmiliani Siſebuti Epiſcopi iuſſu deſcripſit: cuius verba, prout à Çurita in Indic. rer. Aragon. ad annos 926 & 966 recitata ſunt, hic ſubiungenda duximus. *Dehinc expulſis Biotenatis* (Sarracenos hoc nomine intelligit, loquiturque de Sanctio Garſiâ Rege) *vicesimo Regni ſui anno migrauit à ſæculo, ſepultus ſancti Stephani portico regnat cum Christo in polo. Obijt Sanctio Garſeanes æra 964. Item filius eius Garſea Rex regnauit annis* 40. *Benignus fuit & occiſiones multas egit contra Sarracenos & ſic deceſſit. Tumulatus eſt in caſtro ſancti Stephani ſuperſunt eius filij in patria eius videlicet Sanctio.* Reliqua deſiderantur, inquit Çurita, in eo Codice. At in peruetuſto itidem Codice Albeldenſi, qui in Regiâ etiam ſancti Laurentij bibliothecâ aſſeruatur, ita legimus. *Superſunt eius filij in patria videlicet Sanctio & frater eius Ranimirus, quos ſaluet Omnipotens per multa curricula annorum. Amen. Diſcurrenti præſenti æra* 1014. De obitu verò iſtius Sanctij ad annum 926, hæc ex vetuſto Authore Anonymo profert idem Çurita. *In obruta &*

confuſa temporum ſerie & rerum à Sanctio Rege geſtarum eius mortis memoriam in vetuſtis literis extare video, quibus teſtatum accepimus magno ab hoc anno temporis interuallo nempe ad 7 Kalend. *Ianuarij æra* 1028 *fato perfunctum ſepultumque in D. Ioannis Pinnatenſis Cœnobio, atque in eius ſepulchro Vrracam Reginam Ferdinandi F. vxorem fuiſſe conditam, quæ aliquot annos poſt mariti mortem vixit.* De morte autem huius filij, Garcię Regis hęc ille ad annum *966 Kal. Septembris æra* 1053 *Garciam Regem deceſsiſſe vetuſtis aliquot monumentis proditur.* His parum animaduerſis & repudiatâ face quam in illis tenebris, quæ horum Regum memoriam obſederant, primus nobis alluxit Garibayus, in eas difficultatum ſalebras incurrit Çurita, vt ſe inde expedire nequeat: nec aliam emergendi viam inuenit quam ruinam & labem veterum diplomatum incorruptorum, quam, ſollicitatâ illorum ærâ tanquam vitioſâ, haud obſcurè molitur.

HACTENVS, ni fallor, parti muneris à me initio huius capitis ſuſcepti ſatisfeci, vt numero Regum à Roderico & Çuritâ conſtituto aliquos deeſſe, in iiſque ſupplendis Garibayum non inanem operam poſuiſſe oſtenderem. Reſtat modò altera pars, quæ id expoſcit, vt ſex Principes illos viros, quos ante Eneconem-Ariſtam regnãtes induxit Author Anonymus Aragonẽſium Annaliũ, non Duces tantum, vt coniicit Çurita, ſed verè Reges fuiſſe; Regnaſſe autem, non ante, ſed poſt Ariſtam omnes (vno duntaxat excepto Garſiâ Eneconis) demonſtrem: cuius demonſtrationis is erit exitus, vt illos Reges eoſdem eſſe magnâ ex parte cognoſcamus cum iis quos de nouo ſuſcitaſſe ſe gloriatur Garibayus: Atenim ſi hic interim veluti cumulus accedat, vt docere poſſim, illos ex mente ipſiuſmet Annalium conditoris.

ſiue

ſiue eorum, quos in hac hiſtoriæ parte duces habuit, extra propriam epocham aberrare & ad hanc in quâ nunc verſamur reuocandos eſſe; non malè, meâ quidem ſententiâ, ea omnia quæ de primis Regibus ab antiquis ſcriptoribus qui memoriam patrum noſtrorum anteceſſerunt expoſita fuere, inter ſe congruent atque in eam cõſpirabunt ſentẽtiam, quam ipſe ſequi in hoc opere ſtatui: nec deinceps vllus, vt puto, locus relinquetur doctis viris conquerendi, vniuerſa quæ de primis Nauarræ Regibus à noſtris proferuntur incerta, inuoluta atque contraria eſſe. Itaque vt rem ipſam aggrediar, ad tres illos Principes quod attinet, qui in illâ controuerſorum Regum ſerie Fortunij, Sanctij, & Garſiæ nominibus deſignantur, abundè mihi onere illo probandi, quod mihi ipſe impoſui, defunctus videor, ex quo ſuprà, præter illos omnes Reges qui inter Ariſtæ ſucceſſores hactenus numerati fuere, Fortunij vnius, Sanctij alterius & alterius item Garſiæ Regna, tam veterum monumentorum fidê quàm antiquorum librorum authoritate vindicaui. Sed vno adhuc à Garibayo hîc vrgeor argumento, quaſi Sanctius ille Garſiæ ab Anonymo ſcriptore Annalium productus, filius ſit Fortunij Regis non autem frater, quod tamen Sanctio Garſiæ, Eneconis nepoti, nequaquam eſt conſentaneum: cum illi pater Garcias fuerit, non autem Fortunius: ſed cedo ipſius authoris verba, faxim, vt ab eo ſe deſeri ſentiat Garibayus: ſic autem ea apud Blancam cap. *varia de Suprarb. Regni init. ſententiæ*, leguntur. *Poſt mortem Regis Fortunij Garſiæ regnauit in Pampilonâ Rex Sanctius Garſiæ & regnabat in Sturiis Rex Ordonio, qui tunc fuit deuictus per Regem Cordubæ vocatum Abderramen &c. Nec plura,* inquit Blanca, *in eâ Pinnatenſi hiſtoriâ quam habeo.* Garſiæ autem pa-

tronymicum nomen, proprio nomini Sanctij additum, more illis temporibus recepto, hunc dubio procul non Fortunij, ſed Garſiæ filium fuiſſe demonſtrat.

GARSIÆ Ximeni Regnum, ad annum 896 & 898 elicitur è trinis ipſius codicillis apud Briz. lib. 1. cap. 26. & cap. 30, quibus Cœnobio Sancti Ioannis Pinnatenſis Oillenſe & Huertolenſe Monaſteria, vnà cum fundis & ſaltibus aliquot erogat. De Ximino, diſplicuit Çuritæ illum Eneconis Regis patrem ſimul & Regem ſtatui: vtrumque tamen validè confirmauit Garibayus lib. 21. cap. 13. & lib. 22. cap. 1. & 4. (quamuis huius ſe primum comprobatorem iactet immeritò Blanca) prolatis duobus diplomatibus: altero æræ 880, in quo Eneco Rex huius ſe Ximini vel Xemenonis filium prædicat: altero æræ 918 in quo Garſias Eneconis Rex, Eneconis patris & Eximini aui Regum meminit. Ab hoc autem poſteriori diplomate nullâ re differt niſi menſis nomine illud quod Blanca in Tabulario, vt ait, Barcinonenſi à ſe repertum *in comment rer. Aragon.* produxit, vt Regnum Ximini teſtatum faceret. Idipſum præterea comprobatur aliis tabulis Cœnobij Legerenſis (niſi fortè eædem ſint cum ſuperioribus) in librario tributi ab Alfonſo Aragonum Rege remiſſi commemoratis, teſte Çuritâ apud Brizium Martinez lib. 1. cap. 39 in his verbis. *He hallado en la hiſtoria antigua deſte Real Monaſterio eſtas palabras aduertidas de ſu propria mano de Çurita luego en la primera plana del libro. In Regiſtro gratiarum Regis Alfonſi 1331. fol. 20. dicitur in quodam priuilegio ſancti Saluatoris Legerenſis facto ærâ 918, quod Fortunius Rex Aragonum fuit filius Garſiæ filij Eneconis filij Eximini Regis Aragonum.* Author quoque Anonymus Annalium Aragonenſium, qui in numero ac nominibus Regum inue-

niendis ſatis ſagax fuit, hunc Ximinum inter Reges Pompelonenſes numerat: eoque longè antiquior ſcriptor ille, qui ſeriem Regum Nauarræ ab Enecone Ariſtâ ad Sanctium vſque Garciæ, Sanctij Maioris nepotem, in manuſcripto libro Cœnobij Legerenſis, (quo regulæ ſancti Benedicti continentur) deſcripſit, in ſerie illâ Ximinum Regem complexus eſt, fuiſſéque Enecconis patrem diſertè teſtatur. Poſtremum illud eſt de Garciâ Eneconis, quem (alium ſcilicet à noſtro) tanquam filium Garciæ Ximeni in albo Regum collocat auctor ille Anonymus Annalium Aragon. Hic locus ſanè difficilem habet quæſtionem, ad quam explicandam nihil nobis adiumenti à veteribus monumentis accedit, vetuſti quoque Scriptores omnes (dempto hoc Anonymo) vnicum duntaxat nobis Garſiam, Eneconis cognomento, Regem exhibent, quid igitur? an ſubdititium eſſe hunc alterum dicemus, ſiue ab anonymo illo, ſeu ab alio quopiam confictum? Minimè verò; ſed quemadmodum authorem illum circa alios Reges, non tam materiâ ipsâ, quàm confuſione temporum & perturbatione ordinis lapſum docuimus: Sic in iſto præpoſterâ & inuersâ nomenclaturę ratione peccaſſe, ſi fieri poſſit, oſtendamus: dum *Garciam Eneci*, pro *Eneco-Garſiæ* nominat, patronymico *Garſiæ*, pręposito nomini proprio *Eneci*, quod ſequi debuiſſet. Principiò id obſeruari velim; ea quæ author ille Annalium de ſex primis Regibus memoriæ tradidit: (in quo ipſum & ſe & alios omnes ſuperaſſe argutè notat Çurita) ea à Nauarris ſcriptoribus hauſiſſe videri. Abalus Piſcina qui patrum memoria Nauarræ hiſtoriam ſcripſit, (quæ nondum typis vulgata eſt) in vitâ iſtius Regis, de quò nunc agimus, monet vſum ſe veteri Chronico Nauarræ Regum, quod in

valle Ilçarbiâ reperit, ſermone quidem ineleganti & penè barbaro, ſed vetuſtate eximio: cuius initium à Garſia Ximeno fiat, extremum verò in Garſiæ Ximini filij vitam incidat; ita vt, illorum tantùm Regum qui à Roderico prætermiſſi ſunt, hiſtoriam complectatur. Huic ſimile & ipſe accepi ab amico è veteri Codice MS^to^ legum Nauarricarum cui attextum erat, Corteſiô Nauarræ oppido delatum: in quo tamen poſt Garſiæ Regis vitam, paucula de Enecone Ariſta adiecta ſunt: quo autem authore ac tempore Chronicum iſtud ſcriptum fuerit, haud ita facilè dictu eſt; niſi quod in Theobaldi Regis ætatem mihi videtur non abſurdè poſſe referri, quâ Codicem quoque illum legum colligi cœpiſſe, ſupra indicaui: quin etiam huius fortaſſe Regis iuſſu conſcriptum fuiſſe, inde coniecturam facio, quod Chronici cuiuſdam Theobaldi Regis nomine editi mentionem fieri video, tum à Garibayo lib. 21. cap. 1, tum ab eo antiquiori ſcriptore, nobili illo Ipuſcuate, cuius ſuperiore libro memini, libelli illius qui *Recopilatiō de las coſas de Ipuſcua* inſcribitur, authore: nec aliud ſuppetit quod illi Regi adſcribere poſſimus. Cum autem, vt præmonui, ſolas res geſtas illorum ſex Regum qui à Roderico præteriti fuere, deſcribat; non abhorret à vero, in hoc Chronicum illud ſiue à Theobaldo Rege ſiue ab alio quouis authore elaboratū fuiſſe, vt eſſet ſupplementi loco Hiſtoriæ Regum Nauarræ tum recens à Roderico editæ: Idipſum enim ſub idem ferè tempus ab Alfonſo X. Caſtellæ Rege factum ſcimus, conditis Hiſpaniæ Annalibus qui hodie eius nomine circumferuntur: tum id ſecundo loco moneri à me operæpretium eſt; proximum à Garſia Simenio Regem, ab authore illius Chronici, non *Garſiam Ynici* ſed *Ynicum Garſiæ* nominari tam in exemplari

Abali Piſcinæ (vt ipſe teſtatum reliquit) quàm in meo. Illud demum obſeruare conuenit, in vetuſto illo commentario Legerenſis Cœnobij quo Regum inibi ſepultorum nomina indicantur, inter eos Reges primum omnium *Eneconem Garſiæ* memorari, cum *Ariſtæ* cognomento, alium nihilominus ab eo qui *Ximini* filius fuit, quique omnibus notus eſt, indéque non ineptè id quod à nobis ſuprà animaduerſum eſt concludi; nimirum in numero Regum conſtituendo eorumque nominibus aſſignandis, nos nihil aut parùm ab anonymo illo Annalium Aragonenſium conditore differre, ſed in ordine tantùm ſucceſſionis & in ratione temporum. Porrò, etſi in illius Eneconis Garſiæ regno comprobando nos veteres tabulæ deficiant: nihilominus ſi illum reiicere velimus, iniqui omnino eſſe videamur tribus illis vetuſtis ſcriptoribus qui illos concorditer recipiunt atque regnaſſe perhibent: Scriptori ſcilicet Annalium Aragonenſium, Authori Chronici: quod Regis Theobaldi tempore ſcriptum fuiſſe coniicimus: illi denique qui commentarium illum Regum ab Enecone Ariſtâ ad Sanctium vſque Garſiæ Sanctij Maioris nepotem contexuit, qui in Legerenſi Cœnobio aſſeruatur: cui ego ſcriptori in his antiquis rebus Nauarricis plus tribuo quam aliis omnibus, cum non externa, ſed veluti domeſtica & familiaria prodere videatur: neque vllum, quod ſciam, illo antiquiorem harum rerum ſcriptorem habeamus: ſeriem autem Regum ab ipſo traditam (quoniam ad ea etiam, quæ nobis de his Regibus dicenda adhuc ſuperſunt, vſui erit) hic apponendam duxi: præmonito tamen lectore, ne æris aut numeris annorum in eâ adſcriptis attendat: vitio enim temporum laborant perinde atque alia Hiſpanicarum rerum monumenta illius ſæ-

culi, quæ ad nos peruenerunt.

Hæc *eſt charta Regum quorum corpora tumulata requieſcunt in Monaſterio Legerenſi erâ* DCC. . . . *obiit Rex Eneco Garſianes, vxor iſtius fuit vocata Eximina. Poſt hæc regnauit pro eo filius eius Eximinus Eneconis, vxor cuius fuit Munia & obiit erâ* DCCLXX. *& regnauit pro eo filius eius* 22 *annis Eneco Ximenonis & obiit erâ* DCCCI *vxor iſtius fuit Oneca Regina, tempore quorum fuerunt martyres tranſlatæ ab Hoſcâ in Monaſterium Legerenſe: poſtea regnauit pro eo filius eius Garſias Eneconis annis* 12 *& obiit era* DCCCXXXV. *Poſt cuius obitum venit Fortunius Garſeanis de Corduba & inueniens ipſum mortuum Lumberri, tranſtulit corpus eius ad Monaſterium Legerenſe & regnauit annis* 57 *poſtquam ſenuit fuit effectus Monachus in Monaſterio Legerenſi & regnauit pro eo frater eius Sancius Garſeanes cum vxore ſuâ dominâ Tota Regina & venerunt ambo ad dictum Monaſterium vt à prædicto Fortunio acciperent gratiam & benedictionem, quos cum benedixiſſet, dedit Sanctio fratri ſuo quatuor albendas & vnam cortinam & tria cornua & ſpatam cum vagina, loricam cum collare de auro Diadema de capite ſuo, ſcutum & lanceam, caballum cum camo, freno & ſella duas tendas & duas ciclabes, & obiit dictus Sanctius Garſeanes era* 968. *Poſt hoc regnauit pro eo Garſias Sanctionis cum matre ſua Domina Tota Regina & vxore ſua Regina Eximena: ex iſta habuit duos filios, ſcilicet Sanctium & Ramirum & obiit era* 1035. *Poſt hæc regnauit Ramirus filius eius & deceſſit ſine prole. Poſt hæc regnauit pro eo frater eius Sanctius Garſeanis cum vxore ſua Vrraca Regina, & iſte fuit vocatus à vulgo Abarca.* (Deſiderantur hîc aliquot lineæ, quę ad memoriam Sanctij Abarcę, Garſię Tremuli & Sanctij Maioris Regum ſpectabant.) *Habuit hic filios* (de Sanctio Maiore intellige) *Garſiam Ra-*

nimirum, Gundiſſaluum & Fernandum & duas filias Maioram & Eximinam & obiit era 1058. Poſt hæc regnauit pro eo Garſias filius eius cum Eſtephania Regina vxore ſua & obiit era 1082. Poſt hæc regnauit pro eo filius eius Sanctius Garſeanes cum vxore ſua Plaſentia era 1113. Hæc eſt charta Regum quorum corpora tumulata ſunt in Monaſterio Legerenſi.

INSPICIAMVS nunc, an modus aliquis conciliationis inter hos contrariorum opinionum veluti duces ac ſigniferos, Scriptorem, inquam, Legerenſem & Authorem Annalium Aragonenſium, ratione temporis atque ordinis ſucceſſionis horum primorum Regum, reperiri poſſit: In quo mihi quidem id ex poſterioris ſcriptis euidens & perſpicuum videtur, ætatem eorumdem Regum (quam hic alieno loco, octauo nimirum ſæculo & noni initio poſuit) ad inſequens ſæculum trahendam eſſe, in quo ipſe, ducibus veteribus monumentis, epocham Eneconis Ariſtæ & quinque aliorum Regum qui poſt illum in Nauarrâ rerum potiti ſunt, conſtitui: ita vt vnius centenarij numeri omiſſione ab Authore Annalium illorum in annotatione annorum peccatum fuerit: nec enim aliter ea quæ de Ordonio Aſturiæ, Abderamene Cordubę & Sanctio-Garſiæ Pompelonæ Regibus, déq; victo ab Abderamene Ordonio in iis Annalibus ad annum 820 celebrantur, ſibi conſtare poſſunt. Nondum quippe id temporis Ordonius vllus in Aſturiâ regnabat: Nam Ordonij primi Regnum æra 887, anno nimirum 849, inchoat Sebaſtianus Salmanticenſis. Abderramenis verò nomine, cum plures Cordubæ Principes regnarint; nullius eorum ætas in illum annum incidit: Anno enim 821. dominari in eâ vrbe cœpit Abderramen 2, vt ex diuo Eulogio lib. 2. cap. 1. Memorialis Sanctorum

colligitur, ex Authore quoque vetuſto vitæ & actuum Ludouici Pij conſtat, Abulazium iſtius Abderramenis 2. patrem (Alhacam hunc vocat Rodericus, at Marmol Aliatam) ad eumdem vſque annum 821. vitâ atque Cordubenſi imperio potitum fuiſſe. De Sanctio denique Pompelonenſi Rege, illius ætatem anno illi nequaquam conuenire poſſe, ſatis ſupérque conuincunt ea quę de Gallorum in Nauarrâ & Pompelonæ, ab anno 806 ad annum vſque 824, continuato imperio ſupra cap. 9. expoſuimus. Contrà verò ſi ſuperiora ad inſequens ſæculum & ad annum 920 reuocemus, aptiſſimè omnia inter ſe cohærebunt: eo enim anno Ordonium 2 Aſturiæ, Abderramenem 3 Cordubæ, & Sanctium Garſiam Pompelonæ imperium habuiſſe minimè eſt controuerſum: inſuper ea tunc rerum viciſſitudo fuit, vt Ordonius, qui antea de Sarracenis glorioſam victoriam conſecutus fuerat, bis ſub id tempus ab Abderramene prœlio victus fuerit, primò ad *Mudoniam*, rurſus in loco *Mobis* nuncupato, vbi magnam ſuorum ſtragem eum tuliſſe author eſt Sebaſtianus: Tempus autem poſterioris huiuſce cladis, ex aſtronomicâ ſupputatione in annum 921 incidere docuit Ambroſius Morales, notis in vitam ſancti Pelagij, cui ſubſcribit Sandouallius in vitâ Ferdinandi Gundiſſalui Caſtellæ Comitis pag. 314. Spatium quoque 20 annorum, quo tempus Regni Sanctij Garſiæ Pompelonenſis Regis definit Author ille Annal. Aragon. mirificè congruit Sanctio Garſiæ illi qui anno 920 Pompelonæ imperabat. Hunc enim totidem annos regnaſſe teſtatur Belaſco illorum temporum Scriptor apud Çuritam ad annum 926. & Author veteris monumenti Cœnobij Pinnatenſis apud Brizium Martinez lib. 2. cap. 2: quibus authoritatem addit Sanctius ipſe, dum

dum in titulis quibuſdam Monaſterij Albeldenſis apud Moral. lib. 15. cap. 49. æram 962. (quæ annum Chriſti 924 efficit) viceſimo Regni ſui anno imputat: Ea autem quæ de Vaſconibus Aquitanis, qui vulgò *Gaſcones* dicuntur, à Sanctio Garſia 1. ſub ius ditionémque ſuam coactis, ſcribunt Beuterus, Garibayus & alij, huic Sanctio, de quo nunc agimus, Fortunij fratri Eneconiſque nepoti adſcribit Author Chronici, cui titulus *Relacion de la deſcendencia de los Reyes de Nauarra &c.* quem Catharinâ Lebretiâ in Nauarrâ regnante vixiſſe ſupra monuimus; idque proximum vero eſſe poſtremo huius operis libro, vbi de Gaſconibus agetur, vberius oſtendemus. Conſimili fato tempus Regni Garſiæ-Ximenij ad annum 758 promouit idem Author Annalium, vbi, cum mox Abderrahemenem Oſcæ Regem conſortem illorum temporum faciat, ſatis indicat hanc, pro quâ pugnamus, ætatẽ ſe reſpexiſſe: neq; enim ante annũ 758, ſed magno poſt interuallo tẽporis Sarracenorũ Duces, ciuitates & præfecturas à ſe adminiſtratas regio nomine vſurpauêre, vt docet ex vetuſto authore Çurita ad annũ 778: Præterea idẽ author Abdemelici contra Aragonenſes expeditionem, anteriorem facit Garſiæ-Ximenij electioni, quam anno 24 octaui ſæculi poſuerat, teſte Brizio lib. 1. cap. 3. At Abdemelici expeditionem in æram 774 aut circiter, in annum videlicet Chriſti 736, incidiſſe certum eſt ex Iſidoro Pacenſi; ideóque cum ad annum 24 octaui ſæculi accommodari nequeat ea electio, ex mente illius Authoris in annum 24 noni ſæculi proximè ſequentis traducenda eſt. Quæ deinde de Aznario & Galindo Aragoniæ Comitibus, déque ſancti Martini Cercitenſis Cœnobio in loco Acomueri condito in iis Annalibus memorantur, octauo ſæculo nullatenus qua-

drant:in nonum verò commodiſſimè reiici poſſunt, perinde atque ætas Garſiæ Simenij; namque ſi anno 758, ab illo Authore notato, centenarius numerus adiiciatur, nihil oberit quominus annum 858 regno Garſiæ Regis aſſignemus, cum eoúſque illum ætate proceſſiſſe, incorruptis literarum monumentis à nobis ante citatis liqueat.

EODEM remedio vitio æræ corruptę, quo Roncalenſium diploma Sanctio Garſię inſcriptum laborat, ſuccurri poteſt: ſi enim ęrę 860 illi appoſitę centenarius numerus accedat; ita vt ęram 960, annum verò Chriſti 922 exhibeat, erit omnino ętati Sanctij Garſię Pompelonenſis Regis Eneconis nepotis & Fortunij fratris conſentanea; nec quicquam ampliùs occurret in eo diplomate, quod antiquitatis peritos offendat. Quod ſi ab antiquiori aliquo Sancio illud manaſſet (vt volunt Blanca & Brizius) quis dubitat, quin ab Enecone Ariſtâ & à Sanctio Ceſone Abarcâ (quos poſt Sanctij illius ſuperioris mortem à populo Reges electos credunt) ipſius confirmationem petituri fuiſſent Roncalenſes, qualem longo poſt ſpatio temporis à Sanctio-Ramireſij & Garſiâ-Ramireſij, ſuffragiis pariter popularibus in Regnum vocatis petiere? Hunc autem in repręſentandis, è veteribus tabulis ac monumentis, annorum numeris lapſum minus mirabitur, quiſquis in illis euoluendis operam aliquam poſuerit: figurę enim litterę C, centenarij notę, cum ſępiùs multiplicandę erant, ita à veteribus librariis inter ſe complicabantur, vt etiam perſpicaciſſimorum oculos fallerent, vt monuit Sandouallius, cuius verba, in vitâ Ramiri 1. Aſturum Regis, ſunt. *Y es tan facil el errarſe en los numeros cientos, y diezes Goticos, por eſtar tan encadenados, que ſon meneſter buenos ojos, y mu-*

cha atencion y intelligencia para bien leerlos. Y vean lo que digo, en libros antiguos y en muchos no ſabran ſi ſon tres o quatro. Cæterùm, quæ de Ordonio Rege Aſturum ab Abderramene, Cordubæ Rege interfecto, déque ipſo Abderramene Regnante in Nauarrâ Fortunio, à Roncalenſibus cæſo; quæ etiam de titulo parentis Sanctij eidem Fortunio addito, falsò in Roncalenſium monumentis expoſita ſuprà cap. IX. deprehendimus, ea non ad hoc pertinent diploma de quo modò egimus; quoque Roncalenſibus, ob rem contra Mauros in prœlio quodam, præſente Sanctio, benè geſtam, ius ingenuitatis & remiſſio tributorum ac vectigalium ab ipſo Sanctio conceſſa eſt, ærâ, menſe & loco, quibus priuilegium irrogatum fuit, nominatim expreſſis; ſed ad aliud, quo idem Rex, effigiem capitis Abderramenis Regis Mauri pro inſignibus geſtādi, eidem populo poteſtatem feciſſe dicitur: diſtinctum enim & ſeparatum fuiſſe vtriuſque priuilegij diploma cognoſcimus è ſupplici libello Albano Duci, poſt occupatam ab eo armis Ferdinandi Caſtellani & Aragonij Regis Nauarram, III. Nonas Septembris anno 1512 à Roncalenſibus oblato in hæc verba. *Primeramente ſuplican à ſu Señoria mande confirmar el priuilegio de Fidalguiā, elqual les fue otorgado en la ciudad de Pamplona, en el año de ochocientos y ſeſenta en el mes de Henero, por el Rey D. Sancho Garcia Rey de Pamplona y Alaba y de las Montañas: por quanto los dichos Roncaleſes fueron en vna batalla con el dicho Rey de Sancho è yuan en la delantera & hobieron victoria contra los infieles Moros les fue otorgado y dado priuilegio que los Roncaleſes que eran à la ſaçon y los que ſerian dende en adelante fueſſen fidalgos y abidos por tales y libres y francos de toda ſeruitud pecha Real y Ymperial y de toda ſaca*

peaje barcaje cocharro leça ni codo en ninguna feria ni mercado : E el dicho ſeñor Duque Dixo que otorga todo lo contenido en eſte capitulo para que les ſea goardado ſegun y por la forma y manera que aſta agora ſe les an guardado.

OTTROSI *dizen que en el año meſmo por el dicho Rey fue dado à los dichos Roncaleſes otro priuilegio por quanto en el tiempo del Rey D. Fortunio padre del dicho D. Sancho Garcia los dichos Roncaleſes mataron, à vn Rey Moro llamado Abderramen y deſtruyeron ſu gueſte y perſeguieron ſu gente en gran termino, el qual Rey Moro abia muerto al Rey D. Orduño de Aſturias que era Chriſtiano los quales priuilegios anſido confirmados de continuo por todos los Reyes antepaſſados y mas les fue otorgado que traxeſſen por armas la cabeça del dicho Rey Moro figurado y que aſsi lo tubieſſen en ſu pendon con el qual pendon tienen coſtumbre de hir con la perſona Real o ſu Capitan general y no debaxo de ningun Capitan , loqual ſuplica los ſea otorgado y confirmado. El dicho Señor Duque dixo que otorga à los ſuſo dichos todo lo contenido en eſte Capitulo para que ſe faga guarde y cumpla como aſta ſea vſado y guardado.* Poſterius tamen diploma, quod de inſignibus Roncalenſium agit, perperam & inſcitè hic populus, ſimilitudine nominum deceptus, Sanctio Garſiæ 1. huius nominis, eo libello adſcripſit : cum alteri Sanctio Garſiæ, eius nominis 3. cognomento Maiori, tribuendum fuerit, vt tabulis confirmationis vtriuſque diplomatis à Carolo 3. Rege impetratæ, quas ſuperiori capite attuli, conſtare poteſt. Itaque cum tanto illud à morte Fortunij & Abderramenis Regum interuallo, confectum fuerit: non difficile eſt ad fidé, aut Roncalenſes ipſos, aut teſtes ab iis productos, qui Regi Sanctio Maiori narrationem diplomate comprehenſam ſuggeſſere, in nomine ſeu ætate

Principis aut Ducis ab eâ gente interempti, nec non in gradu agnationis, quâ Fortunius Sanctio Regi coniunctus erat, exprimendis falli potuiſſe: Nec tamen ideò illius diplomatis fidem minui aut infirmari æquum eſt; Cum falsâ demonſtratione actum minimè vitiari legibus conſtitutum ſit.

Anthoris ſententia de antiquis Nauarræ Regibus, déque Eneconis primi Regis gente & patriâ, atque etiam de Ariſtæ cognomento ei aſcripto.

CAPVT XII.

TRIBVS poſtremis capitibus, dum diuerſorum Authorum ſententias excutimus, quænam noſtra de illis primis Regibus eſſet ſatis indicauimus: Ea autem parùm differt ab illâ, quam ſcriptor anonymus Cœnobij Legerenſis, in commentario Regum Cœnobij eiuſdem ſepulchris conditorum, tenuit: neque enim vlla alia nobis certior & ad veritatem propenſior viſa eſt quam ſequi poſſemus: ſiquidem primos illos Reges, in quorum ſucceſſionibus digerēdis aliorum Scriptorum langueſcit induſtria, hic ita deſcripſit, vt quatuor eos quos à Roderico omiſſos, à Monacho verò Pinnatenſi, in Annalibus Aragonenſibus, præpoſtero loco & tempore poſitos oſtendimus, quoſque ſe primùm ſuſcitaſſe gloriatur Garibayus; Ximinum, inquam, Eneconis patrem, Fortunium & Sanctium nepotes, Garſiam denique pronepotem eiuſdem Eneconis, ſuo quemque loco & ordine ſcitè collocauerit. Adde quod tota illa Regum ſeries ab ipſo tradita (ſi Eneconem Garciæ demas) veterum monumentorum & Regiorum diplomatum ſuf-

fragio iuuatur atque comprobatur. Nec id tãti eſt quod Garſiã-Ximenij, qui inter Enecone Ximenonis & Garſiam-Eneconis Reges inſerendus erat, prætermiſit: Hoc enim, cũ eos tantum Reges recenſendos receperit, qui in Legerẽſi Cœnobio ſepulti ſunt, conſultò feciſſe credẽdus eſt; non neſcius, Garſiam Ximenij alio loco, in Cœnobio nimirum Pinnatenſi, ab ipſo condito ſeu aucto, ſepulturâ affectum fuiſſe. Quod autem Ramirum Garſię-Sanctionis I. filium poſt patrem regnaſſe, eique fratrem Sanctium, cui Abarcæ cognomentum fuit, in Regno ſucceſſiſſe narrat; illud vtique non de Pompelonenſi Regno, ſed de Vigurienſi, quo Ramirus à patre donatus fuerat, intelligi debet: cuius Regni finibus Legerenſe Cœnobium (in quo hic ſcriptor degebat) comprehenſum fuiſſe, probabilitate non caret. Præterea nomina vxorum omnium ferè illorum Regum (quod à nemine hactenus præſtitum fuit) idem ſigillatim expreſſit, eáque nominum ratio, cum iis quæ nuper è vetuſtis monumentis de iis vxoribus docuere docti viri, planè conuenit; ſi hoc vnum excipias quod Garſiæ-Sanctionis vxori, quam Tereſam vocant monumenta illa, Eximenæ nomen imponit: ſed ecquid ſcimus an Garſias duas habuerit vxores, cuius priori Eximenæ, poſteriori Tereſæ nomen fuerit? Quod autem, contrà omnium aliorum ſententiam, primum Nauarræ Regem facit Eneconem-Garſiæ Ximenij patrem, diuerſum ab alio Enecone, Ximini filio, illique, non huic Ariſtæ cognomentum tribuit; Ipſi quoque Ximino, cui alij Garſiæ, iſte Eneconis cognomen affingit; non hoc de nihilo eſt. Nam cum vtriuſque etiam vxorum nomina Eximinam ſcilicet & Muniam aſcripſerit, id ex veteribus monumentis illius Monaſterij hauſiſſe potiùs exiſtimandus eſt,

quam ipſemet gratis, & nullo tam inanis mendacij operæpretio finxiſſe: quin & Carolus Nauarræ Princeps, qui auorum memoriâ hiſtoriam illius Regni luculentè, vt illa ferebant tempora, compoſuit; in hoc opinioni Scriptoris illius Legerenſis accedit, quod primum Regem itidem Eneconem Garſiæ, addito Ariſtæ cognomento vocat: Ximino verò, Eneconis, non Garſiæ patronymicum adiungit. Huic quoque argumento aliquid ponderis ineſſe videtur; quod cum omnes ferè antiqui ſcriptores (Authore anonymo Annalium Aragonenſium dempto) Nauarræ Regnum ab Enecone Ariſtâ auſpicentur, nullus à Ximino; Alium fuiſſe hunc Eneconem neceſſe eſt ab Enecone Ximini filio, cui primi Regis elogium deberi nemo dixerit, cum ante eum ipſius parentem regnaſſe in confeſſo ſit.

NOVA nunc exoritur quæſtio de patriâ & gente Eneconis primi Regis, quem Gothicâ ſtirpe genitum nonnulli dixere, teſtibus Alfonſo à Cartagena & Marinæo Siculo: Patriâ autem Aragonenſem fuiſſe refert Michaël Molinus in Repertorio: At Martinus Aſpilcueta Nauarrus inſignis Theologus & iuris Canonici conſultiſſimus *Relect. in c. nouit de iudiciis* Nauarrum dicere maūult, vtpotè qui *è Viguriâ* oriundus eſſet, authoribus Garciâ Euguio Bajonenſi Epiſcopo qui ſuperioribus ſæculis breuem Nauarræ Regum hiſtoriam ſcripſit & Carolo Nauarræ Principe. Eſt autem *Viguria* campeſtris vicus Nauarræ in Præfecturâ Stellenſi. Cæteri penè omnes Scriptores Eneconem Aquitanum fuiſſe ſummo conſenſu tradunt, eiuſque originem & ſtirpem à Comitatu *Bigorriæ* repetunt, pro quâ voce mendosè legitur *Bigorciæ* in vulgatis exemplaribus Roderici Toletani; in manuſcripto enim libro Collegij Nauarrici Pariſien-

ſis *Bigoriæ* ſcriptum eſt : *Bigorriæ* cum duplici r legiſſe videtur apud Toletanum Rodericus Sanctius Palent. qui eum ad verbum ferè expreſſit in iis quæ de Enecone refert *parte* 1. *Hiſt. Hiſpanicæ cap.* 12. Bigerronum ad Aſturum amnem Comitatum Bigorriæ nomine intellexere Çurita & Blanca, è quibus hic, Bigeronenſem etiam Comitatum in Eneci ſeu Eneconis cenſu & patrimonio fuiſſe ſenſit, Volaterranum, ni fallor, authorem ſecutus, qui hunc Principem è Comite Bigorræ Nauarræ Regem renunciatum fuiſſe ſcribit. Sed mihi otioſum videtur in *Bigorriæ* ſitu quærendo longius errare & vagari, cum in propinquo ſit quo Roderico & aliis, qui Eneconis gẽtem hinc arceſſunt, ſatisfacere poſſimus. Eſt in Vaſconiæ Aquitanicæ regione montana, quæ Nauarræ citerioris fines attingit (quamque inhabitant *Vaſcones* ij qui vulgò *Vaſci* dicuntur) in eo nimirum tractu, qui eò quod Nauarræ Regibus paruerit *inferioris* ſeu *vlterioris Nauarræ* adhuc nomen ſeruat, pagus *Baigorria* dictus, decem tantum leucis Vaſconicis Pompelonê diſtans : Hunc priſcis temporibus *Biguriæ* etiam nomine nuncupatum fuiſſe, è pluribus veteribus monumentis patet, quæ in Cartulario Eccleſię primariæ Bajonenſis & alibi habentur, pro qua voce aliquando etiam *Beygur*, ſæpius *Baigoer* ſcriptum reperitur. In hoc pago antiqua & illuſtris familia Vicecomitum Baigorritanorum etiamnum viget, quæ *Eneconis*, *Garciæ* atque *Ximini* nomina tanquam familiaria & gentilitia ad auorum noſtrorum memoriam conſtanter retinuit : Ex hoc igitur pago ortum Eneconem Garſiam, potiùs quam è Comitatu Bigerronum crediderim ; quippe qui non proximus tantùm Nauarræ atque illius finibus continens ſit : ſed etiam in aſperis & montoſis Pyrenæorum

renæorum locis poſitus : quales Eneconi cultos fuiſſe nominatim refert Roderic. Toletanus: vtrâque autem harum conditionum Bigerronum Comitatus deficitur: ſi quidem quatridui ad minimum itinere Pompelonê abeſt: domicilium verò Comitum ſuorum non ſecundùm prerupta Pyrençorum montium ſaxa,ſed in amœnâ planitie exhibet, quę lętos & frugiferos campos habet in circumſpectu. Deinde coniecturam noſtram non modicè iuuat nominum ratio, quam,ad antiquas familias dignoſcendas,magni momenti eſſe pluribus probare poſſem, niſi iã hanc meſſem feciſſent Morales, Ducheſnius & Ioh. à Ponte: ea autem ſic à nobis ſtat, vt in totâ ſerie Comitum Bigerronenſium,nullum prorſus nomen occurrat, quod cum Nauarrorum Regum nominibus componi poſſit : cum contra Baigorritanorum Vicecomitum appellationes à nomenclaturis priorum Nauarræ Regum nihil penè diſcrepent; quod cuilibet collatis illorum inter ſe nominibus planum fiet: In Bigerronenſium enim Comitum familiâ *Donati*, *Lupi*, *Raimundi*, *Ludouici*, *Garſiarnaldi*, *Bernardi Rogerij*, *Centulli*, *Petri* & *Eſchiuati* nomina recepta fuere, vt ex ipſorum ſerie patebit quam proximo libro tradituri ſumus: in altera verò non alia ferè reperias, quam *Eneconis*, *Garſiæ* atque *Ximeni* perpetuâ viciſſitudine in ſe reciprocata, vt pluribus monumentis antiquis conſtare poteſt, è quibus duo vel tria tantum abſtruſiora huc conferam: quorum primum habetur inter tabulas Xenodochij Arambelſij in inferiore Nauarrâ: alia duo Cartulario Cœnobij ſancti Iohannis Sorduenſis inſerta ſunt: cætera cum in propatulo ſint indicare ſufficiet.

IN *nomine Domini. Amen: Ego Lope Eneconis Vice-*

conſul de Bygur cum vxore meâ Condeſſâ & cum conſenſu filij mei Garſiæ do hoſpitali ſancti Nicolai de Arambels quod eſt ſitum propè Oſtauayll & pauperibus ibi albergantibus C. ſol. Morlañ per ſingulos annos de reditibus quos capio in terrâ Oſtabareſij: hanc autem charitatem feci vt ſicut miſereor pauperum, ita miſereatur Dominus mei & animæ patris mei E. Garſiæ & cæterorum anteceſſorum meorum, &c. *Factum apud ſanctum Stephanum de Harizetâ in feſto ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani viſores & teſtes, Eneco de Aſcarat & Bonetus de Anſa & omnis populus de ſancto Stephano R. Epiſc. Baioñ.*

IN *nomine Domini* &c. *Ego Vicecomitiſſa de Beguer & filius meus Vicecomes pro remedio animæ meæ & parentum meorum vt Deus nobis viuentibus dare dignetur remiſsionem omnium peccatorum & defuncto Vicecomiti Garſiæ Lupo cæteriſque ſuis & noſtris parentibus vitam æternam Deo & ſancto Iohanni de Sordna atque Abbati VV. Martelli cæteriſque fratribus ibi manentibus tam futuris quàm præſentibus Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Burunza cum oblationibus* &c. *cum puero muto Anceroſſoiz liberè damus. Facta eſt* &c. *in manu Bernardi Auſcienſis Archiepiſcopi 6. Idus Ianuarij anno ab incarnatione Domini* 1119.

SEMERO GARCIZ *Viceconſul de Beygur terram de Bolunce violenter abſtulerat ſancto Ioanni, ſed tandem ad proclamationem fratrum Monaſterij reſtituit* &c. *facta fuit hæc pax ſub teſtimonio Bernardi de Lekarre & fratrum ſuorum ſcilicet Arnaudi, Petri ſimiliter, Bernardi Sanctij de Ciſa* &c. *& ad vltimum in euidentiâ populi de Oſtebat anno* 1168.

EXTANT in ſcriniis ciuicæ domus oppidi *ſancti Ioannis* ad imum Pyrenæum (*Pedemportus vocant*) veteres

tabulæ pactionis cuiuſdam initæ de paſcuis aliquot, in Pyrenæo monte poſitis inter nobilem virum Arnaldum Sanctij Ahatſæ dominum & municipes illius oppidi, nec non Ciſani pagi incolas anno 1280, quibus ſubſcripſere Ioannes Briays Præfectus regius & *Garſias-Ximenij* Vicecomes Baigorritanus. In actis inaugurationis Regiæ Philippi Ebroicenſis & Ioannæ Nauarræ coniugum Pompelonæ anno 1328 factæ quæ in tabulario Palenſi Bearnenſis principatus recondita ſunt, inter proceres Regni qui inaugurationi illi interfuere nuncupatur *Ximen-Garſiæ* Vicecomes Baigorienſis: in quodam monumento Collegij Roncauallenſis anni 1346 *Elbiræ-Ximenis* Vicecomitiſſæ eiuſdem ditionis memoria habetur. In tabulis illis quibus ſolemnia inaugurationis Caroli 3 Nauarræ Regis anno 1390 factæ continentur apud Garibayum lib. 27. cap. 40. alius *Ximen-Garſiæ*, Vicecomes pariter Baigorritanus, inter primariæ nobilitatis viros recenſetur cuius vitam ad annum vſque 1410 perueniſſe aliis monumentis conſtat.

Hoc ampliùs, ad eiuſdem Eneconis-Ariſtæ originem à Baigorritanis Dynaſtis deriuandam adducimur plurimis aliis coniecturis. Primùm quod Eneconem Garſiæ Regem in bellis Vaſcitano ſeu Vaſco milite vſum fuiſſe refert Abalus Piſcina ex Chronico veteri Ilçarbienſi: item quod Eneconem Ximini filium, *Inicum* ſeu *Ignatium Lalaneum Larreanum* Vaſcum nobilem in Vexillarium, hoc eſt, præcipuum Regij muneris in bellis adminiſtrum ſibi adſciuiſſe docuit è quodam antiquo monumento Legerenſi *Sandouall. in Catal. Epiſc. Pompelon. fol.*17. durat enim hactenus *Lalanarum Larrearum* antiquum domicilium in agro *Ciſienſi*, Baigorriæ confini. Deinde *Ariſtæ* cognomen *Eneconi* primo Regi in-

ditum (quod ineptè ab *Ariſtis* deriuat vulgus hiſtoricorum; quaſi verò ſicut Ariſta in mediis flammis, ita Rex ille in prœliis exardeſceret) expeditam habebit originis ſuæ explicationem, aſſignatô Eneconi pro patriâ Baigorritano pago; cum eius primarium vicum, qui hodie *Fani S. Stephani* nomine dignoſcitur, *Harizetam* olim appellatum fuiſſe conſtet ex priſcis tabulis Lupi Enecconis Vicecomitis Baigorritani ſupra à me recitatis: Solent enim plerumque Nauarri in dictionibus Vaſconicis proferendis aſpirationem reiicere & vocales plurimas inter duas conſonantes interiectas in medio elidere veluti pro eo quod Vaſcitani *hareçaçu*, id eſt accipe, ipſi *arçaçu* dicunt pro *othoronça*, id eſt paſtus, prandium vel cœna, *otronça*: non ſecùs pro voce *harizeta*, *Ariſtam* protulerunt: quia autem *harizetæ* vox Vaſconicâ linguâ *quercetum* ſignificat, hinc primis Regibus, quercus inter inſignia Regia geſtandæ, occaſionem fuiſſe crediderim: nec aliam etiam extitiſſe cauſam vel fundamentum coniicio priuilegij illius, quo Alduydenſibus ſaltibus ac paſcuis (quę ad Nauarram citeriorem, quam *altam* vocant, pertinent) pleniſſimè vtendi ſolis inter Vaſcitanos omnes, ad noſtra vſque tempora, Baigorritanis facultas fuit, quàm ſingularem primorum Nauarrę Regum in hanc gentem affectum, & primarię ſuę originis memoriam ac recordationem. Nouiſſimè tamen facultatem illam non modicè Baigorritanis imminutam fuiſſe nouimus: Poſt occupatam enim à Caſtellæ Regibus Nauarram Citeriorem, cum nihilominus ea Regni pars, quæ vltra Pyrenæum ſita, inferioris ſeu vlterioris Nauarræ nomine cenſetur & Baigorritanum pagum ambitu ſuo amplectitur, ſuis Regibus illibata remanſerit, diuiſis ex hoc in diuerſum antiquæ Nauarræ populis, cœpere

Erroitani Vaſtanenſes, aliique finitimi populi Citerioris (quorum finibus & territorio Alduyda annumeratur) *Baigorritanis* tanquam peregrinis moleſti eſſe, ipſóſque in ſuo iure interpellare; cum hi de conſeruandis priuilegij tabulis minus ſolliciti fuiſſent ſolâque vetere poſſeſſione ſe tuerentur. Nihil autem noſtræ ſententiæ officit titulus *Comitatus*, Bigorriæ à Roderico Toletano additus, quaſi *Vicecomitatus* nomine non *Comitatus* hactenus inſignitus fuerit *Baigorriæ* pagus. Promiſcuum enim fuiſſe, apud pleroſque ſcriptores, *Comitis* & *Vicecomitis*, *Comitatuſque* ac *Vicecomitatus* nominum vſum, docuit Catellus in Occitanicis, initio libri 4. Idipſum nos etiam adductis plurimorum Authorum locis confirmare poſſemus, è quibus hæc inſigniora in præſens ſeligenda duximus. *Erroitanus* pagus in Citeriori Nauarrâ, hodie Vicecomitatus titulo à proprio illius dynaſtâ poſſidetur: At tamen *Sanctij Comitis Erroitani* ſeu *de Erro* (vt tunc loquendi vſus erat) meminit Sanctius Ramireſius Pompelonenſis & Aragonenſis Rex binis tabulis quarum priores æra 1125 obſignatæ deſcribuntur à Sandouall. in Catalogo Epiſc. Pompelon. fol. 75 & 76: poſteriores verò, æra 1135 editæ, habentur apud Brizium Martinez lib. 4. cap. 10. Hiſtoriæ Pinnat. Rogerius Houedenius in poſteriori parte Annalium *Comitis Baionæ* mentionem facit qui aliis ferè omnibus ſcriptoribus *Vicecomes* dicitur: Bearnenſem Vicecomitiſſam *Garſendim Comitiſſam* vocant Math. Paris & Math. Veſtmonaſter. in vitâ Henrici 3. Anglorum Regis, necnon Carolus Nauarræ Princeps in vitâ Theobaldi 1. Nauarræ Regis; Non ſecùs in vetuſtâ membranâ Eccleſiæ primariæ Condomienſis *Otho* Vicecomes *Leomaniæ Comitellus* nuncupatur, quaſi parum Comitem diceres: celebrantur etiam

in Necrologio Cœnobij Artoſienſis in Aquenſi diœceſi *Felicia Comitiſſa Solæ*, & apud Froſſartem *Aymericus Comes Narbonenſis*, quorum vterque Vicecomes ex hodierno more loquendi dici debuiſſet: Si verò antiquiora tempora memoriâ repetamus, id obſeruabimus, ante Caroli Simplicis ætatem, raram aut penè nullam, in Aquitaniâ & Galliâ Celticâ, Vicecomitum mentionem fuiſſe & ciuitatum aut pagorum Præfectos qui ab eo tempore Vicecomitum nomen tulere, antea Comitum titulum vſurpaſſe: & vt exemplis id planum faciam, nihil eſt magis notum aut peruulgatum, quam eos qui poſterioribus ſæculis *Pariſienſi*, ac *Lemouicinæ* ciuitatibus & *Aquenſi* oppido in Nouempopulaniâ præfuere, Vicecomitum nomen tuliſſe, & tamen Gregorius Turonenſis lib. 6. cap. 22. & lib. 8. cap. 30. *Nunichium* & *Terentiolum* Lemouici Præfectos, illius vrbis *Comites* vocat, idémque lib. 7. cap. 31. *Nicetij Aquenſis* vrbis *Comitis* meminit. Aymonius lib. 5. cap. 34. Roberto Marchioni Francorum, *Pariſiorum Comitis* titulum tribuit, Nangius denique in ſuo Francorum Chronico Hugonem Capucij & Hugonem magnum *Comites Pariſienſes* prædicat.

VNA adhuc reſtat noſtræ opinioni corroborandæ ratio quæ omnes coniecturas vincit: illa nimirum, quod Bigerronum Comitibus ſiue etiam illius prouinciæ proceribus iamdiu pacatis & in obſequio Francorum Regum diuturnâ conſuetudine confirmatis, nulla cauſa fuit Nauarræ, cum ipſorum damno atque iniuriâ, inuadendę; (nam hęc quoque regio iiſdem Principibus parebat) At Vaſcitanis Proceribus huiuſmodi cauſa non defuit. Hi enim cum Ludouico Francię & Pipino Aquitanię Regibus, non priuatam ſolum ſimultatem, ſed pu-

blicum pro libertate bellum gerebant. Illius autem belli Duces è genere Eneconis fuiſſe indicio ſunt Ximini & Garſiæ nomina, quibus à vetuſtis authoribus deſignantur: quotquot autem ex illâ ſtirpe ſeu familiâ ſuperfuere bello (quod Vaſcitanis vtpote viribus & numero militum longè imparibus infœliciter ceſſit) ſolum vertere & ad Vaſcones Iberos, æquè Francis infenſos, in Hiſpaniam ſe recipere coacti ſunt; vbi eos exinde vindictæ occaſioni intentos, Nauarrorum animis à Francis abalienandis, ſibique ſpecie libertatis inſtaurandę conciliandis ſtuduiſſe ſimillimum veri eſt. Sed non ab re fuerit, quæ de eo bello ab antiquis authoribus, illius ſæculi æqualibus, literis mandata ſunt, ſubſcribere; hoc interim præmonitô, in pleriſque eorum nomen *Ximini* vel *Simini* corruptum eſſe, inque eius locum irrepſiſſe vocem *Siguuini* & *Sigivvini*: Inſuper illud ipſum nomen in vetuſtis libris ac tabulis variè ſcriptum reperiri. Nam modo *Ximinum*, modo *Ximenum*, aliàs *Eximinum*, interdum *Simirum* vel *Simerum* vel *Semerum* ſæpiſſimè *Sciminonem* vel *Scimenonem* præferunt: hæc autem tanta ſcripturę varietas, partim è cognatione vocalium e & i: ſemiuocalis S cum duplici X, & liquidarum N. & R, quæ in Vaſcitanâ linguâ perſæpè inuicem commutantur nata eſt: partim è vario nominum propriorum eiuſdem linguæ inflectendi genere à Latinis Scriptoribus vſurpato; dum in eodem nomine quidam primam aut ſecundam declinationem, alij tertiam ſequuntur: Sic ab eo, quod Vaſcitanis ſuâ linguâ *Xemen* vel *Xemeno* dicitur, deduxere *Ximinum* & *Ximinonem* ab *Eneco Enecum* & *Eneconem* à *Garſeâ Garſeam* & *Garſeanem* à *Galindo Galindum* & *Galindonem*: ſed vt illuc vnde abij redeam; Auctor vitæ & actuum Ludouici Pij ad annum 816 his verbis belli illius memi-

nit: *Sed & Vaſconum citimi, qui Pyrenæi iugi propinqua loca incolunt, eodem tempore iuxta genuinam conſuetudinem leuitatis à nobis omnino deſciuerunt. Cauſa autem rebellionis fuit eo quod Siguuinum eorum Comitem propter morum prauorum caſtigationem, quibus penè erat importabilis, ab eorum remouit prælatione Imperator. Qui tamen adeò ſunt duabus expeditionibus edomiti, vt ſerò pœnituerit eos incœpti ſui, deditionémque magno expeterent voto.* Auctor Annalium Caroli Magni & eiuſdem Ludouici ab Herm. Comite Nuenario editus ad eundem annum. *VVaſcones qui trans Garonnam & circa Pyrenæum habitant propter ſublatum Ducem nomine Siguuinum, quem Imperator ob nimiam eius inſolentiam ac morum prauitatem inde ſuſtulerat, ſolita leuitate commoti, coniuratione factâ omnimodâ defectione deſciuerunt. Sed duabus expeditionibus ita ſunt edomiti, vt tarda eis deditio & pacis impetratio videretur.* Eadem ad verbum habet Aimonius lib. 4. cap. 104. niſi quod pro Siguuino *Sigivvinum* legit. Abrogato autem Ximino ſeu Schimino à Ludouico Comitatu; Vaſcones eâ re commoti Garſiam-Ximini, ipſius, vt veriſimile eſt, filium ſibi in Regem aut Principem aſciuerunt: Huius rei teſtem habeo Authorem veteris Chronici manuſcripti Cœnobij Moiſſiacenſis, cuius mihi copiam fecit Andr. Ducheſnius. *Anno*, inquit, 815 *VVaſcones rebellant contra Imperatorem. Anno* 816 *VVaſcones rebelles Garſimirum ſuper ſe in Principem eligunt: ſed in ſecundo anno vitam cum Principatu amiſit, quia fraude vſurpatum tenebat*, idem Author ad annum 818. *Similiter & eius exercitus* (de Ludouico Pio loquitur) *quem miſerat ſuper VVaſcones rebelles cum triumpho victoriæ reuerſi ſunt, occiſis tyrannibus & terra quieuit.* Ad hanc autem Garſiæ Simiri vel Ximini electionem fieri potuit, vt *Vaſcones* non

Aquitani

Aquitani ſolum illi, Pyrenæorum montium accolæ, quos in hoc opere vt ab aliis Vaſconibus Aquitanis, qui *Gaſcones* vulgò dicuntur, diſtinguantur *Vaſcos* ſeu *Vaſcitanos* ex hodierno loquendi vſu nuncupabimus, ſed Iberi etiam qui in Aragoniæ veteris ditione & Sangoſſienſi Præfecturâ ſedes habebant, in ſocietatem belli acciti concurrerent; indéque originem habuerint ea quæ de *Garſia-Ximini*, in monte *Vruelis* ſeu *Panonis*, in Regnum euecto, tam Nauarri, quàm Aragonenſes hiſtorici ſcripta reliquere; licet non deſint qui electionem Garſiæ Ximeni ad oppidum *ſancti Ioannis* in *imo Pyrenæo* factam fuiſſe affirment (in quorum numero eſt Ludouicus Marmol. lib. 2. cap. 14. hiſtoriæ Africanæ) à quo oppido non longè diſtare ſummi Pyrenæi locũ, qui etiamnũ Panonis vel *Peñonis* nomen ſeruat cum veteris arcis veſtigiis, eos fortaſſe ſcire interſit, qui Nauarrici Regni origines curioſiùs perſcrutantur. Mortuo Garſiâ-Ximino non ideo quieuere Vaſcones, ſed redintegratis viribus nouos motus fecere; ad quos ſedandos alteram contra eos expeditionem ſuſcepit Pipinus, de quâ ſic iidem Authores ad annũ 819. Author vitæ & actuum Ludouici Pij. *Interea Vaſcones natiuâ ſeditionis peſte diſcordantes, à Pipino Imperatoris filio, ipſo anno ita ſunt edomiti, vt nullus eorum rebellare auderet. Pater enim eum ad hoc deſtinauerat.* Author Annalium Caroli Magni & Ludouici Pij. *At in partibus Occiduis Pipinus Imperatoris filius iuſſu patris VVaſconiam cum exercitu ingreſſus, ſublatis ex eâ ſeditioſis, totam eam prouinciam ita pacauit, vt nullus in eâ rebellis aut inobediens remanſiſſe videretur.* Vetus Chronicon manuſcriptũ Collegij ſancti Andreæ Burdegalenſis. *Ad Pyrenæos montes Imperator Sihiminum Comitem quod ſibi gratus non eſſet, à Comitatu remouit,*

eius familiam rebellantem domuit, & in Hiſpaniam ire coëgit vbi poſtea multas turbationes contra gentes Imperatoris fecit. Poſtrema iſtius Chronici verba confirmant ea quæ ſupradicti Hiſtorici ad annos 823 & 824 obſeruarunt. Author vitæ & actuum Ludouici ad annum 823. *Eodem anno Eblus atque Aſenarius Comites, trans Pyrenæi montis altitudinem iuſſi ſunt ire. Qui, cum magnis copiis vſque ad Pompilonam iſſent & inde negotio peracto redirent, ſolitam loci perfidiam, habitatorumque geminam fraudem experti ſunt. Circumuenti enim ab incolis illius loci, omnibus amiſſis copiis, in inimicorum manus deuenere. Qui Eblum quidem Cordubam Regi Sarracenorum miſerunt: Aſenario verò tanquam qui eos affinitate ſanguinis tangeret, pepercere.* Author Annalium Caroli & Ludouici ad annum 824. *Eblus & Aſinarius Comites cum copiis VVaſconum ad Pompelonem miſſi cum peracto iam ſibi iniuncto negotio reuerterentur, in ipſo Pyrenæo perfidiâ montanorum in inſidias deducti ac circumuenti, capti ſunt: & copiæ quas ſecum habuere, penè vſque ad internecionem deletæ: & Eblus quidem Cordubam miſſus, Aſinarius verò miſericordiâ eorum qui eum ceperant, quaſi conſanguineus eorum eſſet, domum redire permiſſus eſt.*

TRIA hoc loco occurrunt animaduerſione digna. Primum, turbatum fuiſſe eo anno in Nauarrâ ſeu Pompelonenſi prouinciâ, quando eò noua militum ſubſidia mittere Ludouico opus fuit: Alterum malè per id tempus erga Francos affectos fuiſſe Vaſcones; contrà verò Sarracenis aut amicitiâ aut fœdere coniunctos, ſiquidem *Eblum* alterum è Ducibus copiarum Ludouici, à ſe in Pyrenæi anguſtiis comprehenſum, ad demerendam Sarraceni Regis gratiam, Cordubam miſerunt: Vltimum, montanorum illorum Duces, qui Ludouici co-

piis cladem intulerunt, Aquitanos fuiſſe; ex quo *Aſinarius* alter Dux copiarum Ludouici eos conſanguinitate ſeu affinitate contingebat. Vnde mihi planè perſuadeo, circa ea tempora, prima Nauarrici Regni fundamenta ab *Enecone Ariſtâ* iacta fuiſſe, ſiue is *Garſiæ* & *Ximini* cognatus fuit (quod *Garſiæ* nomen patronymicum illi à Scriptoribus Nauarris inditum ſignificare videtur) ſiue ſolùm affinis, quantum ex nomine *Ximenæ* ipſius vxoris colligere datur. Illo autem in id incumbente, commodùm & è re eius accidit paulò poſt *Aizonis* à Ludouico Rege defectio, cuius occaſione Cataloniâ omni magno tumultu concuſsâ, Francorum inde in Hiſpaniâ imperium labefactari cœpit. Prorumpente deinde in ciuilia bella vniuersâ Galliâ & coniuratis primò in paternum exitium, mox etiam in mutuam perniciem conuerſis Ludouici filiis, cum aliâ ex parte Nauarri fortè ab Abderramene Sarraceno Rege, qui Chriſtianis grauis & infeſtus eſſe in Hiſpaniâ cœperat, laceſſerentur; neque iis Franci domeſticis malis impediti præſidio eſſe poſſent: prona & plana via fuit Eneconi non inſtituti modo noui Regni firmandi & ſtabiliendi, ſed ipsâ etiam Pompelonê potiendi: Finito tamen ciuili bello ſtatuiſſe Carolum Regem cognomento Caluum prouinciam armis repetere, ſed nihilominus miſsâ ad eũ à Principibus Nauarris legatione placatum fuiſſe colligo ex his verbis Chronici Fontanellenſis ſiue ſancti VVandregiſilli, quod ſuperiori anno à Ducheſnio publici iuris factum eſt. *Anno* DCCCL CAROLVS *Placitum in Vermeriâ Palatio tenuit in menſe Iulio. Ibi ad eum legati venerunt* INDVONIS & MITIONIS *Ducum Nauerrorum, dona afferentes. Paceque........ & impetrata, reuerſi ſunt.* Voces autem *Induonis* & *Mitionis*, hîc ſcripturæ vitio

laborare mihi pro vero conſtat, nũquam enim huiuſmodi nomina in Hiſpaniâ, ne dicam in Nauarrâ ex audita fuere: Itaque pro lis reponendum cenſerem *Iniconis* & *Ximinonis*, ita vt (quoniam iam *Inicus* vel *Eneco* ipſe fato ceſſerat) de *Garſiâ Eneconis* ipſius filio, ac de *Garſia Ximinonis* fratre intelligantur. Etenim Authorem illum, Hiſpani moris ignarum, vtriuſque iſtorum Principum patronymicum nomen pro cognomine ſumpſiſſe propè fidem eſt, eóque ambos omiſſo nomine proprio ſolô patronymico, pro cognomine accepto, deſignare voluiſſe; quomodo Marcum Tullium Ciceronem ſolâ voce Tullij aut Ciceronis, Publium quoque Virgilium Maronem vnicâ Maronis aut Virgilij appellatione indicare ſolemus. Hanc autem propriorum nominum Vaſconicorum, in ſcriptore Celtâ vel Franco, corruptionem minus mirabitur, quiſquis apud vetuſtum Scriptorem Aquitanum, è Floriacenſis Monaſterij membranis à P. Pithœo in lucem prolatum, pro *Ramiro* Rege Aragonum *Milonem*: apud Robertum de Monte pro alio *Ramiro*, *Remelium*, pro *Adefonſo*, *Anfortium* vel *Amfruſium*, pro *Sanctio Seuche*, & apud Gaufredum Voſienſem priorem pro eodem Sanctio *Sanctolum*, pro Ferdinando *Fredolamnum* legerit.

His ita conſtitutis non multum puto à ſcopo aberrabimus ſi exordium Regni Nauarrici intra triennium, quod annum 824 proximè conſecutum eſt, ſtatuamus: Quo autem poſtea tempore *Pompelon* ciuitas ei adiecta fuerit incertus veri ſum; idque tantùm pro comperto habeo, anno 850 Pompelonenſes ſub imperio Principis Chriſtiani fuiſſe: Id enim ab Eulogio, in epiſtolâ ad VVilleſindum illius ciuitatis Epiſcopum ſcriptâ, teſtatum inuenio. Hic autem Princeps quis alius eſſe po-

tuit quam Garſias Ximenonis qui fratri Eneconi proximè in Regno ſucceſſit? Garſiam certè non ita multò poſt, anno ſcilicet 856 Pompelonenſis Regis titulum ſibi aſciuiſſe vetuſtis tabulis apparet à me antè indicatis.

HIC tamen noui aliquid negotij nobis faceſſit Blanca, cum duas Eneconis Ariſtæ electiones comminiſcitur: quarum primam Nauarris, alteram Suprarbienſibus imputat: Huic autem opinioni duo ſubſtruit fundamenta, quorum alterum ex hiſtoria Caroli Nauarræ Principis componit. *Carolus*, inquit, *Princeps ac ferè omnes ſcriptores perhibent noſtros cum ſine Rege eſſent ab Adriano Pontifice Maximo ſtatuendæ reipublicæ modum quæſiuiſſe: id autem cum Adriani primi temporibus conuenire nequeat, ad Adrianum ſecundum trahendum eſt, qui cum quinque tantùm annis in Pontificatu vixerit, nempe ab anno 867 ad annum 872, neceſſe eſt vt Ariſtæ electio in aliquem horum annorum incidat: atqui id ad electionem* Enecci *à Nauarris ſeu Pompelonenſibus factam minus quadrat, quandoquidem diù ante, inter hos, regnaſſe Eneconem, anno nimirum 842, variis à Garibayo adductis monumentis, quibus omnino fides adhibenda eſt, apertè conuincitur. Hieronymus quoque Çurita in Indicibus Ariſtæ Regis initium anno 845 vel circa ſuppoſuit; conſequens igitur eſt vt hæc altera electio Adriano 2 Pontifice facta, ſolis Suprarbienſibus competat.* Certè hic proprio iugulatur gladio Blanca, quippe Carolus Princeps (cuius præcipuè teſtimonio coniecturam ſuam fulcire conatur) hanc Ariſtæ electionem, quæ *Adriano* 2 Pontifice acta eſt, non à Suprarbienſibus, ſed à Nauarris vnà cum Aragonenſibus factam fuiſſe apertè declarat, vt ex ipſius verbis videre licet, quæ Antonius Beuterus capiti 6 libri 2 ſui Chronici inſeruit. *At certum eſt*, inquit Blanca, *ante tempora Adria-*

ni 2 Ariſtam Nauarris imperaſſe. Fateor hoc; ſed non inde ſequi, ipſum de integro à Suprarbienſibus Pontifice Adriano fuiſſe electum, quemadmodum ſomniauit Blanca: Nam id tantum ſequitur Caroli Principis narrationem quatenus de *Adriano* 2 agit, veram non eſſe, eumque in hac parte authoritate Annalium Aragonenſium quos ſe ſequutum profitetur, deceptum fuiſſe. Annalium autem illorum conditorem in errorem induxit præfatio fori Suprarbienſis, quæ, Nauarros, Aragonenſes ac Suprarbienſes, de eligendo Rege, cum Aldebrando Romano Pontifice cumque Longobardis ac Francis, conſilium iniiſſe exponit; déque eorum ſententiâ in Pelagium Regem conſenſiſſe: Nec enim diffitetur Blanca hiſtoricos omnes qui *Adrianum* 2 ab Aragonenſibus ſeu Suprarbienſibus, ante electum Regem, conſultum fuiſſe affirmant, eumdem ipſum quem præfatio fori Suprarbienſis *Apoſtolicum Aldebrandum* vocat, nominare voluiſſe, déque eodem Pontifice ipſos intelligendos eſſe. Quid autem ſibi voluerit Author illius præfationis, iniectâ hic de Aldebrando mentione haud aſſequor; niſi forſan, ea quæ de Gregorio 7 (cui ante adeptum ſummum Pontificatum Ildebrando nomen fuit) à Nauarris de Regni ſtatu, poſt mortem Sanctij Garſiæ Regis Pennaleni anno 1076 interempti, deliberantibus conſulto inaudierat, ad primi Regis electionem referenda eſſe credidit. Porrò cum Hieron. Çurita in Indic. ad annum 862 Garſiam Eneconis filium, eo anno mortuo parente Regnum obtinuiſſe, ex fide vetuſti Authoris teſtatum reliquerit; Anno quoque 867 eumdem Garſiam, extincto Enecone patre, Pompelonæ regnaſſe antiquis Eccleſiæ Sireſienſis tabulis ab ipſomet Çurita lib. 1. cap. 7. Annal. commemoratis liqueat; idque etiam à

Garibayo lib. 22. cap. 2. confirmetur, ſatiſne ſanus Blanca Eneconi, Garſiæ parenti, ad annum 868 tanquam rediuiuo Suprarbienſe regnum decernit? Grauiter profectò in ſcopulos impegit hic author, nec ſatis offendicula vidit, dum ad ſuas nouas opiniones inſerendas, tritas, vt ipſe iactat, vias relinquere & nouas tentare non dubitat. Alterum Blancæ fundamentum ex diſſimilitudine iuris Aragonenſis ac Nauarrici quæſitum, quod ipſę grauiſſimum & firmiſſimum eſſe iudicat, quaſi hoc ipſo à diuerſis Regibus illa orta eſſe colligatur, futiliſſimum eſſe fatebitur, quiſquis ea quæ ſupra de ſingularibus Nauarræ vrbium, municipiorum ac pagorum iuribus tradidimus acuratè perpenderit.

IAM de modo electionis & de legibus Regio muneri impoſitis à Vaſconibus & Nauarris de conſtituendo Regno conſilia agitantibus, quas mox Enecus Rex nouus ratas habuiſſe dicitur; ea quæ à Carolo Principe aliiſque Scriptoribus literarum monumentis ſunt tradita, ne pro vanis habeam, facit hoc primum; quod quæcumque de iure ac moribus populi à Rege tutis præſtandis, deque iis quæ ſecùs fierent ſedulò, arbitrio bonorum virorum, emendandis ibi celebrantur, ſolemnis ſacramenti, à Regibus inaugurandis veteri inſtituto præſtari ſoliti, conceptis verbis comprehenſa obſeruaui: Alia verò, quæ de proceribus in conſilium adhibendis, in iure dicendo, vel quoties de republicâ deliberandum eſſet, referuntur, propriis legibus hac de re factis & in Codicem legum Nauarricarum, qui *fori generalis* titulo inſcribitur, relatis authoritatéq; Regum ſancitis, conſtituta reperiuntur: Illa denique quæ de communicandis à Rege cum iiſdem Proceribus vniuſcuiuſque Regni ditionis cenſibus & vectigalibus iactari ſolent, omni memoriâ in vſu

fuiſſe ex antiquis Regiorum Quæſtorum commentariis eruitur; confirmatúrque maximè vetuſtâ illâ formulâ homagij ſeu iuriſiurandi quâ Proceres (quos vulgo *Ricos*, hoc eſt diuites vocant) Regum ſe clientes & vaſſallos profitendo, eiſque fidem ſuam obſtringendo, cauebant vt ſi in poſterum vectigalia huiuſmodi iis conceſſa (quæ vſitato nomine *beneficia* dicebantur) reuocare Regi, abſque illorum fraude, decretum eſſet, aut ipſis ea ſuâ ſponte remittere placeret, exinde ſibi à Regis fide diſcedere, & eam alteri Principi addicere impunè liceret: Huiuſmodi iuriſiurandi formulæ complures in Tabulario Pompelonenſi extant, quarum vnam hîc in exemplum adducere ſufficiet.

IN *Dei nomine Io Don Brax Gaſsia Seiñor de Luxa Hago à ſaber à todos quantos eſta carta veran ni-odran que yo ey iurado ſobre la Cruz & los ſantos Euangelios à vos Don. Th. por la gracia de Dios Rey de Nauarra, de Campaigna & de Bria, Cuende Palazin que yo vos obediztre como à Rey & Seignor natural & voſtro mandamiento fare & veſtra carrera tendre en todas coſas, ſaluo el dreito de mio Seignor natural el Viſconde de tartas & bon conſcyl & leyal vos dare ami ſcient quando vos lo me demandaredes & voſtro conſeillo celare & voſtro cuerpo & voſtra gent & voſtros homes qualquiere que en voſtro ſeruicio ſea & todas voſtras coſas por todos logares à mio poder à veſtra proh & à voſtra voluntat agardarey & guerra & paz. vos farey del Caſtieillo de Luxa & todas las vegadas que vos querades yrado & pagado el Caſtieillo de Luxa à vos & à voſtro mandamiento rendre & recebre y veſtras gentes con migo à lur meſsion pero en tal maneyra que ſi pora ventura vos o veſtro mandamiento [teniendo] el dicho Caſtieillo & yo ni mias gentes non ſeyendo y, mal ny dayno mi fizieſſe alguno*

en

en mi tierra ni en mi heredamiēto por razon de voſtra guerra vos que ſeades tenido de me lo emendar & quando yo vos rendiero el dito Caſtieyllo de Luxa à vos o a voſtro mandamiento & yſsiro del con mi compayña, que vos me dedes algun logar en que yo aya mi eſtage con mi compayña raſonablement ata que ayades finada voſtra guerra & quando ouiertes finada voſtra guerra, vos o voſtro mandamiento que me rendades el dicto Caſtieyllo mio en leſtado que vos o voſtro mandamiento lo recebiertes de mi, ſi à vos non plaze que yo ni mi compayña y ſeamos: & todas eſtas coſas qui deſus ſon dictas tendre & complirey ben & leyalment tanto com à vos plazdra que yo tienga bienfeito de vos, & otroſsi quanto à mi ploguiere que yo tienga voſtro bienfeito & ſi vos quiſieſſedes toller voſtro bienfeyto, que del dia que me toilliertes voſtro bienfeyto, que yo non vos ſea tenido en ren de las ditas conuenienças, o ſi yo vos quiſieſſe dexar voſtro bienfeyto que del dia que yo lo vos deyſſare que non vos ſea tenido en ren de las ditas conuenienças, & que non vos pueda deyſſar voſtro bienfeyto, ſinon como fuero es d' Eſpaigna & todo eſto vos prometo à buena fee ſenes mal engayno & vos fago por el homadge de manos & de boca & ſi pora ventura yo no vos tenieſſe todo eſto que deſuſo es dito & aſſi como es dito vos que me lo podades demandar ſobre pena de periurio & yo en teſtimoniança & en confirmamiento de todas eſtas coſas vos do eſta mi carta abierta ſayellada de mio ſayello laqual fue feyta en ſan Ioan del Pie del Puerto en la cambra de çaga de la caſa de la piedra ſabado primero empues la fieſta de ſant Miguel Archangel en el mes de Octubre en el ayno de mill. & dozientos & cinquenta & octo teſtimonios que eſto vieron & odiron don Climent de Launay Seneſcale de Nauarra & don Roldan Peris Daranſus Alcalde de Pomplona & don Diego Lopes de Moreyntiayn Caual-

lero, & don Garcia Martinis Duriz Cauallero, & don Lope Miñes ſu hermano Cauallero, & don Bernart de Luxa, & don Pes de Mearin Cauallero, & VV. Bernart Garati Eſcudero, & don Oſſoa Doneys Baylle del Rey en Ciſa, & Garcea Abat de Abaurre peadgero de quel miſmo Rey en ſan Ioan.

MIRVM primâ fronte & inſolens videri poſſet, Regiam poteſtatem his pactionibus vſque adeò in anguſtum adduci; contrà verò Proceribus Vaſconum (quos patriâ linguâ *Ricos*, hoc eſt diuites, vocatos fuiſſe diximus) tantùm facultatis tribui, vt etiam authoritatis Regum, ad nutum & arbitrium ſuum, abiiciendę libertas eſſet: vt non immeritò Alfonſus huius nominis 3 Aragonum Rex dixiſſe videatur, apud Çuritam lib. 4. Annal. cap. 93. *Tot olim fuiſſe in eo Regno Reges quot Ricos homines.* Et ſanè res eſſet admiratione digna, niſi in eâ gente conſiſteret, cui ſemper tantus libertatis amor & ſtudium fuit, vt extrema quæque pro eâ perpeti non dubitauerit: tantum verò roboris atque animi, vt tribus potentiſſimis nationibus ſibi de propinquo imminentibus Gothis, ſcilicet, Sarracenis & Francis repudiato ſemper, excuſſo etiam nonnunquam, illorum iugo, eam incolumem atque integram, ad vltima vſque tempora, perduxerit: Regiâ verò dignitate vnum è ſuis ideo decorari voluerit, vt eiuſdem libertatis propugnandæ Dux ac fautor, non autem ſubruendæ aut tentandæ author eſſet. Nunc tandem diſcuſſâ vtcumque eâ caligine, quæ originem Regni & primorum Regum memoriam non parùm obſcurabat, ad illorum Principum ſtemmata explicanda accedamus.

Primum ſtemma, progeniem Eneconis-Garſiæ ad Sanctium vſque cognomento Maiorem continens, additis in ea, quæ maximè ambigua ſunt, obſeruationibus.

CAPVT XIII.

ENECO-GARSIÆ cognomento Ariſta: *Vxor* XIMINA.

XIMINVS-ENECONIS: *Vxor* Munia.

ENECO-XIMENONIS *Vxor* Oneca.	GARCIAS-XIMENONIS *Vxor* Toda, obiit ſine liberis.

GARSIAS-ENECONIS: *Vxor* Vrraca è ſtirpe Aznarij Aragoniæ Comitis.

FORTVNIVS *Vxor* Aurea. — Enecus. Lupus. Aznarius.	SANCTIVS: *Vxor* 1. N. Galindi Comitis Aragonum filia *Vxor altera* Tuta Aznarij.	XIMENA *Vxor* Alfonſi 3. Regis Aſturum.	ENECA *Vxor* 1° Aznarij Fortunionis deinde Abdallæ Cordubæ Regis.

Garſias Sanctij Curu' Comes Gaſconiæ, de cuius progenie alio loco dicetur.	Nunilo Xemena: *Vxor* Froilæ 2. Regis Legion.	Oneca.	Garſias *Vxor* Ximena aliàs Tereſa.	Tereſa Florētina *Vxor* Ramiri 2. Regis Legion.	Sanctia *Vxor* Ferdinandi G. Caſtellæ Comitis.	Maria *Vxor* Seniofredi Comitis Barcinonēſis.	Velaſquita *Vxor* Munionis Comitis Biſcaiæ.

Ramirus Rex Vicariæ. — Sanctius. Garſias.	Sanctia nupta Ordonio 2. R. Leg.	Sanctius Abarca *Vxor* Vracae Ferdinandi.	Vrraca: *Vxor* VVillelmi Sanctij Gaſconiæ Comitis.	Ermenegilda. Ximena alterutra iſtarum nupſit Iſarno filio [Tota Raimūdi Comitis Ripacurciæ.

Ramirus qui obiit ante patrem.	Garſias Tremulus *Vxor* Ximena.	Gonſaluus Rex Aragonum.

Sanctius Maior.	N. filia.

TEMPORIBVS ENECONIS Regis cognomento Ariſtæ deſignandis, in contrariam partem peccatum eſt à Scriptoribus Rerum Nauarricarum, atque antea, in repræſentandâ ætate Garſiæ-Ximeni, Fortunij Garſiæ & Sanctij-Eneconis, erratum fuiſſe docuimus; Dum ea pluribus annis, imò & integro ſæculo longiùs producunt, quàm par ſit: Carolus enim Nauarræ Princeps & Antonius Beuterus ad annum 870, Marinæus & Tarapha ad annum 912, Ludouicus Marmol ad annum 926, Rodericus Sanctius Pal. Raph. Volaterranus & Mich. Ritius ad annum 961, Eneconis Regni initia promouent: Hieronymus Çurita lib. 1. Annalium cap. 5. conſtare quibuſdam monumentis teſtatur Enecum anno 919 Regem renunciatum fuiſſe: quod ſi verum eſt, eò ſpectat, vt à Vaſconibus, mortuo Garſiâ-Simiri, nouum bellum contra Ludouicum Pium & Pipinum meditantibus, Eneconi ſtrenuo & impigro ad labores militiæ viro Regnum delatum fuiſſe intelligamus: à Nauarris enim ipſum poſteriùs electum fuiſſe, ex iam dictis conſtare poteſt. Fuiſſe autem Eneconem iam tum ætate longiùs prouectum inde elicitur, quod ante annum 839 ipſius nepos Eneco à Regno capeſſendo idoneus habitus fuit, cum inter vtrumque regnaſſe Ximinum, huius patrem, illius verò filium, pro certo ponatur. Eneconem, Garſiæ-Eneconis patrem anno 839 obiiſſe prodidit Auctor Annal. Veter. Aragon. vt refert Çurita lib. 1. Annal. cap. v: At contrà illum eo ipſo anno Regnũ inchoaſſe, authores ſunt Io. Vaſæus & Scriptor breuis Chronici manuſcripti quod inter tabulas Forulorum Fani ſancti Ioannis ad imum Pyrenæum voluitur. Ego etſi de initio Regni huius Regis nihil certi afferre poſſum, vixiſſe tamen ipſum & regnaſſe ab anno 839 ad annũ 842 com-

pertum habeo, cum vtriuſque anni diplomata ab eo Rege obſignata extent in Legerenſi Cœnobio, teſtibus Sandouallio in Catalog. Epiſc. Pompel. fol. 17. & Garib. lib. 22. cap. 1. Nec puto eum multò longiùs vitam produxiſſe, quandoquidem nullam ab eo anno ipſius memoriam habemus, & tempore obitus paterni Garſiam eiuſdem Regis filium decem & ſeptem tantummodo annos natum fuiſſe, quibuſdam monumentis à Garibayo citatis traditur. Idipſum etiam alia ſubiicit ratio non fallax: Nam ſi id temporis ſatis robuſta, ad Regnum capeſſendum, ætate fuiſſet Garſias, quis dubitat ipſum, in Regno, Garſiæ-Ximeni patruo, qui eum præceſſit, anteferendum fuiſſe?

GARSIÆ-XIMINI *Totam* vxorem dedimus ducibus vetuſtis tabulis apud Brizium Martinez lib. 1. cap. 26. Totæ autem ſtirpis memoria incognita, inter cætera vetuſtate obruta, iacet. Dum tamen ea quæ de Nauarræ Rege tempore *Muzæ Abenkazi*, qui ab Abderramenis imperio deſciuerat, in acie interfecto, apud Auctorem Anonymũ Annal. Aragon. (citãte Brizio lib. 1. cap. 25.) Beuterum & alios habentur, attentè conſidero, ſubit cogitatio animum Totam *Muzæ* fortaſſis filiam fuiſſe, fieríque potuiſſe, vt Muzæ occaſione Garſias-Ximini Rex mortem oppetierit: vtriuſque argumentum duco ex verbis Sebaſtiani Salm. in vita Ordonij Regis, quibus Muzam ab hoc Rege circa montem *Laturce* dictum (quem non longè abeſſe à Lucronio oppido docet Morales lib. 13. cap. 55.) prœlio victum fugatumque fuiſſe commemorat & tantam in eius exercitu ſtragem factam, vt plus decem millia magnatũ, hoc eſt nobilium, vnà cum *Garſeano* Muzæ genero prœliando ceciderint. Erat autem Muza natione Hiſpano-Gothus & religione

principiò Chriſtianus : poſtea verò cum Mahometicæ ſectæ ſe addixiſſet, ſummo loco apud Sarracenos habitus eſt & tandem à Cordubenſi Rege deficiens, captis *Cæſaraugustâ, Oſcâ* & *Tutelâ* oppidis, atque etiam *Toleto*, tantam in Hiſpaniâ potentiam conſecutus eſt, vt tertium ſe Regem in eâ iuſſerit nuncupari. Quo facto non Sarraceni tantum Regis, ſed Ordonij etiam Aſturiarum Principis inuidiam in ſe concitauit, quæ illius prœlij occaſio fuit. Vnde planum fit, quam aliena ab hiſtoriæ fide narrauerint Auctor ille Annal. & Beuterus, cum Sanctium Garſiæ Pompelonenſem Regem, conſerto cum Muzâ prœlio, à Mauris interfectum fuiſſe dixerunt: Ætas enim Sanctij Garſiæ multùm diſcrepat ab Ordonij I. ætate, quâ hæc geſta fuiſſe à Sebaſtiano admonemur: At contrà, Garſiæ Ximini Regnum cum Regno huiuſce Ordonij concurriſſe, de vtriuſque Regis vitâ & tempore curioſiùs inquirenti facilè apparebit: Nec tam contra Muzam, quàm pro eius partibus ſtetiſſe Nauarros hinc etiam coniicimus; quod cum plurima bella ab hoc aduerſus varias gentes, Sarracenos nimirum, Gallos atque adeò Ordonium ipſum geſta celebret Sebaſtianus; nullius tamen rei ab ipſo contra Nauarros geſtæ meminit: tametſi eorum regio Muzæ Regno (quod à Cæſaraugustâ atque Oſcâ, Tutelam vſque & Albeldam Riojç vicum protendebatur) finitima & continens eſſet. Ipſis quoque Principibus Pompelonenſibus per id tempus de noui Regni ſenſim increbreſcentis, necdum adulti, ſtatu ſollicitis & vario etiam hinc à Cordubenſibus, hinc ab Aſturienſibus Regibus bello impetitis, à Francis etiam haud ſatis hactenus pacatis, quis non videt amicitiam & affinitatem Muzæ non minùs opportunam fuiſſe quam certamen belli cum ipſo exitioſum futurum erat?

GARSIÆ-ENECONIS filias tribuit noſtrum ſtemma duas; Alteram *Enecam* primùm *Aznario-Fortunionis*, deinde *Abdallæ* Cordubenſi Regi nuptam: Alteram *Ximenam Alfonſi* III Aſturienſis Regis vxorem. De priori author nobis eſt Scriptor Veteris libri qui in Eccleſiâ ſancti Iſidori Legionenſis aſſeruatur, cuius verba, quoniam, ad ea quoque, quæ de Fortunij Regis matrimonio & liberis in eodem ſtemmate ſubiunximus, illuſtranda iuuant, hic prout ab Ambr. Morali lib. 15. cap. 36 referuntur adſcribo. *Yo dire à qui agora vna coſa muy nueua y eſtraña, mas por auerla hallado en vn libro muy antiguo de la libreria de ſanto Iſidoro de Leon, cuya copia tambien eſta en el real Monaſterio de ſan Lorencio del Eſcurial, la pondre como alli eſta. Aquella memoria deduze la genealogia deſte Rey Abderramen del Rey Iñigo Ariſta, proſsiguiendo como fue quartonieto ſuyo. Aquel Rey (dize) tuuo (y es lo que todos ſabemos) por hijo al Rey Garci Iniguez. Eſte tuuo por hijos à los dos que tras el Reynaron, Fortunio Garcia, y Sancho Garcia Abarca, y vna hija llamada Eneca (que es Iñiga en Caſtellano.) Fortunio Garcia muchos annos antes que Reynaſſe, en vida de ſu padre caſo con doña Aurea, y tuuo en ella eſtos hijos Iñigo Fortuniones, y Lope Fortuniones, y Aznario Fortuniones. Y eſto poſtrero hijo caſo con ſu tia Iñiga hija del Rey Garci Iñiguez, y murio el marido dexando hijos. Mas ſu muger Iñiga caſo ſecunda vez con el Rey Moro Abdalla de Cordoua, y tuuo en ella à ſu hijo Mahomad Aben Abdalla que quiere dezir hijo de Abdalla. Eſte Mahomad tuuo por hijo à Abderramen, que por auer muerto ſu padre en vida de Abdella ſu abuelo reyno luego deſpues del. Aſsi el Rey Abderramen es nieto de la Reyna de Cordoua Iñiga, y vis nieto del Rey Garci Iñiguez, y quartonieto de Iñigo Ariſta. Haſta à qui llega aquella memoria.*

DE *Ximenâ* Alfonſi vxore teſtem facio Sampyrum Aſtoricenſem qui in vitâ Alfonſi hæc habet. *Non multo poſt vniuerſam Galliam ſimul cum Pampilonâ causâ cognationis ſecum adſociauit vxorem ex illorum proſapiâ accipiens.* (Vox *gerens* hîc ineptè adiecta in editione Pompelonenſi, abeſt à manuſcripto) *nomine Xemenam : hos quatuor ſubſcriptos filios ex eâ genuit Garſeanum* &c Galliæ autem voce hîc Nauarram ideò deſignat, quoniã ea iam multo tempore ſub Gallorum imperio ac ditione manſerat, iique Principes qui etiam tunc eam, Regio nomine obtinebant, origine Galli hoc eſt Vaſcones Aquitani erant. Fuiſſe autem Ximinam Garſiæ-Enneconis filiam clariùs etiam conſtat è veteri diplomate Ramiri Regis Aſturienſis, eorumdem Alfonſi & Ximenę filij, apud Prud. Sandouall. in eo tractatu quem de Monaſterio ſancti Facundi edidit §. 6. his verbis. *Fue Princeſſa de ſingular virtud* (de Ximenâ loquitur Alfonſi vxore) *y digna de tal marido, y por ſer, como dixe, de la caſa de Nauarra, à ſu hijo mayorazgo puſo por nombre Garcia, vſado entre los Nauarros, y entre los de Leon no haſta eſtos Reyes y parece eſto mas claro por vn priuilegio del Rey don Ramiro hijo deſtos Reyes, en que da à la Igleſia de Ouiedo muchas Igleſias en Aſturias, y entre ellas el Monaſterio de S. Eulalia de Tringo, que auia ſido de la Reyna D. Ximena, y Rey D. Sancho de Pamplona ſu tio, que aſſi lo llama à 23 de Setiembre Era 964.* Cum diplomate iſto Ramirus Ximenę filius, Sanctium Pompelonenſem Regem, auunculum ſuum dixerit, ſatis indicaſſe videtur Ximenam Sanctij ſororem fuiſſe, quidquid hoc loco contrà ſenſerit Sandouallius.

GARCIÆ XIMINI mortem cum in annum 858 contulerint omnes Authores qui eum inter Reges admiſerunt,

runt, ſi vnum Marineum excipias, & ab iis, vnius centenarij annorum numeri, omiſſione peccatum fuiſſe, ſupra monuerim, conſtétque fide veterum monumentorum Garſiam vſque ad annũ 858 in vitâ manſiſſe, neque eam vltrà propagaſſe hactenus apparuerit, nihil obſtat quominus ipſius morti annum illum aſſignemus, Garſiæque Eneconis Regnum ab eodem vel ab inſequenti, hoc eſt 859, inchoemus, quo Mahomedes Cordubenſis Rex, occaſione forſan Garciæ Ximenij mortis excitatus, vel eò etiam Nauarris ſolito infenſior, quod rebellanti Muzæ opem atque auxilium tuliſſent, bellum exitiale Nauarręintulit, vaſtatiſque Pompelonenſium agris, tria caſtra expugnauit, in quorum vno Fortunium, Garciæ-Eneconis filium cepit. Non me latet hoc bellum in annum 868 reiici à Çurita, à Morale verò in annum 870; quorum vtrumuis admittas, nequaquam conueniet cum verbis Roderici Toletani (ſolus hic inter vetuſtos Authores huius belli memoriam nobis in hiſtoriâ Arabum ſcriptam reliquit) quibus Fortunium 20 annis captiuum Cordubæ manſiſſe teſtatum facit: Nam annis 876 & 880, ipſum in Comitatu patris Garciæ Regis fuiſſe liquet ex binis Garciæ tabulis, apud Garibayum lib. 22. cap. 3. & Blancam cap. *de variis de Suprarb. Regni init. ſentent.* quas ex vſu Cœnobij Legerenſis Rex ille fecit: Præterea cum idem Rodericus hanc Pompelonenſis agri vaſtationem cap. 27 illius hiſtoriæ anno 8° Mahomedi Regis adſcribat; Mahomedis autem Regni initium cap. 26 anno obitus Ranimiri 1. huius nominis Galliciæ Regis coniunxerit, quem in æram DCCCLXXXVII. annum verò Chriſti 849 incidere Author eſt Sebaſtianus Salmantic. Hinc ſequitur vaſtationem illam anno 858 contigiſſe, à quo anno ſi tempora numerentur in annum vſque 876

MM

quô Fortunium cum patre Garciâ fuiſſe obſeruauimus, parum aberit, quin anni Arabum viginti, quô tempus captiuitatis Fortunij circumſcripſit Rodericus, abſoluantur atque expleantur.

Sanctio-Garciæ duas adiungit noſtrum ſtemma vxores, priorem quidem filiam *Galindonis* Comitis Aragonenſis, cuius nomen ignoratur; matrimonium verò elicitur ex tabulis Cœnobij ſancti Petri Sireſienſis æræ 905 à Brizio Martinez cap. 21. libri 1. hiſt. Pinnat. intextis, in quibus diſertis verbis Galindo Sanctium Regem generum ſuum nominat. Alteram *Tutam*, quam *Aznarij* 2. huius nominis Aragonenſis Comitis filiam fuiſſe coniicio ex patronymico Aznarij Tutæ indito à Rege Sanctio Maiore, in quibuſdam tabulis Cœnobij Legerenſis, apud Sandouallium in Catal. Epiſc. Pompel. fol. 29. Ex Tutâ, ſiue Tota vel Theuda, vt eam vocat Rodericus, Sanctio natos fuiſſe Garſiam filium, qui ei in Regno ſucceſſit, & filias Xemenam, Mariam, Taraſiam & Velaſquitam teſtatur lib. 5. cap. 22 idem Rodericus; vbi cum de cæteris liberis ſileat, coniecturam capere poſſumus, eos ex priore coniugio procreatos fuiſſe. De *Garcia-Sanctij Curuo*, Gaſconię Comite, altero Sanctij Regis filio, agemus proximo libro. De *Oneca* ipſam Sanctij filiā fuiſſe, certa res eſt ex veteri diplomate Monaſterij Albeldenſis æræ 962, nomine ipſius Sāctij edito, apud Moralem lib. 15. cap. 49. & Sandouallium Catal. Epiſc. Pompel. folio 11: Huic enim diplomati ſubſcripſit *Oneca* Sanctij ipſius filiam ſe prædicans. *Sanctiam* Ferdinandi-Gundiſalui Caſtellæ Comitis vxorem, huius Sanctij Regis filiam fuiſſe, conſentiunt vniuerſi Caſtellanarum & Nauarricarum rerum ſcriptores, præcipuè verò Garibayus lib. 9. cap. 33. lib. 10. cap. 8. & lib. 22. cap. 7.

Morales lib. 15. cap. 36. Sandouallius in Comment. rer. ſancti Æmil. §. 34. & in vitâ Ferdinandi Gundiſalui Caſtellæ Comitis; De coniugio *Ximenæ* cum Froilâ 2. Legionenſi Rege, déque *Nunilonis* prænomine conſulendus eſt Morales lib. 16. cap. 1. *Tereſam* autem Sanctij Regis filiam Garſiæ ſororem *Ranimiro* 2 Legionenſi etiam Regi matrimonio coniunctam fuiſſe non ſolùm affirmat Rodericus Toletanus lib. 5. cap. 9, ſed idipſum haud obſcurè innuit Sampyrus Aſtoricenſis Epiſcopus in vitis Ordonij 3 & Sanctij Craſſi, quando Garſiam Pompelonenſem Regem, *Craſſi*, qui ex Ranimiri & Tereſæ coniugio editus erat, *auunculum* nuncupat. Idem author in vitâ Ranimiri 2. Tereſæ vel Taraſiæ *Florentinæ* cognomen tribuit. *Velaſquitam Munionis* Viſcaiæ Comitis vxorem facit Rodericus Tolet. lib. 5. cap. 22. *Mariam* verò Comitis Barcinonenſis *Mironis* filij (quem Beuterus lib. 2. cap. 13. *VVifredum* alij *Seniofredum* vocant) coniugem fuiſſe nonnulli tradidere, teſtibus eodem Beutero, Çuritâ in Indicibus ad annũ 967 & Franciſco Didaco in hiſtor. Comit. Barcin. lib. 2. cap. 18: Quæ autem, de *Mariæ* Aragonum Regis filiæ nuptiis cum Othone 3. Romanorum Imperatore, ſcribunt Goffrid. Viterbienſis, Albert. Krantſius & alij; ea ſi vera ſunt, Mariam illam Garſiæ-Sanctij Regis potius quam huius Sanctij-Garſiæ filiam fuiſſe perſuadent tum ratio temporum, tum titulus Regis Aragonum, quem à Sanctio aſcitum nuſquam reperies, cum contra inter elogia Garciæ frequens ſit.

IAM conclamatam & Garibaij armis penitus profligatam fabulam de interregno *Garciæ-Eneconis* mortem ſubſequuto, déque ortu poſthumo, & occultâ educatione Sanctij-Garciæ Regis, rurſus in lucem reuocare

auſus eſt Blanca, ſolo teſtimonio Authoris Anonymi Annal. Aragon. ferox, quaſi ei, etiam in re tam antiquâ, contradicere nefas ſit, quem tamen eiúſque ſectatores ipſe in eo falſos eſſe agnoſcit, quod à morte Garciæ-Enneconis Regis, ad electionem Sanctij, ſexdecim ad mininum annorum ſtatuerunt interregnum: Fortunij Regno, quod eo ſpatio temporis interceſſit, ſupreſſo vel prætermiſſo; ideóque ipſe ex illo annorum numero 14 aut amplius reſecat, ita vt quatuor tantum annorum interregnum ſtatuat, initio facto ab anno 901, quo Fortunium Cœnobio Legerenſi ſe abdidiſſe putat. Blancæ autem, quem alioquin, tam inualido teſtimonio recentiorum iſtorum nullius authoritatis hiſtoricorum malè fultum, causâ caſurum conſtabat, aſtat tamquam aduocatus Brizius Martinez, eique nouas rationes è promptuario ſuo Pinnatenſi ſuggerit; vetus ſcilicet monumentum ad annum 893 pertinens, quo continetur Fortunium Regem cum de finibus Nauaſalenſis territorij contentio eſſet, ad Cœnobium Pinnatenſe appuliſſe cum Abbatibus & Preſbyteris, vt de eâ lite cognoſceret, cui narrationi cum hæc verba ſubiecta ſint in eo monumento. *Hoc explicito, poſt multum verò temporis, rurſus adhuc eo viuente, crexit Deus Regem Sanctio Garſianes, in dominum & gubernatorem de patriâ & defenſorem populi, & regnauit viginti annis.* Ex iis plurimum firmamenti opinioni Blancæ accedere credit Equidem aut ſtolidum aut nimium credulum eſſe decet eum qui his ratiunculis perſuaderi ſe patiatur, Sanctium-Garſiæ Regem ex vtero matris exſecto auulſum fuiſſe; deinde occultè educatum, ita vt à ſuis ignoraretur, & tandem non iure ſtirpis, ſed diuino nutu, cum manifeſto miraculo, in Regnum euectum. Sed vt ne hæc quoque, quamquam futilia, intacta relin-

quamus, id admonitos velim eos quibus argumentatio Brizij ex his illius monumenti verbis. *Adhuc eo* (id eſt Fortunio) *viuente erexit Deus Regem Sanctio Garſianes* ducta, ſcrupulũ aliquem iniicere poſſet; vetuſtos Authores, quò Regna plùs à Deo quam ab hominibus procedere ſignificarent, non rarò huiuſmodi loquendi genere vſos eſſe, vt Reges à Deo *vnctos*, *ſublimatos*, *erectos*, vel *ſuſcitatos* dicerent: Sic Garcias Rex Pompelonenſis Sanctij Maioris filius, qui iure ſtirpis patri in Regno ſucceſſerat, in diplomate quodam apud Sandouallium Catal. Epiſc. Pompelon. fol. 56 ait ſe vnctum à Domino & in Regno ſublimatum proauorum: ſic apud Antonium Yepem in Append. Centur. 5. nu. 5. Chronici Benedictini Adefonſus, qui patri Veremundo in Regno Legionenſi ſucceſſerat, dicitur à Deo ſuſcitatus, *& defuncto* (ſunt verba diplomatis) *ſupradicto Rege Domino Veremundo ſuſcitauit Deus ſanctum illum Regem dominum Adefonſum, & collecto Concilio Caſtellæ terræ Forinciſæ, Galicindiæ vel Aſturienſe leuauerunt eum Regem ſuper cathedram auorum & parentum ſuorum in ſede Regiâ Legionenſi, omnes vnâ voluntate laudes Deo reddentes &c.* Quod ſi hinc concludere velimus tam Garſiam quàm Veremundum diuino potius accitu, (non citra miraculum) quam iure ſanguinis Regnum accepiſſe, quid aliud, quam vetuſtatis peritis nos deridendos propinabimus? Altera Brizij ratio ex eo ſumpta quod ex illius monumenti verbis, Fortunium Regem iam tum anno ſcilicet 893 dimiſsâ Regni curâ monaſticæ vitæ ſe addixiſſe, colligi aſſerit; omni prorſus caret fundamento: nec enim quicquam in totâ illius monumenti ſerie occurrit, ex quo id elici poſſit; Cum contrà alio monumento Legerenſis Cœnobij, à Garibayo lib. 22. cap. 6. perſcripto, ipſum,

ad annum 901 Regnum adminiſtraſſe, nondumque id temporis ſe cœnobiticæ regulæ voto adſtrinxiſſe clarè eluceat: Cætera quoque, quæ de illo interregno & poſthumis Sanctij natalibus fabulati ſunt Auctor illorum Annalium eiuſque ſectatores, falſa & commentitia eſſe alio monumento Eccleſiæ ſancti Petri Sireſienſis, ab ipſo Brizio lib. 1. cap. 21 adducto, validè demonſtratur: Ex eo enim conſtat Sanctium diu ante mortem parentum, anno ſcilicet 867 non ſolum natum, ſed puberem & Galindonis Comitis filiæ virum fuiſſe, quin etiam vanitas illius ſententiæ, quæ ortum Sanctij Garſiæ refert in annum obitus parentum (quem Beuterus à nato Chriſto nongenteſimum primum: Çurita verò octingenteſimum nonageſimum ſecundum ſtatuũt) eo conuincitur, quod Sanctius anno 905, quo Regnum adeptus eſt, non viginti tantum annos natus, vt volunt illius ſententiæ Authores ac defenſores, ſed ætate prouectâ erat, vtpotè trium ad minimum liberorum pater, Garſiæ nimirum, Ximenæ & Sanctiæ, quos omnes ſub ea tempora, aut adultos fuiſſe, aut ſaltem pubertatis annos attigiſſe probabile eſt, quippe filias quidem, iam tum, vel paucis poſt annis, in matrimonium collocatas fuiſſe; Alteram Froilæ 2 Legionenſi Principi; Alteram Ferdinando-Gundiſſalui Caſtellæ Comiti, ex Ambroſ Morali lib. 15. cap. 37. & lib. 16. cap. 1. & ex Sandouallio in vitâ Ferdinandi Comitis fol. 302 & 311 diſcimus. Filius autem Garſias iam etiam ex vxore propriâ filiam ſuſceperat *Sanctiam*, quæ cum circa annum 922 *Ordonio 2* Legionenſi Regi nupſerit, teſte Sampyro in Ordonij vitâ, eam tempore nuptiarum decimum octauum ſaltem annum attigiſſe, eò magis veriſimile fit, quòd Ordonium, eo ipſo tempore, grandæuum fuiſſe certum eſt;

Cui tamen Sanctiam aptam & conuenientem fuiſſe ſubiicit Sampyrus.

Hoc autem de interregno,déq; Sãctij ortu poſthumo commentum,indidem manaſſe videtur, vnde alia duo, Alterum de Suprarbienſis Regis titulo à Garſia-Simenij & eius ſucceſſoribus aſſumpto; Alterum de Adriano 2 à Nauarris & Aragonenſibus tempore Ariſtæ de nouo Rege eligendo conſulto, quæ ſupra à me diſcuſſa ſunt; ex communi nimirum hominum famâ & trito vulgi ſermone,qui ea quæ de interregno,quod Sanctij-Garſię Regis Penaleni anno 1076 intempti mortem ſubſecutum eſt, & de electione Garſiæ-Ramiri aliquot poſt annis celebratâ inaudierat, ad antiquioris iſtius Sanctij-Garſiæ ætatem & perſonam traduxit, idque magis ac magis confirmatur ex nomine *Latronis Velæ* ſeu *Gueuaræ*, à quo Sanctium Garſiam hunc noſtrum, populo comitia pro eligendo nouo Rege celebranti indicatum & productum fuiſſe, teſtificatâ etiam illius origine, quæ eatenus occulta fuerat, narrant Çurita, Blanca & alij. Hæc enim temporibus poſterioris Sanctij-Garſiæ qui Penaleni obiit,& Garſię-Ramiri illius in regno ſucceſſoris non malè conueniunt: ſiquidem inter vtrumque interregnum interceſſiſſe & multis tunc annis Nauarros propriis Regibus caruiſſe pauci ignorant: *Latronem* quoque *Velam Gueuaræum* eo ſæculo vixiſſe, & in iis comitiis, quibus Garſias-Ramiri Rex renunciatus fuit, ipſi fauiſſe & ab eodem poſtea Rege *Comitis & Principis Nauarrorum* titulo decoratum fuiſſe, à Carolo Principe, Beutero, Çurita, Garibayo & aliis magno conſenſu eſt traditum. Garciæ autem procul *Montiſoni*, in confinio Aragoniæ & Cataloniæ, degentis originem Nauarris per id tempus parum cognitam fuiſſe, niſi à Latrone

Velâ & aliis proceribus indicaretur, nihil mirum; cum ne hodie quidem ſatis perſpecta ſit: quidam enim Authores ipſum *Garſiæ*, Sanctij Maioris filij nepotem, alij pronepotem faciunt, eiuſque auo nonnulli *Ramiri* plures *Sanctij* nomen tribuunt. Illa denique quæ de Sanctio à ventre matris auulſo exornandi commenti gratiâ fabulę illi ſubiici ſolent, à ſingulari quodam euentu, qui in Sanctij familiâ contigit, originem ſumpſerunt. Dixi ſupra Sanctio præter *Garſiam*, qui ei in Regno ſucceſſit, fuiſſe alium filium nomine itidem *Garſiam* cognomento *Curuum* qui Gaſconiæ Comes fuit: Huius vxorem *Amunam* grauidam obiiſſe; éque eius vtero exſecto puerum eductum fuiſſe, nomine *Arnaldum*, qui poſtea *Aſtaracenſis* Comes fuerit, cuique ex hoc caſu *Nonnati* cognomen hæſerit, veteri monumento proditur, quod Cartulario Eccleſiæ Condomienſis inſertum eſt.

Æra 943, anno nimirum Chriſti 905, Sanctium Garciam Regnum iniiſſe, Auctor eſt Belaſco illorum temporum Scriptor, apud Çuritam in Indicibus, in cuius authoritate, de iſthoc, omnes ferè hodierni ſcriptores conquieſcunt. At de tempore mortis ipſius non parua inter illos quæſtio eſt; cum ex ſententiâ eiuſdem Belaſconis in annum 925 aut 926 trahi debeat, exténtque apud Moralem lib. 15. cap. 42. & apud Sandouallium in Catal. Epiſc. Pompel. fol. 11. ipſius Sanctij Codicilli in Monaſterio Albeldenſi anno 924 conſcripti, in quibus annum illum vigeſimum Regni ſui numerat: & tamen à Garibayo lib. 22. cap. xi. & à Sandouallio in Comment. rer. ſancti Æmil. §. 33. & in Catal. Epiſc. Pompel. fol. 23, aliquot adducantur diplomata, anno 920, 922 & 924 à Garſiâ Sanctij filio, vnà cum matre Totâ, in gratiam illius Monaſterij emiſſa, quæ ipſum Pompelonæ atque etiam Najeræ

jeræ iis annis regnaſſe perhibent. Eſt ſanè difficilis & ſcopuloſus hic locus, vnde quis ægrè ſe expediat, niſi erratū fuiſſe à librario S. Æmiliani dixerimus in deſcribendis numeris ærarum iſtorum diplomatū, quod ipſe credere malim (maximè cum Najaram nondū anno 920 & 922 in Pompelonenſium Regum imperio fuiſſe doceamur à Sampyro) quam in æra Codicillorum illorum Sanctij ipſius quicquam mutare, quò tamen inclinaſſe videtur Morales; iis enim non numerus tantum æræ, quæ anno 824 conueniat, appoſitus eſt; ſed id inſuper continetur, vigeſimo anno Regni Sanctij ſcriptos fuiſſe, quod alij anno, præterquam 824 aut 825, conuenire nequit. Conciliari tamen hæc inter poſſe videntur, ſi aſſeramus vixiſſe quidem Sanctium ad annum 825, ſed cum eſſet valetudine aduerſâ atque incommodâ, Regni curam & adminiſtrationem ab ipſo delegatam titulumque Regium communicatum Garſię filio fuiſſe: Hoc enim aliàs etiam in Galliâ factum ſub Philippo I. legimus apud vetuſtum Scriptorem Cartularij Cœnobij Regulenſis ad Garumnam: *Anno* 1103, inquit, *Philippo Francorum Rege ſuperſtite, Lodouico tamen filio ſuo indolis & probitatis memorandæ iuuene Franciæ temonem obtinente &c.* Item apud Guillelmum Armoricum MS. de vitâ geſtiſque Philippi 3 Auguſti. *Anno ab Incarnatione Domini 1179 conſecratus eſt in Regem Philippus Magnanimus in feſto omnium Sanctorum, patre ſuo Ludouico Pio adhuc viuente adhuc ſeptuagenario &c.* Ne quis autem ea, quæ de infirmâ Sanctij valetudine propoſui, me diuinaſſe putet; profero demonſtrationem ex ipſius Sanctij verbis à Sandouallio in Catal. Epiſcop. Pompelon. fol. 23. cap. de Galindone Epiſcopo, commemoratis. *Ego Sanctius Rex cum non poſſem ſalutem vſpiam inuenire niſi in æde Diuo Petro*

ſacrâ quæ eſt iuxta oppidum quod dicitur Auſonij, dono, & trado eam Galindo Epiſcopo, qui erat in regimine monachorum in Pampilonâ. Deinde ſubiungit Sandouallius. *El Rey don Sancho dize, que eſtando muy enfermo, no hallo ſalud en otra parte, ſino en el Monaſterio de ſan Pedro de Auſon, que es Vſum, donde corre el rio Teraſço, haze merced del con la Reyna Doña Toda, à don Galindo Obiſpo de Oya: Qui erat in regimine monachorum in Pampilonâ. Dize eſtaban en el Monaſterio las reliquias de ſan Pedro, y ſan Pablo y dan la villa, que eſta cerca del que ſe dize Auſon, y que conſagro iſta Igleſia el Obiſpo Don Nuno Oppilani Era 867 firmaſe Sanctio Garſeanes.* Et paulò pòſt. *No tiene eſta eſcritura data, ſino la del año y dia, en que ſe conſagrò, que fue Era 867 à 28 de Octubre, llamaſe en ella Galindo Obiſpo de Oya, que deuia ſer algun Monaſterio.* De ſepulchro huius Regis, quia contendere video Cœnobitas Pinnatenſes cum Legerenſibus, dum vtrique illud ſuo Monaſterio vindicant, monendum duxi, illud à Belaſcone ambobus Cœnobiis pariter abiudicari; teſtatur enim hunc Regem, in porticû *ſancti Stephani* ſepulturâ affectum fuiſſe; Pertinebat autem hæc porticus ad caſtrum munitiſſimum, alio nomine *Monjardin* dictum, cuius ſitus in Præfecturâ Stellenſi ponitur: Illud autem cum Sanctius Mauris eripuiſſet, ex concepto voto, Eccleſiæ *Hiraxenſi*, ſimul cum adiacentibus vicis & ditione integrâ, quæ hodie *Vallis ſancti Stephani* dicitur, piè & liberaliter largitus eſt, vt fidem facit ipſius pronepos *Sanctius Major* Rex quibuſdam tabulis, quibus munus illud, à *Sanctio Abauo* Hiraxenſibus Cœnobitis conceſſum, ratum habuit, anno Chriſti 1033, quarum tabularum exemplum in Appendice Centuriæ 3. Chronici Benedictini Antonij Yepes num. 25. excuſum eſt.

GARCIÆ-SANCTII Regis vxorem ſiue *Eximinam* ſiue *Tereſam*, ſi vnica fuit; ſi verò duas habuit, priorem *Endregoti Galindonis* viri primariæ nobilitatis, qui è familiâ Comitum Aragonenſium genus ducebat, filiam fuiſſe innuit vetus diploma Eccleſiæ beati Petri Sireſienſis æræ 1009 à Çurita commemoratum & à Blancâ perſcriptum, in quo Sanctius Rex, iſtius Garciæ filius, Endegoti illius proles nominatur. In numero liberorum Garciæ-Sanctij Regis ineundo, nihil differimus à Garibayo & Blancâ, præterquam in *Sanctiâ* & *Totâ* quas ambas vterque prætermiſit. *Sanctiam* Garſiâ Rege natam fuiſſe & Ordonio 2 Legionenſi nuptam, paulò ante ex Sampyro docui. De *Totâ* autem, ipſam Sanctij Abarcæ ſororem fuiſſe, eòque Garciæ iſtius filiam, primus indicauit Sandouallius in Catal. Epiſcop. Pompelon. fol. 26. cap. de Siſebuto Epiſcopo his verbis. *En la era de 1029 Sancho Garces, y ſu hermana Doña Toda; dan à Leyre en la valle de Ybargoiti, vn Monaſterio llamado Bayacoa, Reynando Sanctio Garces in Pampilonâ, Epiſcopo Don Siſebuto in Pampilona. Vrracam* VVillelmi Sanctij Gaſconiæ Comitis vxorem fuiſſe, eruimus ex vetuſtis tabulis Cœnobij *ſancti Seueri in Gaſconiâ*, quæ Vrracam iſtius Comitis vxorem Regio ſanguine natam prędicant, nec enim facilè aliam Regiam familiam reperias, in quâ eius nominis filia nubilis iis temporibus exiſteret. In Cartulario etiam Cœnobij *ſancti Iohannis* Sorduenſis *Sanctij* Comitis *nepotis Vrracæ* Guillelmi Sanctij vxoris, mentionem fieri obſeruaui; quod coniecturam noſtram magnoperè confirmat. Duo enim tantùm Comites *Sanctij* nomine *Gaſconiæ* præfuerunt poſt mortem Guillelmi-Sanctij & Vrracæ eius vxoris, nimirum *Sanctius* horum coniugum *filius*, & *Sanctius Rex Pompe-*

lonenſis cognomento *Major*, cuius cum Vrraca, huius Garciæ Regis, de quo nunc agimus, filia amita magna eſſet, potuit is non ineptè Vrracæ nepos dici. Ad *Ermenegildam* & *Ximinam* quod attinet, in alterutrâ earum Iſarni, Raimundi Comitis Ripacurcienſis, filij coniugio addicendâ, Çuritam ſequuti ſumus, qui ad annum 970 refert, ex quibuſdam antiquis monumentis, Iſarnum ſuperioris Iſarni filium apud *Sanctium* Regem auunculum ſuum conſtitiſſe, neque enim id de alio Sanctio quam de eo cui Abarcæ cognomentum fuit, Ermenigildæ & Ximinæ fratre intelligi poteſt. *Sanctium* & *Garſiam* fratres, qui *Ramiri* Regis filij dicuntur in quibuſdam monumentis, attentâ ratione temporum, *Ramiro Vicariæ Regi*, Garciæ iſtius *filio* aſcribere tutius duxi, quam, vt nonnulli alij, alteri *Ramiro*, eiuſdem Garſiæ *nepoti*, *Abarcæ* verò *filio*. Garciæ autem Regnum ad annum vſque 969 perueniſſe, luculentè probant Garibayus lib. 22. cap. 15. & Morales lib. 16. cap. 35. Ipſius corpus in porticû caſtri ſancti Stephani ſepulchro mandatum fuiſſe refert Belaſco, idémque ſcriptum reliquit Author Chronici manuſcripti, cui titulus *Relacion de la deſcendentia de los Reyes de Nauarra.*

SANCTII Regis, Garſiæ-Sanctij filij, cognomento Abarcæ vxorem *Vrracæ* nomen habuiſſe inter omnes conuenit, nemo tamen gentem ac familiam Vrracæ, quænam eſſet, expoſuit: *Ferdinandi Gundiſſalui Caſtellæ* Comitis filiam fuiſſe indicare videtur patronymicum *Ferdinandi* illius nomini paſſim additum: tempora etiam ſatis congruunt; Nec huic opinioni aduerſatur Sampyrus, qui cum in vitâ Ranimiri 2. *Vrracam* Ferdinandi Comitis filiam *Ordonio* Ranimiri filio nupſiſſe, in vitâ autem ipſius Ordonij ab ipſo repudiatam fuiſſe monuiſ-

ſet; rurſus in Regis *Sanctij Craſsi* manum & thalamum conueniſſe, &,cum mox ab eo diuertiſſet, tertias nuptias cum alio viro (cuius nomen reticet) celebraſſe, in Craſſi vitâ commemorat. *Claræ* prænomen Vrracæ tribuunt quædam monumenta, apud Sandouall. in Catal. Epiſc. Pompel. fol. 25. & Yepem in Appendice cent. 5. nu. 19. De numero liberorum Sanctij 2. Regis conuenit nobis cum Garibayo & Blancâ, ſed de cognomine *Abarcæ*, quod huic & primo omnium & ſoli, credidit inditum Sandouallius, magnam ei litem intendunt Blanca & Brizius, illud ſummo iure ad ſuperiorem Sanctium-Garciæ Eneconis nepotem pertinere rati; quia tamen Sandouallij opinio nobis potior & verior eſſe videtur, argumenta aliorum breuiter expendenda ſunt: Ea autem ad duo capita referri poſſunt, quorum alterum pendêre vult Blanca ab authoritate ipſiuſmet Regis *Sanctij*, quaſi is ſibi in quibuſdam diplomatibus Cœnobij Pinnatenſis *Abarcæ* cognomen aſciuerit: Alterum verò à teſtimonio *Sanctij-Ramiri* Aragonenſis Regis, qui in aliis diplomatibus, Sanctium *Abarcam, tritauum* ſuum vocitat, quam vocem de quinto āuo interpretari Blancæ placet. Ad primum quod attinet, trinis nos vrget diplomatibus Blanca, quorum duo poſteriora nihil ad Sanctium illum priorem ſpectare facilè euincam. Illius enim vitam annum 926 non exceſſiſſe, tam authoritate Belaſconis, æqualis illorum temporum ſcriptoris, quàm compluribus vetuſtis monumentis à Garibayo & Sandouallio excuſſis, quæ paulò ante indicaui, exploratiſſimum eſt; cum tamen alterum illorum diplomatum æram prçferat 971 quæ anno 933 reſpondet: Alterum verò æram 1025, quæ cum anno 987 concurrit: Verum anno 933, dicet Blanca, in quem incidit alterum diplo-

ma, nondum regnabat Sanctius-Garſiæ poſterior, ergo priori illud tribuendum eſt; Sed hoc illi præcisè negamus; Sanctium enim illum priorem cum certò ſciamus, ante illum annum obiiſſe, abſurdum omninò eſſet diploma illud ipſi adſcribere: Itaque poſteriori, de quo nobis hîc ſermo inſtitutus eſt, tribui debet, ſiue iam illum id temporis patre ſuperſtite in Aragoniâ regnaſſe dicamus, ſiue quod credere malim, erratum eſſe à librario, in repræſentanda illius diplomatis æra, omiſſione aliquot annorum: Non enim adeò certas fuiſſe huius generis hominum manus, quin ſæpè in numeris ærarum ſeu annorum, qui compendiis litterarum aut arithmeticis notis ſignati erant, deſcribendis fallerent ſupra monui, & nouo adhuc confirmare poſſum teſtimonio Prudentij Sandouallij inſignis hoc noſtro ſæculo Hiſpaniæ antiquarij: ſic itaque ille in vitis Regum Aſturienſium, capite illo quod *Batalla de Clauijo* inſcribitur, huius rei non teſtem modò ſe præbet, ſed rationem etiam reddit. *Pregunta que ſe ha de hazer en las eſcrituras, que tienen Era, que no ajuſta con la comun? Se lo reſponde. Que ninguna ſe hallarà, ſi es original, que no venga muy al juſto con la Era, y año de Chriſto, y las erradas ſon, las que eſtan mal ſacadas, traſlados. Y que la mayor parte de los tumbos ſon eſcritos de 300 años à eſta parte y muchos dellos los eſcriuieron Notarios, que no ſabian latin ni leer bien la letra lombarda; ni ſabian el valor de los numeros.* Et paulò pòſt. *Y que ſi Ambroſio de Morales, y Garibay, y otros no ſe conciertan en datas de eſcrituras, es por no auer viſtos los originales, que por eſto Morales llamo à Aldelgaſter hijo del Rey de Gijon, por dezir Silonis; Y que es hazer mas que barbaros à los Eſpañoles, diziendo que no tuuieron cuenta fija, y cierta.* In hoc autem diplomate, quod modò examinamus deſcriben-

do, non adeò acuratum fuiſſe librarium, hinc colligitur, quod non in numero tantum æræ lapſus eſt, ſed etiam in nomine Epiſcopi qui Regi ſcribenti aſtitit. Quid enim hoc monſtri eſt, *Epiſcopus don Eſſecuti de Lejon?* Certè cum *Vnicaſtelli* pagus, de quo diploma agit, in diœceſi Pompelonenſi ſitus eſſet, in Archetypo, niſi me coniectura fallit, ſcriptum fuit Epiſcopus Don *Siſebuto de Iran*, quod imperitus librarius corrupit in ænigmatica & barbara illa verba *Eſſecuti de Lejon*: Siſebutum autem Rege Sanctio Garſiâ 2. Epiſcopum Pompelonenſem fuiſſe docet Sadouallius, in Catal. Epiſc. Pompelon. fol. 26. Poſtremum diploma ſuaptè planum & dilucidum, perplexum & inuolutum reddit captioſâ explanatione Blanca: Cum enim ærâ 1025 ſcriptum fuerit, quæ in ætatem Sanctij Garſiæ poſterioris incidit, ille, vt ad priorem Sanctium trahat, primò ærę Hiſpanicæ vſum peruertit, dum eam hîc pro anno Chriſti ſumi vult. Deinde T milleſimi numeri notam pro nongenteſimi anni charactere, hoc loco, iure quodam ſingulari, vſurpãdam pronunciat; & de primo quidem ſcio Blancam huius inuenti, Hiſpanicæ ærę de anno Chriſti interpretandæ, authorem non eſſe, ſed id eum exemplo Moralis feciſſe, cui cum ſæpè, in explicandis veterum monumentorum æris, hęrere contingeret; huiuſmodi tandem ipſarum cum annis Chriſti confuſione velut Alexandri gladio nodos illos Gordios ſoluit. Moralis tamen, in hoc, factũ minus doctis viris probari video, imò ipſum à Sandouallio eo nomine ex profeſſo reprehenſum fuiſſe ex iis quæ hic in vitâ Alfonſi Caſti ſcripſit, apparebit. *Dezir que ponian algunas vezes la Era de Ceſar por la de Chriſto, fue conſideracion de Morales, y approuechoſe della por no entender la cifras de los priuilegios y numeros de los Godos,*

ſi es cierto que ſabian bien la diferencia de los 38 años que ay comunmente de la Era, al año, y que en muchas eſcrituras de grandiſſima antigüedad he viſto poner ambas datas, diziendo Era DCCCCLX *anno ab Incarnatione Domini &c.* DCCCCXXII. Inanem itaque, ex hac parte, nouæ ſuæ, de duplici Sanctio Rege cognomento Abarcâ, doctrinę rationem conſtitui à Blancâ perſpicuum eſt: dum ea, ad illam probandam aſſumit, de quibus non ſolum inter doctos non conuenit, ſed quę etiam ipſorum pręiudicio fuere iamdudum damnata. In alterâ verò parte, quâ notę Arihmeticę Ť vim ac poteſtatem, longo vſu apud veteres, ad ſignificandum milleſimum numerum, receptam labefactare nititur, nihilo cautior eſt, ſiquidem communem experientiam & doctorum virorum conſenſum, vnicâ ratiocinatione, eâque non multum validâ ſe putat poſſe conuellere: *Huic diplomati interfuere*, inquit, *Baſilius Epiſcopus Pompelonenſis, Oriolus Aragon. & Vuibertus Scriptor, tanquam præſentes aut tunc viuentes; atqui alteri quoque diplomati, cui æra* 921 *non notis Arithmeticis aut litterarum compendiis, ſed extenſis litteris ac perſcriptis verbis appoſita eſt* (hoc autem diploma primum eſt ex iis tribus, quibus in hac diſputatione Blancam vti ſupra monuimus) *interfuere iidem Baſilius Epiſcopus Pompelonenſis, Oriolus Aragonenſis & Vuibertus Scriptor Regis, ad idem itaque tempus vtrumque pertinere, hoc eſt ad æram nongenteſimam vigeſimam quintam, petitâ interpretatione recentioris diplomatis ab antiquiori, concludit: indéque colligit figuræ* Ť *notâ (quâ aliàs milleſimus numerus ſignificari ſolet) noningenteſimum interdum deſignari.* Sed quis antiquius illud diploma, quod æram 921 præ ſe fert, pro certo & ſano pręſtare, tantúmque authoritatis illi tribuere auſit,

auſit, vt ad ipſius normam poſterius dirigi, ĩ quoque milleſimi numeri notæ proprius & receptus vſus immutari debeat? Non ego ſanè qui pleraque in eo animaduerti, quæ illud aut prorſus fictum eſſe arguunt, aut ſaltem corruptum in numero æræ; ita vt, ſi quid veri in eo inſit, ad æram 1021 trahendum ſit: quo facto, non amplius ad Sanctium Garſiam illum antiquiorem, vt contendit Blanca, ſed ad hunc poſteriorem, cui ſoli Abarcæ cognomen competere diximus, ſpectabit. Primò itaque numerus ille æræ 921, quæ annum Chriſti 884 repræſentat, Sanctio Garciæ priori accommodari nequit, cum eo anno ipſum Pompelonenſibus atque Aragonenſibus minimè imperaſſe, ſed patrem ipſius Garſiam-Eneconis, nec ipſe quoque Blanca neget: ſed quid, infit ille, ſi æram pro anno Chriſti ſumamus? Iam oſtendimus hoc illi minus licere; ſed vt liceat, non ideò ſe aliis difficultatum laqueis expediet Blanca, quibus, hic æræ numerus ab ipſo aſſertus, eum inuolutum atque implicatum tenet. Etenim ne anno quidem 921 Sanctium Pompelonę regnaſſe illi conceſſerit Garibayus (cui ſuffragatur Morales) qui iam ab anno 920, ipsô defunctô, Garſiam eius filium regnare cœpiſſe, prolatis vetuſtis tabulis Cœnobij S. Æmiliani, docuit: ſed demus hoc quoque Blancæ, æram illarum tabularum mendoſam eſſe, Baſilium quoque Epiſcopum Pompelonenſem, cuius vitæ finem anno 919 terminant idem Garibayus & Sandouallius, anno 921 adhuc ſuperſtitem fuiſſe; ita vt Sanctio, diploma hoc, de quo contendimus, ſcribenti aſtare potuerit; num ideò hoc etiam verum erit, eidem tunc Sanctio ſcribenti adfuiſſe *Lopæum Gonçaluum Nageræ* Præfectum ſeu Seniorem, vt id temporis loquebantur, *Fortuniumque Exemenonis Atareſij* Comitem? Equidem *Na-*

geram eo anno in Maurorum imperio ac ditione fuiſſe, neque vſque ad annum 922 aut 923 in Regis Pompelonenſis, Garſię, ſcilicet, Sanctij filij poteſtatem veniſſe ſatis clarè docet Sampyrus in vitâ Ordonij 2. *Atareſiam* quoque arcem non niſi ærâ 969, hoc eſt anno 931 conditam fuiſſe à Garſia Fortunionis, docuit Çurita tom. 1. Annal. cap. XI. ex veteri quadam inſcriptione lapidi Baſilicæ eius arcis inſculptâ: nomen inſuper vxoris Sanctij eo diplomate expreſſum, rem adeò claram & perſpectam facit, vt nullus deinceps dubitandi locus relinquatur, diploma illud ad Sanctium poſteriorem pertinere: *Vrracam* enim ipſam appellat, quod nomen, Sanctij poſterioris vxoris, proprium fuiſſe; prioris verò vxorem *Tutæ* non *Vrracæ* nomenclaturam tuliſſe, tot antiquorum monumentorum teſtimoniis à Garibayo, Sandouallio & aliis comprobatum eſt, vt nemo amplius de eo, niſi pertinaciæ reus eſſe velit, contendere poſſit. Adhęc, quando vtrumque horum diplomatum ad eundem temporis articulum conferendum cenſet Blanca; ſi alterum ex iis, illud nimirum cui æra T̈XXV appoſita eſt, ætati Sanctij Garſiæ poſterioris deberi, nec cuipiam alij applicari poſſe oſtendero; nunquid hoc ipſo alterum quoque ad eamdem ætatem reuocandum eſſe euicero? Atqui primum commodè elici poteſt ex nomine Sanctij Comitis Atareſij diplomate illo, inter teſtes ſeu nobiles, qui tunc in Regis Sanctij comitatu erant, comprehenſi. Namque eius ętatem cum Sanctij Garſię poſterioris Regno concurriſſe, docuit nos Brizius, cuius verba cap. 13. lib. 2. ſunt. *Conſta auer tenido noſtro D. Sancho* (loquitur de Sanctio Garſiâ poſteriori) *eſtos tres hijos D.* Garcia. D. Ramiro, *y D.* Gonçalo, *de vna donation ſuya del lugar de Badahues en el territorio Atereſe en fauor de vn*

D. Sancho ſeñor de Atheres. Et paulò pòſt. *Es ſu data era* 1021 *anno* 983. Et capite ſequenti de dono loci *Badaguaſſa* dicti verba faciens. *Lugar que ya lo auia dado, à eſta caſa D. Sancho ſeñor de Atheres y faltaua ſu conſentimiento deſtos Reyes.* Et paulò pòſt. *Su fecha deſte priuilegio y donation tan magnifica en la era* 1027. Conſequens igitur eſt, alterum quoque diploma, quod æram 921 exhibet, ad eundem temporum articulum pertinere, eamque ęram vitiô non vacare, quod tamen ſolius librarij culpæ adſcribi poſſit, ex his quæ ſupra de librariorum, qui ad vetuſta monumenta deſcribenda adhibebantur, inſcitiâ, déque veteris ſcripturæ Gothicæ præſertim in legendo difficultate, verbis Sandouallij diſſeruimus, quibus quid vetat Blancæ teſtimonium adiungere, huic loco opportuniſſimum? ſic itaque ille in comment. rer. Aragon. cap. de Sanctio 4. Aragonum Rege 7. *In quibus* (id eſt priuilegiis, ſeu vetuſtis Regum diplomatibus) *miræ paſſim & penitus difficiles extant numerorum notæ: cum nedum Latinis aut Gothicis, ſed quandoque etiam Arabicis characteribus deſcriptæ legantur. Vnde tota ea, quam nunc cernimus, orta eſt, priſcæ noſtræ vetuſtatis confuſio. Hæ enim temporum annotationes, quæ alioquin lumen ipſis rebus adhibere debebant; propter varias earum, diſsimiléſque formas, obſcuritatem & tenebras attulerunt. Ipſi enim characteres non clari & aperti, nec eodem ſemper modo, ſed variè & obſcurè deſcripti ſunt: proptereaque aliud aliis ſignificare videntur. Itaque in eorum declaratione multa obſeruanda, quæ non ex alio ſenſu, quam ex ipſarum rerum ſerie atque ex variâ tantùm lectione interdum depromenda ſunt: ſi nolumus antiquas res penitus obrui & obſcurari.* Hæc autem ratio temporum à nobis, duobus illis ſuperioribus diplomatibus Sanctij Abarcæ Regis, pręſcripta,

trinepotum & ſimiles, promiſcuè & indifferenter vſurpaſſe, plurimis exemplis ptobare poſſem, è quibus hæc pauca ſeligere viſum eſt. Ferdinandus-Gundiſſalui Caſtellæ Comes in tabulis quibuſdam à nepote ipſius Sanctio-Garſiæ ex vſu Monaſterij Arlançæ factis, apud Sandouallium in vitâ ipſius Ferdinandi, *Munionem Nunionis* vxoremque eius *Argilonem* (qui Gundiſſalui patris ipſius aui erant) *auos* ſuos vocat: in iiſdemque tabulis, ipſe Sanctius-Garſiæ Comes, eoſdem Munionem & Argilonem (qui ipſius ataui erant) *viſauios* nuncupat: Paulus Vuarnefridus Longobardus libro de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ, Carolum Magnum Imperatorem, B. Arnulphi abnepotem, *trinepotem* ipſius indigetat: Auctor vetuſtus vitæ eiuſdem Caroli à P. Pithœo editus *Pipinum* Vetulum *abauum* eiuſdem Caroli facit, cuius proauus erat: In veteri monumento à Sandouallio in vitâ Silonis Regis commemorato, Ordonius 2. Rex Legionenſis, Alfonſum Caſtum Regem *proauum* ſuum vocat, quem tamen lõgè à proauo abfuiſſe nemo neſcit: In alio vetuſto monumento, apud Franciſcum Diagum lib. 2. cap. 13. hiſtoriæ Comitum Barcinon. Berengarius Comes, qui anno 1024 viuebat, Guifredum abauum ſuum *atauum* appellat: voce etiam *proatauorum*, pro vlterioribus auis vſus eſt Baldricus Archiepiſcopus Dolenſis hiſtoriæ Hieroſolymit. lib. 2. Sanctius quoque Caſtellæ Rex, Ferdinandi Magni filius, in quodam diplomate æræ 1108, apud Anton. Yepes in Appendice Centuriæ 5. num. 46. proauum ſuum, Sanctium Comitem Caſtellæ, Cœnobij Oniæ conditorem, *atauum* vocat: Alfonſus Rex Caſtellæ huius nominis x, in teſtamento à ſe Hiſpali ærâ 1320 conſcripto, quod ipſius vitæ ſeu Chronico attextum eſt, nepotes ſuos Ferdinandi filij li-

beros ac Portugalliæ Regem, *pronepotis* vocabulo deſignat. Hunc, auitorum graduum impropriis nominibus exponendorum, abuſum in Scriptoribus Hiſpanis notauerat iam diù Antonius Yepes cuius verba Centur. 3. cap. 1. ſunt. *Y aſsi aquella dicion* Viſauus *no ſignifica ſolamente viſabuelo ſino otro grado mas antiquo que como en aquel tiempo la latinidat no eſtaua en ſu punto no ſabian dezir* abauus, tritauus, *ſino vſauan de vocablo mas comun para entender algun abuelo de los paſſados.* Anguſtiorem tamen, apud pleroſque Scriptores, nominum *biſaui* & *tritaui* ſignificationem fuiſſe obſeruaui, vt illud interdum pro auo, aliàs pro proauo, hoc verò pro proauo vel pro abauo ſumeretur; Primâ notione Alfonſus Caſtus Aſturum Rex, Pelagium Alfonſi Catholici *biſauum*, Theganus verò, in vitâ Ludouici Pij cap. 19. Carolum Martellum proauum eius, *tritauum* nominat: Eodem exemplo Rodulphus Glaber lib. 3. cap. 9. voce *trinepotis* Tebaldi Comitis Carnoteni nepotem vel pronepotem deſignauit: Butellerius vetus *Forenſium* ſcriptor Gallus cap. 39. illius libri, cui *Summæ Ruralis* titulum fecit, in arbore conſanguinitatis explicandâ, *Is ex aſcendentibus*, inquit, *qui tertium angulum vel cellulam occupat, dicitur proauus, & à clericis, id eſt à iuriſperitis vocatur tritauus.* In teſtamento autem Marthæ Inſulanæ Comitiſſæ Conuenarum, pridie Idus Decembris anno 1352 obſignato (quod in Tabulario Regio Toloſano latet) voce *tritaui*, abauum declarari fidem faciunt hęc illius teſtamenti verba. *Et cum hoc, pro prædictis Vicecomitatum Turenæ tangentibus prō honoribus perpetuis & aliis ipſius Vicecomitatus, in quantum potuit onerauit magnificum & egregium virum dominum Vicecomitem Turennæ, ac quoſcumque ſuos ſucceſſores ſingulariter honerauit, ad ſol-*

uendum debita & ſupportandum onera dicti Comitatus & ad ſatisfaciendum de eis omnibus in quibus dictum dominum Comitem virum ſuum quondam vt Comitem prædictum vel ſuos auum, proauum, tritauum &c. Ab hac vocum *biſaui* pro proauo & *tritaui* pro abauo acceptione, nihil diſcrepat hodiernus vſus earum linguarum quæ à Latinâ deriuatæ ſunt, Italicæ ſcilicet, Gallicæ atque Hiſpanicę; quarum prima proauum vocat *Biſabuelo*, altera *biſayeul* poſtrema *biſaguelo*; At pro abauo eædem linguæ vſurpant voces *triſabuelo*, *triſayeul* & *tercero aguelo*, nec vlla præterea nomina propria habent, quemadmodum Latina, quibus vlteriores parentes exprimere poſſint; Ideò nimirum quia iure Canonico (quo in hac parte vtimur) conſanguinitatis ratio inter aſcendentes eo gradu finem accipit, vt ab eodem Butellerio illo ipſo capite fuit obſeruatum. Sed quid tamdiù in conquirendis externis teſtimoniis laboramus, cum inſitis vti liceat & facultatem habeamus aduerſarios propriis authoritatibus conuincendi? Enimuerò illo ipſo diplomate Sanctij Ramiri Aragonenſis Regis, quo nos oppugnat Blanca, *tritaui* nomine ipſius abauum deſignari luce meridianâ clarius eſt: Cum enim decretum eſſet Regi illi, priuilegia à Maioribus ſuis Cœnobio Pinnatenſi irrogata, authoritate ſuâ firmare, & nouis etiam incrementis augere; illa primò commemorare inſtituit, & ab auo Sanctio Rege cognomento Maiore incipiens ſuperiorum nihilominus Regum his verbis commeminit, à *Sanctio* eiuſdem *Maioris* auo facto initio hoc modo. *Sanctius Rex auus meus Redemptoris noſtri opitulante clementiâ deuictis* &c. *Igitur inter cætera bonæ voluntatis ſuæ opera conſtituit in Monaſterio ſancti Ioannis Baptiſtæ de Penna, in quo humata ſunt auorum & proauorum ſuorum, meorumque nec-*

non patris mei & matris meæ corpora, congregationem monachorum, qui vt liberè Deo ſeruire poſſent, eis libertatis priuilegia dedit. Nam ipſos, ſucceſſoreſque eorum & locum cum omnibus Monaſteriis & villis & alodiis ſuo iuri pertinentibus facto priuilegio, ſecundum priuilegia Cluniacenſis Monaſterij ab omni iugo vel cenſu Regiæ, vel Epiſcopalis, vel alicuius Eccleſiaſticæ vel ſæcularis poteſtatis auctoritate Regali fauente & annuente Mantio Aragonenſi Epiſcopo, necnon Sanctio Pompelonenſi Epiſcopo liberos fecit & eidem loco venerabilem virũ Paternum Abbatem præpoſuit ſolique Deo ſeruire præcepit. Donationes verò præcedentium, Regum SANCTII *videlicet aui ſui, necnon &* VRRACÆ *Reginæ ſcilicet, &* GARSIÆ *patris ſui & domnæ* EXIMINÆ *matris ſuæ & quidquid idem locus dono vel cõparatione, vel cambio habebat, vel habere videbatur, auctoritate Regiâ confirmauit* XI. Kal. *Maij in Legerẽſi Monaſterio æra* MLXIII. *Quod priuilegiũ ipſe venerabilis Rex Sanctius manu propriâ confirmauit & patri meo venerandæ memoriæ Ranimiro Regi ad roborandum tradidit & cæteris filiis ſuis fratribus patris mei, videlicet Fredelando, & Garſiæ, & Guntiſaluo in conſpectu Sanctij Guilielmi Comitis de Guaſconiâ, necnon & Berengarij ...... Comitis de Barchinona corroborari fecit &c.* Ea deinde quæ hic generatim tantum attigerat, ſigillatim exponens, hæc ſubiicit: *Vt autem de libertate prædicti loci omnis amputetur contentio; Monaſteria quæ idem locus adquiſiuit temporibus præteritis nominatim expreſſi in hoc meæ auctoritatis priuilegio, timens ne per incuriam Abbatum vel negligentiam monachorum, priuilegia vel cartulæ eidem loco à fidelibus conceſſa depereant. Ideo hic recapitulando nomina: primò id eſt Monaſterium ſanctæ Ceciliæ, & Monaſterium ſancti Torquati, & Monaſterium ſancti Sebaſtiani, & Monaſterium ſancti Petri de Fonas, &*

Monaſterium

Monaſterium de Zerapuz: necnon Eccleſias & villas, id eſt Lechinta; & Giſſo; & Alaſtrue; & Martes; & Ena; & Segaral; & Ventayolo; & Legiſſo; & ſancto Petro de Oſtia & ſancto Petro de Medianeto; & Acenarlo & Bortata Berbues. Has omnes Eccleſias, Monaſteria & villas dedit Rex Sanctius cognomento Abarca tritauus meus, cum omnibus decimis & primitijs & oblationibus ſuis, & cum omnibus terminis, ſyluis, aquis, paludibus & paſcuis ſuis & molendinis cum exitu & regreſſu. Actum eſt hoc æra ŤXXVII *præſidente in ſancto Ioanne Tranſiniro Abbate & in Aragone Oriolo Epiſcopo.* Num clariùs exprimere potuit, hunc Sanctium Abarcam tritauum ſuum, non alium eſſe à Sanctij Maioris, aui ſui, auo? At enim ſi aliquis etiamnum hic ſcrupulus reſtaret (quod minimè credimus) ſatis, ni fallor, ad illum eximendum virium ſuppeteret æræ articulo illi diplomatis, quô de Sanctio Abarca, Sanctij Ramiri Regis tritauo agitur, adſcriptæ quæ numerum ŤXXVII, id eſt, milleſimum vigeſimum ſeptimum efficit; ea enim in ætatem Sanctij, Maioris, *aui*, non autem, *proaui*, incidit. Nec audiendus eſt Blanca dum notâ Ť, hoc loco, nongenteſimum annum ſignificari contendit, quando ea nuſquam in vetuſtis monumentis, niſi pro milleſimo numero poſita reperitur, vt norunt qui iis euoluendis operam dedere, teſtatumque reliquere Garibayus lib. 9. cap. 4. Morales lib. 16. cap. 30. & Sandouallius in vitâ Ferdinandi Gundiſſalui Caſtellæ Comitis: quin & in ipſius Blancæ libris, multa occurrunt antiqua diplomata, notâ illa Ť inſignita, adiectis etiam in vertice duobus apicibus (quale eſt illud quod in vitâ Ramiri 2. deſcripſit) in quibus nota illa, alij numero quàm milleſimo nulla ratione poteſt conuenire. Hoc ampliùs, apud eumdem Blancam, in illò diplomate Sanctij Ramiri, quod nunc

excutimus, eadem nota tribus varijs locis repetita viſitur: primum eô articulo, in quo loca ſeu pagi à Sanctio Abarcâ Rege Cœnobio Pinnatenſi donati enumerantur. Rurſus in eâ parte, quæ de beneficijs à Rege Sanctio Maiore in idem Cœnobium collatis agit. Poſtremò in fine diplomatis, vbi æra confectæ ſcripturæ declaratur, & in duobus quidem poſtremis articulis notam illam pro milleſimo numero ſumendam eſſe cum non diffiteatur Blanca; quis ferat ipſum, eidem tertio loco diuerſam & inſolitam notionem & poteſtatem, nullo valido fundamento, affingentem? Denique, ne Sanctio 2. *Maioris* auo, tributi ab ipſo Pinnatenſi Cœnobio beneficij, gratia pereat, teſtem in hanc rem edo Blancæ Ioannem Brizium Martinez Abbatem eiuſdem Cœnobij, cuius res illi, tanquam domeſticæ, maximè notæ fuere: Is enim pagos illos omnes, quos *Sanctius-Ramiri* à *Sanctio-Abarcâ* tritauo ſuo Cœnobio Pinnatenſi conceſſos illo diplomate teſtatur, liberalitati *Sanctij* 2. *Maioris* aui, non autem *Sanctij* 1. eiuſdem *Maioris* ataui acceptos refert. Brizij verba lib. 2. cap. 13. ſunt. *Las donationes que yo hallo deſte Principe* (loquitur autem de Sanctio 2. *Maioris* auo) *en fauor de S. Iuan de la Peña; en teſtimonio de ſu grande amor que tuuo à eſta caſa ſon muy magnificas y grandioſas y conſtan por inſtrumentos bien autenticos. En la primera, que la he viſto en el libro llamado de San Voto fol. 8. y en el Gotico fol. 2. monſtrando el Rey D. Sancho, y ſu muger doña Vrraca, que eſperan ſu propria ſalud y la de todos ſus fieles, y Reynos, por la interceſſion del ſanctiſsimo martyr de Chriſto S. Iuan, dizen; que le concedan las villas ſiguientes, con todos ſus terminos, drechos y iuriſdictiones para el ſuſtento de los Monges que viuian en eſta caſa.* Et paulò pòſt. *Los lugares que ofrecen eſtos Reyes ſon S. Cicilia, San*

Torquato, Lecueyta, Giſſo, Alaſtruè, Martes, Ena, Segaral, Bentaynelo, Legriſſo, S. Sebaſtian y S. Pedro de Hoſtias, S. Pedro de Fuebas, S. Pedro de Mayaneta, Izinarbe, Botartara, y Badaguaſſa, lugar que ya lo auia dado à eſta caſa, D. Sancho Señor de Aterès, y faltaua, ſu conſentimiento deſtos Reyes. Confirman tambien en el proprio acto la villa de Zarapuzo en Deyo, que es en el Reyno de Nauarra, junto à la ciudad de Eſtella, laqual confeſſan que la compro Ozaba Garcia y por ſu mandamiento la diò à S. Iuan de que luego tratarè. Su fecha deſte priuilegio y donacion tan magnifica en la era de 1027. De reliquo, cum ſerie illâ orationis, quam modò è diplomate Sanctij Ramiri Regis attexui, comprehendantur pagi, villæ ſeu latifundia vniuerſa à Sanctio Abarcâ Rege Cœnobio Pinnatenſi pietatis titulo conceſſa, neque inter ea vlla ſit mentio *Miramontis, Mianoſij, Traſberalis, Salinarum, Villæ-longæ, Fanyanarum, Ferreræ, Lucientis, Sangorrini, Gauaſij, Areniellæ, Muliermortuæ, Bayetolæ, Nouemfontium* & *Montannani*, quæ diplomate illo, quod æra 921 dicitur editum, piis Abarcæ erga illud Cœnobium largitionibus aſcribuntur, non modicè inde fides atque authoritas iſtius diplomatis (in quo cardinem ſuæ opinionis poſuiſſe videtur Blanca) eleuatur atque labefactatur: neque ex eo ſarciri aut integrari poteſt, quod præter villas & pagos iam memoratos *Martem* quoque, *Bahueſiũ* & *Huertolum* iis largitionibus annumerat idipsũ diploma, quæ à Rege pariter *Sanctio-Ramiri* inter munera ab Abarcâ Pinnatenſibus tributa recẽſentur: Hi enim tres pagi alio diplomate & diuerſo tempore, ærâ nimirum 1027 à Rege Sãctio 2. ipſis condonata fuerunt, vt teſtatur Çurita in Indicibus.

ALIÆ tabulæ, quas confirmandæ Blancæ, de duobus Regibus cognomẽto Abarcæ inſignitis, opinioni cap. 9.

lib. 2. adducit Brizius, cum eorum vis tota in explicatione notæ Ť conſiſtat, quam Brizius Blancam ſecutus de nongenteſimo numero interpretatur, nos contrà de milleſimo intelligendam docuimus, ex ſupradictis ſatis ſupérque refelluntur: nec iam quidquam aliud ſupereſt, niſi vt noſtras rationes exponamus, quibus freti vnicum fuiſſe duntaxat Regem *Abarcæ* nomine præditum, *Sanctium* nimirum *Garciæ* eius nominis 2. pronunciauimus, in quo id potiſſimum animaduerti operæpretium eſt cognomina hęc *Ariſtæ*, *Abarcæ* & ſimilia, ideo Nauarræ Regibus impoſita fuiſſe, vt ipſorum indicio à ſe inuicem diſtinguerentur, cui rei alioquin, nec nomina propria, nec etiam adiuncta iis patronymica ſufficiebant, cum vtraque pluribus Regibus communia contingerent. Itaque ſingulis proprium cognomen indere neceſſarium fuit; ſic inter plures Enecones vnicum *Ariſtam*, inter plures Garcias vnicum *Tremulum* & vnicũ *Najarenſem*, demũ è pluribus Sanctiis vnũ tantũmodo *Maiorem* vnũ *ſapientem*, & vnum *Inſeratum* ſeu *Incluſum* cognominatos comperimus; vnde concludere liceat vnicum pariter Sanctium *Abarcæ* cognomentum habuiſſe. Deinde omnium prorſus hiſtoricorum authoritas, qui ante Garibayum de rebus Nauarricis ſcripſerunt, à nobis ſtat: ij enim magno conſenſu vnum ſolum Regem cum Abarcę cognomine, in totâ illâ Nauarrorum Regum ſerie, agnoſcunt: & cum nonnulli eorum duos Reges Sanctij nomine ante Sanctium Maiorem ſtatuerint, priorem quidem ſolo patronymico nomine *Garciæ*, poſteriorem verò *Abarcæ* cognomento diſtinxerunt. Tertiò, Scriptor ille Anonymus Legerenſis, quem, in primis Regibus inueniendis & recto ordine collocandis, alios omnes ſuperaſſe antea oſtendi, poſtquam priorem Sanctium *Totæ* virum *Garſiæ* patronymico deſignauit, mox de

Sanctio-Garſiæ poſteriori *Vrracæ* marito ſermonem inſtituens, hunc vulgò *Abarcam* dictum fuiſſe nominatim declarat. Poſtremò validiſſimè omnium noſtram ſententiam firmat Rex Sanctius Maior diplomate quodam in gratiam primarię Pompelonenſis Eccleſię ęrâ 1045 confecto, quod exhibuit Sandouallius in Catal. Epiſc. Pompel. fol. 28. & 29, vbi cum de vtroque Sanctio primo inquam & ſecundo verba facienda eſſent alterum *Garciæ* ſeu *Garſeanis*, alterum *Abarcæ* cognomento diſcriminat his verbis. *Imprimis verò ipſam villam de Pampilonâ ab omni prorſus ſeruitio Regali liberam omnibuſque modis ab omni ſuggilatione Regali ingenuam cum omnibus ſuis terminis ac pertinentiis, quam Dompnus Rex Sanctius auus meus cognomine Abarca, ſanctique Stephani caſtrum cum ſuis villis vel ſuis Eccleſiis atque terminis, ſuiſque cunctis pertinētiis Deo & ſanctæ Mariæ abſq; vllâ contradictione ac malâ voce per redemptionem omniū peccatorum ſuorū donauerat &c.* Et paulò pòſt. *In Lõguida Monaſteriū ſancti Petri, quod eſt ſuper ripam cuiuſdam fluminis Sarazo, quod dedit Rex Sanctius Garſeanis cum coniuge ſuâ Totâ Aznarij cum omnibus ſuis adiacentiis & cum terris in villâ quæ dicitur Vli iuxta Oſſella, quæ ad Regem pertinebant &c.*

GARSIÆ-SANCTII Regi huius nominis 2° *Abarcæ* filio *Maioris* patri, *Tremuloſi*, hoc eſt *Tremuli*, cognomen tribuit Roderic. Toletanus: *Micayum* etiam appellatum fuiſſe innuere videtur Vetus diploma, à Sandouallio in Catal. Epiſc. Pompelon. commemoratum, à Sanctio Maiore huius Garcię filio in Legerenſi Cœnobio XII. Kal. Nouembris ęrâ 1053 obſignatum, cum in procinctu belli aduerſus Mauros *Vallis Funeſiæ* gerendi eſſet, vbi tamen *Antrayo*, pro *Micayo* legit Garibayus, quam vocem qui emundandam cenſent, proque eâ reponendum

Viſarium, quaſi de Vaifario Duce Aquitanię cogitauerit Rex Sanctius, iſq; inter Regis maiores ſtatuendus ſit, ridiculi ſunt. Garciam autem prȩter Sanctium filium, filiam quoque reliquiſſe, didici ex epiſtolâ *Oliuæ* Auſonenſis Epiſcopi, apud Brizium lib. 2 cap. 26. quam ad Sanctium Regem puellę fratrem ſcripſit, cum is, de ipsâ Veremundo Imperatori Legionenſi in matrimonium collocandâ, deliberaret. Garcię regnum in annum 1005 perduraſſe perſuadere nititur Brizius ex fide veteris monumenti Cœnobij Pinnatenſis, ſed corruptam eſſe illius æram arguunt pleraque diplomata ipſius filij *Sanctij Maioris* annis 999 & 1001 Pompelonenſis & Aragonenſis Regis titulo emiſſa, teſtibus Sandouallio & Garibayo: Eximenam verò Garſiæ vxorem longè plus ætate proceſſiſſe probat hoc monumentum Sanctij eius filij: quod è tabulario Pompelonenſi deprompſi.

IN *Chriſti nomine &c. Sit notum cunctis quod ego Sanctius Rex vnà cum matre mea Eximinâ Reginâ & vxore meâ Dompnâ Maiore filia Sancty Comitis bono animo & ſpontanea voluntate per nos & omnes ſucceſſores noſtros ob remedium animarum noſtrarum & parentum noſtrorum damus & concedimus Domino meo & eius glorioſæ Virgini genitrici Mariæ & Monaſterio S Ioannis de* Pinnâ *in Aragonia prouincia villam de* Liçagorriâ, *cum omnibus territoriis, &c. Facta chartà donationis & conceſſionis pagina in Pampilona æra* MLXII *regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto .... Ego Sanctius tenens poteſtate in ... Pampilona & in Aragonia in Suprarby & in Ripacurcia in Nagera, in Caſtella & in Alaua ...... & nos filij Regis Fernandus, Garſias, Gundiſſaluus Ramirus præſentes ibi fuimus & manibus propriis hæc ſigna fecimus.... Sanctius Guillelmus Comes de Gaſconia teſtis & confirmans Belengarius Comes Barchinonenſis teſtis & confirmans Mancius Epiſcopus Aragon. &c.*

Alterum ſtemma quod poſteros Sanctij Maioris exhibet vſque ad Sanctium vltimum, cui Incluſi cognomen fuit.

CAPVT XIIII.

Sanctius Maior: *Vxor Maiora Munia Dona.*

- Garſias Rex Nauarræ. *Vxor* 1. N. *Vxor* 2. Stephania.
- Ramirus.
- Ferdinandus Rex 1. Caſtellę.
- Gundiſſaluus Rex 1. Suprarbij & Ripacurciæ.
- Ramirus ex N. *Ayuarij domina* Sãctij Regis filius naturalis Rex 1. Aragonum.

- Sanctius. *Vxor* Conſtantia.
- Mécia *Vxor* Fortunij Ochoæ *domini Camerorum.*
- Sanctia.
- Sanctius Rex Nauarræ. *Vxor* Plaſencia.
- Ramirus *dominus Calagurris & S. Stephani.*
- Ferdinandus.
- Raimundus.
- Eximina.
- Maiora.
- Vrraca *Vxor* Garſiæ Ordonij.
- Ermiſſenda *Vxor* Fortunij Sanctij.
- Sãctius-Ramiri Rex Aragoniæ & Nauarræ. *Vxor* Felicia filia *Hilduini* Comitis Rocienſis.

- Garſias.
- Garſias.
- Vrraca.
- Raimũdus, *ex cõcubina* Eximena, Sanctij Regis fili'.
- Ramirus *Mõtiſonis dominus. Vxor* Chriſtina filia Roderici Biuarij.
- Petrus Rex Aragon. & Nauarræ. *Vxor* Agnes Guidonis Pictauiæ Comitis fil.
- Alfõſus poſt fratrẽ Rex Aragon. & Nauarræ. *Vxor* Vrraca Caſtellæ Regina.
- Ramir' poſt Alfonſum fratrem Rex Aragoniæ tantum.

- Alfonſus-Ramiri dominus *Caſtri-Veteris.*
- Garſias-Ramiri Rex Nauarræ poſt Alfonſum Aragoniũ. *Vxor* 1. Margarita Iulianæ Rotholdi Comitis Perticarum ſororis filia. = *Vxor* 2. Vrraca filia Alfonſi Hiſp. Imp. — N. Concubina Garciæ Ramiri.
  - Sãctia, *Vxor* 1° Gaſtonis Vicecomitis Bearñ deinde Petri Molinæ Comitis.
  - Rodericus alias Hẽricus Comes Montis Cauſi in Siciliã.

- Sanctius dictus *Sapiens* Rex Nauarræ, *Vxor* Sanctia Alfonſi Hiſpaniæ Imperatoris filia.
- Sanctia: *Vxor* Sanctij Deſiderati Caſtellæ Regis.
- Margarita, *Vxor* Guilielmi Regis Siciliæ.

- Ferdinãd'. Obiit ante patrẽ.
- Sanctius Rex Nauarræ cognomento *Incluſus, Vxor* Clementia R. Comitis Tholoſani filia.
- Berengaria: *Vxor* Ricardi Regis Angliæ.
- Conſtancia.
- Blanca, *Vxor* Theobaldi Comitis Campaniæ.
  - Theobaldus Rex Nauarræ poſt Sanctium auunculum.

'SANCTIVM Maiorem Regem, præter Ranimirum Aragonenſem Regem, alium filium eiuſdem nominis habuiſſe, probat fusè Sandouall. in Commentar. Mon. ſancti Æmiliani, cuius cum in poſterioribus Sanctij aut aliorum monumentis nulla occurrat mentio, ipſum patre ſuperſtite obiiſſe veriſimile eſt. Vixit Sanctius ad annum vſque 1304 aut 1305, *Maiora* verò *Munia* ipſius vxor multò longius vitam perduxit.

GARCIÆ mortem (qui *Sanctio* patri in Regno Nauarræ, matri verò *Maiori Muniæ* in parte Comitatus Caſtellæ ſucceſſit) anno 1504 contigiſſe in loco *Ataporcâ* dicto, prœlio exitiabili cum fratre Ferdinando Caſtellæ Rege inito, docent pleraque vetera monumenta. Dies etiam obitus ſcilicet Kal. Septemb. notatur, quibuſdam tabulis Cœnobij Pinnatenſis apud Brizium lib. 2. cap. 35. Nomen interfectoris nullus expreſſit præter Authorem libri quem *Tumbum nigrum ſancti Iacobi* dicunt, è quo hæc verba affert Sandouallius in vitâ Alfonſi VI. Caſtellæ Regis *Era* 1093. *Occiſus eſt Rex Garſias depugnans cum fratre ſuo Rege Ferdinando in Ataportâ à quodam milite ſuo Sancio Fortuniones quia fœdauerat vxorem eius: iſte ædificauit Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Nagerâ.* Cauſam verò fraterni belli paucis attigit Author Chronici Malleacenſis MS. ad annum 1058. *His diebus*, inquit, *ita euenientibus apud Hiſpanias geſtum fuerat horribile bellum inter Freelandum & Garſionem ſupradictos fratres, qui pro Regno Hiſpaniæ inter ſe inuidentes magnum certamen habuerunt & Regnum ſanguine fuſo ſuperante Freelando deformiter diuiſerunt. Nam Garſio occubuit & ei omnia nolens reliquit.* Garciam autem matri in parte Comitatus Caſtellæ ſucceſſiſſe dixi contra omnium ferè qui hactenus de his rebus ſcripſere ſentētiam, ductu complurium veterum tabularum

bularum quæ illum in *Caſtellâ Vetulâ* vſque ad fluuium *Arlançonem* regnaſſe referunt, nec deſunt aliæ quæ eius eius Regni limites *Zamoram* vſque promouent, legendi Sandouallius in Comment. rer. S. Æmil. §. 46, 48 & 50. & Antonius Yepes in append. tom. 1. num. 23. tom. 3. num. 32. & tomi 4. numero 21. Ipſe Garcias celebri diplomate, quo *Najarenſis* Monaſterij inſtitutio continetur, his verbis Regni ſui fines declarat. *Eſt autem data & Deo oblata, ſe voluentibus temporum recurſibus anni æræ milleſimæ cum ſupputatione nonageſimæ, die verò ſecundo Idus Decembris Luna verò quartâ diebus ex actis diarychi regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum Amen. Sub eius autem imperio Rege iam prædicto Garſia, qui hoc teſtamentum fieri iuſſit regnante in Pampilona, in Alaua & in* Caſtella Vetula *vſque* Burgis *& vſque in* Briciam, *& optinente* Cutellium *cum ſuis terminis in* Aſturijs. *Fratre verò eius Ferdinando Rege in Legione & in Burgis, & Ranimiro Rege eorum fratre in Aragone.*

In Garciæ Regis & Stephaniæ liberis inueniendis non multùm nobis laborandum fuit, proſtant enim eorum nomina, tam in tabulis teſtamenti Stephaniæ, quas nuper Sandouallius in Catalog. Epiſc. Pompel. vulgauit, quam in ipſius Garſiæ diplomatibus, vnô præcipuè, quo Cœnobium ſancti Martini *de Caſtiello* dictum Eccleſiæ beatæ Mariæ Pompelonenſi largitur. Huius poſtrema verba, prout in Tabulario Regio Pompelonenſi leguntur, ſunt. *Omnes filij mei & principes Regni mei laudantes confirmant.*

Domnus Sancius filius meus teſtis confirmat.

Fernandus Rex Galiciæ frater

Iohannes Epiſcopus teſtis confirmat.

Fortunio Epiſcopus confirmat.

Munio

ter meus confirmat.
Infans Ramirus filius meus confirmat.
Remirus Rex Aragoniæ frater meus confir.
Infans Raimundus filius meus confirmat.
Infans Ermiſſenda filia mea teſtis confirmat.
Munio Epiſcopus teſtis confirmat.
Gutierr Gutierris confirmat.
Dompnus Petrus Abbas confirmat.
Galindo Galinez confirmat.
Deinde omnes optimates palatij mei laudant & confirmant.

Actum publicè apud Nageram regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in cœlo & in terra & ſub eius imperio ego Garſias filius Sanctij Regis in Pampilona & in Nagera in Alaua & in Caſtella Vetula in æra M.LXXXVII. X. Kal. *Maij Luna octaua.*

CVM præter eos liberos qui in tabulis teſtamenti Stephaniæ Reginæ enumerantur, Garſiam alios etiam habuiſſe exploratiſſimum ſit, *Menciam* ſcilicet & *Sanctiam*, ex aliâ ipſas coniuge natas fuiſſe conſequens eſt. Adiuuat hanc coniecturam coniugium *Ferdinandi*, Garciæ fratris, cum *Sanctiâ* Veremundi Legionenſis Regis ſorore, quod multis annis nuptias Garſiæ & Stephaniæ præceſſit. Cum has paulò ante 1040um annum celebratas fuiſſe, ex tabulis donationis propter nuptias à Garſiâ factæ, quæ à Sandouallio editæ ſunt, & ex aliis item tabulis, ab eodem Garciâ, è re Cœnobij Pinnatenſis conſcriptis, apud Brizium lib. 2. cap. 35, colligere haud difficile ſit. Nam ſi ad temporis nondum Garſias vxorem vllam duxiſſet, quis dubitat quin Ferdinando fratri natu minori, in matrimonio Sanctiæ iure anteponendus fuerit? *Menciam* autem, & *Sanctiam* Garciæ Regis filias fuiſſe probant affatim ea quæ ex vetuſtis monumentis referunt Moral. lib. 11. cap. 74. Sandouallius in Catalog.

Epiſcop. Pompelon. fol. 65. in comment. Monaſterij S. Æmil. §. 52. & in vita Sanctij 1. huius nominis Caſtellæ Regis fol. 31. Ad hæc, cum pariter, extra Sanctium, qui Penaleni obiit, alium Garciæ Regi fuiſſe eiuſdem nominis filiũ à Roderico Toletano, Carolo Principe & aliis non exigui nominis authcribus ſit proditum, extare quoque in Monaſterio Najarenſi duos tumulos Garciæ Regis filiorũ, quorum vtrique Sanctij nomen fuerit, teſtetur Antonius Yepes tom. 3. cent. 4 cap. de Monaſterio Hiraxenſi, religio mihi fuit illum omittere; maximè cum nonnullis vetuſtis monumentis, Sanctio, qui poſtea occaſione obitus ſui *Penalenius* dictus eſt, Nauarræ ſceptrum tenente, *Sanctium infantem* vixiſſe, nec vixiſſe solùm, ſed antequam Sanctius Rex Plaſentiam in matrimonium duceret, illum *Conſtanciam* vxorem habuiſſe eliciatur: & cum nihilominus, nullà eius, inter cęteros liberos, in teſtamento Stephaniæ Reginæ mentio fiat, non malè, meâ quidem ſententiâ, ipſum priori Garſiæ coniugio adiudicauimus. Sed ne in re incertâ atque abditâ de meo ſenſu iudicare videar, placet hic verba Sandouallij è Catal. Epiſc. Pompelon. fol. 60. adſcribere. *El Infante don Sancho, de quien ay memoria en vna donacion que en la era* 1095 *hizo el Rey don Sancho el noble, luego que començo à Reynar, dando vn Monaſterio llamado ſan Miguel, à Sancho Fortuniz que eſte Cauallero dio à ſan Prudencio, Reynando don Sancho en Pamplona y Najara, Obiſpo de Iruñea Ioan, ſe firma*, Infans dono Sancio teſtis, *vxor eius* Dona Coſtança. *Y pues eſtaua caſado, mayor deuia ſer, que el Rey ſu hermano que no lo eſtaua en eſte año. Del meſmo Infante ay noticia, en vna carta de venta del Monaſterio de Hyrache, fecha Era* 1097. *Vno de los teſtigos della es* Infans donus Sanctius filius Garſiæ Regis. *Y dize*

que Reynaua don Sancho en Pamplonâ, Najarâ: y en otros papeles del Monaſterio de Hyrache, que ay haſta la Era 1104, ay memoria deſte Infante y que tenia el Señorio de Eſſaue. *Entiendo es eſte Infante à qui en hizieron pedaços los Moros, con otros Caualleros Caſtellanos, en el fuerte Caſtillo de Rueda, como digo en otro lugar. Ermiſendam* vel *Ermenegildam* Garſiæ Regis filiam, aliâ matre quam *Stephaniâ* fuiſſe editam credidit Sandouallius, quaſi in Stephaniæ teſtamento præterita fuerit, in quo diſſidet à Garibayo, qui lib. 22. cap. 35. Stephaniam *Ermeſildæ* ſeu *Ermiſendæ* filiæ *Villam Medianam*, & *Martes* eodem teſtamento legaſſe teſtatur. Huius itaque fidem ſequuti *Ermiſendam* inter Garſiæ & Stephaniæ liberos numerauimus.

Aragonensis Regni exordia, à *Ramiro* Sanctij Maioris filio, duxerunt hactenus vniuerſi Hiſpanicarum rerum ſcriptores, ſed Hieronymus Blanca, vt maiorem illi antiquitatis laudem conciliet, ea altius à *Sanctio-Garſiæ* primo huius nominis, Eneconis Ximenonis *nepote* repetit, quæſito colore ex eo quod in quibuſdam ipſius, vt putat, actis & monumentis non Pompelonēſis tantum, ſed etiā Aragonenſis Regis titulo vtatur: verùm ea monumenta non ad illum Regem, imò ad *Sanctium-Garſiæ* 2. Eneconis Ximenonis *abnepotem* pertinere iam docui. Nolim tamen negare Sanctium 1. *Aragoniâ* potitum fuiſſe, cum id diſertè teſtetur Belaſco: enimuerò eam Garſiæ filio, Regio nomine, vtendam fruendam reliquiſſe crediderim, ſummo imperio ſibi recepto: quâ lege etiam Garſiam, poſtquam Pompelonenſe Regnum adeptus eſt, eâ Sanctio filio, Sanctium verò, patre mortuo, Gundiſſaluo filio natu minori ceſſiſſe comperio; ita vt nihilominus Aragonia non tam Regnum proprium

atque abſolutum, ſub iis Regibus, quàm Pompelonenſis Regni pars ac portio quædã cenſenda fuerit, quemadmodũ Najera atque Alaua, quæ ditiones pariter Regni titulo erant condecoratæ. Cum itaque *Ramirus* Maioris filius primus omnium Aragoniam, nullâ in re Pompelonenſibus Regibus obnoxiam, Regni nomine, optimo iure, à ſe ſuiſque poſteris poſſidendam, à patre acceperit, vanum & abſurdum iudico aliam iſtius Regni ſtirpem quærere.

Hoc loco Ioannes Brizius aduerſus Garibayum & alios, qui Ramirum nequaquam fuiſſe legitimo Sanctij Majoris matrimonio prognatum, ſcriptum reliquere, ſummâ contentione certat; ipſe autem prolixâ oratione perſuadere conatur, iuſtas inter *Sanctium* & *Cayam*, (quam Ramiri matrem eſſe affirmat) interueniſſe nuptias proindéque Ramirum etiam in Pompelonenſi Regno tanquam maximum natu Garciæ fratri anteponendum fuiſſe. Vnde tandem colligit *Garſiam* eiuſque poſteros Regnum illud contra ius faſque occupaſſe. Antequam Brizij in hac diſputatione rationes exequar, illud notare conſentaneum eſt, temerè & malignè ab hoc ſcriptore *Sanctium Maiorem*, inſignẽ iuſtitiâ & pietate Principem, in iniuſtitiæ crimen vocari; quaſi nouercalibus blanditiis delinitus filium natu maiorem, ex priore matrimonio ſuſceptum, auito Regno deturbarit, ipſum quoque Garſiam falsò appetiti, vique & armis occupati alieni Regni reum fieri: Nam etſi concederemus Brizio verum & legitimum inter Sanctium & Cayam interceſſiſſe matrimonium, minimè tamen inde efficeretur Pompelonenſe Regnum ad Ramirum pleno iure ſpectaſſe. Si licuit aliquando illius Regni Proceribus, præteritis Regis defuncti liberis, alium Regno præficere, quod in Garſiâ-

Ximeni, in Sanctio-Garſiæ primo, & in Sanctio-Ramiri factum nouimus, idémque ſæpius in Legionenſi ſeu Aſturum Regno obſeruatum fuiſſe docuit Morales lib. 13. cap. 10. lib. 16. cap. 1. & alijs locis, Quidni liceret Nauarris, adnitente præſertim ipſo *Sanctio Maiore* Rege, aut Regi aſſentiente populo, quemcumque ex liberis adminiſtrando Regno maximè idoneum iudicaret, illud ipſi permittere? Noui ne res hæc exempli fuiſſet, quæ ſæpius apud alias etiam gentes locum habuit? Salomonem à Dauide parente, Adoniæ natu maiori filio in Regno prælatum fuiſſe, docent ſacræ literæ 3. Regum cap. 1. & 2. Idem Abiamo Roboami filiorum natu minimo patrem indulſiſſe legitur 2. Paralip. cap. 11. Ptolomæum Ægypti Regem filio ætate inter liberos poſtremo Regnum tradidiſſe, eiuſque rei populo rationem reddidiſſe, cuius non minor fauor in accipiendo, quam patris in tradendo Regnum fuerit, teſtatur Iuſtinus lib. 16. Perſeus Philippi Macedonum Regis filius natu maior cum in dies magis cerneret, inquit Liuius, Decad. 4. lib. 10. fauorem dignitatémque Demetrij fratris apud Macedonum multitudinem creſcere & gratiam apud Romanos, ſibi ſpem nullam Regni ſupereſſe, niſi in ſcelere ratus, ad id vnũ omnes cogitationes intendit, tantumque profecit calũniis & malis artibus, vt breui fratris nece & exitio potitus ſit. Idq; ius demũ vniuersè Regibus omnibus eſſe, vt quemlibet è liberis, nullâ ætatis habitâ ratione, ſibi ſucceſſorem in Regno deſignare liceat, dictauit magni nominis Iuriſconſultus Baldus in proëm. Decretal. Gregorij: Quin etiam, citrà paternum iudicium atque optionem, ipſo iure, filium, patre Rege natum, fratri, parente nondum Regni gubernaculis admoto, progenitô in Regno præferendum eſſe, viſum eſt pleriſque

non imi ſubſellij Doctoribus, quos recenſet Antonius Corſet. tract. de poteſt. Regali 3. parte quæſt. 26. Vnde apud Sigebertum ad annum 939 *Euerardus* & *Giſlebertus* ſuadent *Henrico* fratri *Othonis* Regis vt Regnum capeſſat, ſibi patre Rege nato potius debitum, quam Othoni patre priuato, necdum Rege procreato. Huius etiam rei illuſtre exemplum extat in Darij Perſarum Regis liberis: Ex his, ait Iuſtinus lib. 2. Arthemenes maximus natu, ætatis priuilegio Regnum ſibi vindicabat, Xerxes controuerſiam non de ordine, ſed de naſcendi fœlicitate afferebat: Nam Arthemenem primùm quidem Dario, ſed priuato proueniſſe, ſe Regi primum natum; fratres itaque, qui ante geniti eſſent priuato, priuatum patrimonium quod eo tempore Darius habuiſſet, non Regnum ſibi vendicare poſſe. Hoc certamen, concordi animo, ad patruum ſuum Artaphernem veluti ad domeſticum iudicem deferunt, qui domi cognitâ cauſsâ, Xerxem præpoſuit: adeòque fraterna contentio fuit, vt nec victor exultauerit, nec victus indoluerit, ipſóque litis tempore inuicem munera miſerint & iucunda quoque inter ſe, non ſolum credula conuiuia habuerint: iudicium quoque ipſum ſine arbitris, ſine conuitio fuerit. Scio quidem hoc Artaphernis iudicium non omnibus probatum fuiſſe, ſed quid tum, ſi illud Nauarris de ſucceſſore in Regno Sanctio Maiori deligendo deliberantibus placuit? Idcone fas erit Brizio ea quæ à maioribus certo iure, nec ſine graui exemplo, acta ſunt calumniari, moroſamque litem, in Regiâ familiâ, paterno arbitrio compoſitam & fraterno aſſenſu atque approbatione extinctam tanto interuallo retractare? Hunc autem Brizij conatum, eò audaciorem iudicatum iri præſentio, ſi ipſe in eâ, quam in ſe recepit, legitimorum Ramiri natalium

demonſtratione defecerit, quò præter Garibayum & Sandouallium, quos nominatim exagitat, alios quoque authores magni nominis in hac lite habet aduerſos, ſcilicet Lucam Tudenſem, Rodericum Sanctium, Palentinum, Alfonſum Carthagenenſem, Raphaëlem Volaterranum, Michaëlem Ritium & ipſum quoque, ni fallor, Rodericum Toletanum.

ARGVMENTA autem quæ aduerſus receptam tot ſæculis ſententiam & conſtantem tot diuerſorum authorum teſtificationem affert Brizius, talia ſunt, vt eludi à quouis nullo negotio poſſint. Primò enim, etſi id prorſus verum eſſet, vt ille iudicat, liberos tantùm legitimos Regum, diplomatibus parentum nomina ſua adſcribere conſueuiſſe, cum Ramiri nomen, in iis quæ ſuperſunt Sanctij Maioris monumentis, frequens occurrat, id tantùm inde ſequeretur Ramirum liberorum Sanctij legitimorum iura adeptum fuiſſe, quod nullo modo inficiamur, cum etiam à nouercâ Regis vxore, in gratiam defenſæ ipſius pudicitiæ, ſolemni more adoptatum & Aragoniæ inſuper ditione, quæ Reginæ titulo donationis propter nuptias euenerat, impertitum fuiſſe, tam Roderici Toletani & Hieronymi Çuritæ, quàm aliorum hiſtoricorum ſcriptis fuerit celebratum. Alterum Brizij argumentum eſt, Iacobum I. Aragoniæ Regem in Nauarræ Regno, mortuo Sanctio Rege huius nominis vltimo, ius ſibi vendicaſſe, non tam ratione adoptionis, inquit, quæ inter vtrumque Regem celebrata fuerat, quam ex eo quod Alfonſo Aragonum & Pompelonenſium Rege mortuo, Regnum illud iniquè & contra ius faſque ipſius fratri & hæredi Ramiro 2. ademptum ac Garſiæ Ramiri delatum fuiſſe aſſerebat: Nam vnde hoc, ait, niſi quoniam prærogatiuâ natalium, ad Ramirum I. eiuſque

eiuſque ſucceſſores Regnum illud ſpectaſſe cenſebat? Peſſimè hic arguit Brizius, ſi enim ea fuiſſet mens Iacobi Regis, num ipſe ius ſuum potius à Ramiro 1. repetiiſſet, quam vel ab Alfonſo, vel à Ramiro 2, prout eum feciſſe authores ſunt quicumque res geſtas ipſius ſcripſerunt? Ideò autem Ramiri 2. ius iactabat Iacobus, quia, electo in Regem à Nauarris Sanctio-Ramiri Aragonenſi Principe, Regnum illud, ab illius liberis, nouâ eiuſdem populi electione, auferri non potuiſſe contendebat. Ingerit deinde Brizius, Epitaphium *Cayæ*, Ramiri, vt aſſerit matris, quod inter veteres tumulorum Pinnatenſis Cœnobij inſcriptiones ſe reperiſſe ait hac ſerie verborum. *Hic requieſcit famula Dei domna Caya Sanctij Imperatoris prima vxor & Regina.* Mirum ſanè nemini hactenus de hoc Epitaphio quicquam ſuboluiſſe, illud etiam Çuritæ & Blancæ diligentiam (qui illius Cœnobij monumenta acuratè inueſtigarünt) fefelliſſe: ſed id magis mirum, cum antehac *Didacus Xuares* illius Cœnobij Abbas, vniuerſa epitaphia Principum, præcipuè verò Sanctij Maioris eiuſque liberorum atque vxoris etiam *Maioræ* luſtraſſet, eaque deſcripta viro cuidam inter Eccleſiaſticos primario, amico ſuo miſiſſet, à quo deinceps Anton. Yepes, tomo 3. Chronici Benedict. inſerenda accepit, nullam tamen iſtius Cayæ tumuli inibi memoriam extare & hunc ſolum fuiſſe qui Abbatis illius oculorum aciem effugerit. Præterea titulus *Regis* atque *Imperatoris* Sanctio in illo epitaphio Cayæ additus, quid aliud ſignificat, quam ipſum conſecutis ſæculis fictum ac compoſitum fuiſſe? Cum enim, teſte Brizio, anno tantùm 1005 Sanctius regnare cœperit, Imperatoris autem elogium poſteriùs à rebus geſtis conſecutus fuerit, vtroque titulo illum caruiſſe tempore obitus Cayæ eui-

dens eſt, quippe anno illo non *Cayam* ſed *Muniam* poſteriorem, vt putat Brizius, vxorem, in coniugio habuit; nam anno 1022, liberi ex eâ ſuſcepti paternis actis celebrantur, tanquam præſentes, & iis conſenſum atque authoritatem adhibētes; quod eos iam tum adultos aut ſaltem puberes fuiſſe perſpicuè demonſtrat. Sed demus hoc Cayæ epitaphium, non recens compoſitum, ſed multis ante ſæculis in eo Cœnobio inſculptum fuiſſe; nunquam tamen inde efficiet Brizius, vt Ramirus pro legitimo Regis Sanctij filio habeatur, cum *Cayam* ipſius matrem eſſe nullo modo conſtet. Sed contrà nonnulli *Eluiræ* (vt Marinæus & Tarapha) alij *Vrracæ* (vt Gaubertus & Beuterus) nomen ipſi tribuant. Addit Brizius Ramirum in omnibus ferè vetuſtis tabulis, quæ ipſius meminere, Sanctij Regis *Prolem* dici: *Prolis* autem vocem, non niſi legitimis liberis applicari poſſe. Verùm in hoc quoque falli illum certum eſt, cum vox *Prolis* non minus naturalibus liberis, quam legitimis denotandis adhibeatur, vt patet ex l. diui Conſtantini 5. & Authen. Præterea Cod. de natur. lib. Sic etiam Seneca in Medeâ *Bacchum* Iouis filium ex adulterio *Semeles* procreatum, qui è matris, fulmine exuſtæ, vtero eductus fuerat *prolem fulminis improbi* vocat, & in vetuſto monumento æræ 1053, cuius meminit Sandouallius in vitâ Ramiri 2. *Rauſendus* huius Ranimiri, ex *Artigiâ* concubinâ Maurâ, filius, *proles* ipſius nuncupatur. Audet præterea Brizius ſibi aſſerere ſuffragium omnium hiſtoricorum, tam indigenarum, quàm exterorum, quos tamen illi vniuerſos ferè aduerſari ſupra dixi, & ex eorum verbis hic inſerendis patebit. Lucas Tudenſis de *Sanctij Maioris* liberis agens. *Dedit etiam Ramiro, quem ex concubinâ habuerat, Aragonem quamdam ſemotam Regni ſui particu-*

lam, ne fratribus eo quod materno genere impar erat quaſi Regni hæreditarius videretur. Et paulò poſt. *Rex verò Garſias poſtquam ſolutis Deo votis Româ rediit & obitu patris percepto, Pompelonenſi prouinciæ appropinquauit, audiuit Ramirum fratrem ſuum ex concubinâ ortum, ſuper Regno ſibi inſidias tendere.* Alfonſus X. Caſtellæ Rex parte 3. hiſtor. gener. Ramirum vocat *fillo de barragana*, id eſt concubinâ genitum. Rodericus Sanctius parte 3. cap. 25. hiſtoriæ Hiſpanicæ, quam Henrico 4. Caſtellæ Regi dicauit. *Hic Sanctius*, inquit, *ex dictâ Eluirâ genuit Garſiam, & ex concubinâ Ramirum baſtardum.* Alfonſus à Carthagenâ Epiſcopus Burgenſis, in Anacephaleoſi Regum Hiſpaniæ, quam eodem Henrico Rege ſcripſit cap. 72. *Sanctius Rex Nauarræ dictus Maior, filius Garſiæ Tremulenti Regis Nauarræ, genuit ex Eluira filia Sanctij Comitis Caſtellæ vxore ſua, duos filios, Garſiam & Fernandum, & ex concubina alium qui dictus eſt Ramirus.* Et eodem capite. *Diuiſit autem dominia ſua & Nauarram dedit Garſiæ primogenito, Caſtellam Fernando ſecundo genito, Aragoniam Ramiro baſtardo, qui primus in Aragoniâ Rex vocatus eſt.* Volaterranus lib. 3. Geographiæ de Sanctio Maiore. *Tres*, inquit, *hic liberos ſuſcepit, Ferdinandum cui Caſtellæ, Garſiam, cui Nauarræ, ac Ramirum ex concubina, cui Aragonenſe Regnum dimiſit.* Mich. Ritius lib. 3. de Reg. Hiſp. *Poſt quem* (id eſt Garſiam Tremulum) *is qui dictus eſt Maior, vt propoſuimus, quique ex iuſto Eluiræ connubio Ferdinandum Garſiamque ſuſcepit ex pellice Raymirim.* Mariana lib. 8. de reb. Hiſp. cap. 13. *Erat Regi* (id eſt Sanctio Maiori) *filius ex impari matre quam alij Vrracam, alij Cayam nominant, Principi in Vaſconibus loco, Ramirus nomine.* Et infra eodem capite. *Regina Procerum precibus fatigata & filiorum lachri-*

mis victa, veniam hac lege dediſſe traditur, vt Ramiro pretium operæ atque defenſæ innocentiæ merces eſſet Aragoniæ Regnum, in quo natalium vitium eximia virtus & fides compenſarent. In eadem quoque fuiſſe ſententiâ Rodericum Toletanum palam eſt: Vnicam enim tribuit vxorem Sanctio Maiori, Sanctij Caſtellæ Comitis filiam, Garſiæ ac Ferdinandi matrem; De Ramiri verò natali agens, ex illuſtri fœminâ Ayuari dominâ, Sanctio natum fuiſſe dicit, nec ipſam vſpiam, Sanctij *vxoris* nomine dignatur. Soli itaque Aragonenſes ſcriptores (vt obſeruauit Vaſæus) Ramirum legitimum Sanctij filium prædicant: nec ij tamen omnes, Çurita enim & Blanca vnicam aſſignant Sanctio vxorem Caſtellæ Comitis filiam. Ad extremum veteres producit Brizius tabulas, quibus teſtatum faciat, Ramirum ius ſibi in Pompelonenſi Regno arrogaſſe, ſed iis tabulis nuſquam apparet, illum, excluſo Garſiâ fratre, totum Pompelonenſe Regnum ſibi vendicaſſe, ſed partem tantùm aliquam, nomine fortaſſe legitimæ portionis, quæ ei, licet non iuſto matrimonio nato, in hæreditate paternâ competebat. Aragoniam enim, vt diximus, beneficio nouercæ acceperat. Iure autem veteri Romanorum filij naturales, legitimis non extantibus, totam ex aſſe hæreditatem paternam petere poterant, iis verò extantibus, ſimul cum ipſis, pro ratâ portione ſuccedebant, l. Lucius Titius 45. de vulg. & pupil. ſubſt. & l. qui filium libertinum ff. de iur. delib. & tametſi poſtea, Imperatorum conſtitutionibus, iis legibus derogatum fuerit, in Nauarrâ tamen ius vetus manſiſſe fidem facit Codex legum illius Regni, vulgò *Forus*, cuius lib. 4. cap. 4. tit. de *criar fijos* verba ſunt. *Si alguno obiere fillos ô fillas de ganancia otorgando el padre ques ſuyo quando tetare, ſi la madre*

criar ſelo quiere deue li dar el padre ſoldada de nodriza ſegun la villa o tierra o fuere &c. Et in fine ſubdit. *Et eſta creatura deue partir con las otras creaturas daqueyl padre & ſi no obiere otra creatura debe lo todo heredar.* Vt autem eorum, quæ iam dixi, fides conſtet, ſcilicet Ramirum ius ſibi, non in toto Regno Pompelonenſi, ſed in aliquâ tantùm eius parte aſciuiſſe, eaque acceptâ, controuerſiam omnem dimiſiſſe, Garciæque fratri, reſiduum Regni per ſe habere licere ſpopondiſſe, profero verba earum tabularum, quibus Brizius innititur, ex ipſius lib. 2. cap. 24. *Ita iuro, ego Ranimirus, proles Sanctionis Regis, tibi germano meo Domino, Garſiæ, per Deum patrem omnipotentem, & per beatam Mariam Virginem, & per Angelos & Archangelos, & per duodecim Apoſtolos, & per Martyres & Confeſſores, & per omnes Sãctos Dei, vt de iſtâ horâ in antea, non requiram contra tuam partem, plus terram, niſi iſtam, quam pater meus mihi donat & ſupra eſt ſcriptum: in qua non ponam tibi Azaquia aut Alhodera, qua tibi tuam terram tollam, nec pro pacem, nec pro Alfetna, nec cum Mauros, nec cum Chriſtianos. Sed ſi aliquis audaciter comprehenſus fuerit in hac elatione quod tibi contradicere aut reſiſtere voluerit, in quantum valuero contra illum expugnabo atque inimicus ero.* Mortuo verò Garſiâ, idem Sanctio ipſius filio Ramirum cauiſſe, acceptis in ſupplementum legitimæ aliquot oppidis, ex aliis tabulis apparet à Brizio cap. ſequenti deſcriptis in hæc verba. *Et ego Ranimirus Sanctionis Regis filius, ſic Iuro cum Varones de mea terra, qui mecum ſunt in præſenti: vt de hodie in antea, non tibi requiram de tuas villas, neque de alias tuas terras, niſi cum ſeruitio & tua bona voluntate, quamuis mihi det Deus tale tempus, vt poſſim inquirere. Et ſi hoc voluero facere, quod abſit, ſic dico, vt omnes ſeniores, qui*

mecum ſunt cum honores & terras, quas de me habent & tenent, licentiam do vt attendant ad te & ponant ſe in tua poteſtate.

SANCTII-GARCIÆ Regnum, annum Chriſti 1076 attigiſſe, docuere Garibayus lib. 22. cap. 37. & Sandoual. in Catal. Epiſcop. Pompelon. Eo autem anno ipſum fraude & proditione fratris Regimundi vel Raimundi ſororiſque Hermiſſendæ & Procerum aliquot vitam amiſiſſe, liquet è pluribus vetuſtis monumentis, è quorum vno, anno 1079 conſcripto, quod in Monaſterio Legerenſi ſeruatur, hæc verba citat Sandouallius in Catalog. Epiſcop. Pompelon. fol. 67. *Ego indigna illam ſupraſcriptam villam emi à Rege domno Sanctio prole Garſiæ Regis, quem interfecerunt frater ſuus Regimundus & ſoror Ermiſenda nec non & Principes eius infideliſſimi.* Aliud ærâ 1120 hoc eſt anno 1082 confectum, ex Hiraxenſi tabulario promit Anton. Yepes tom. 3. centur. 4. in quo B. Veremundus Abbas illius Cœnobij, Sanctij mortis his verbis meminit. *Poſt multos annos Sancius Rex ſurrexit, qui interfectus eſt à fratre ſuo & à ſorore vel à maioribus patriæ ſuæ, & miſit nuntios ad nos ſemel, bis & ter vt daremus illi dictam radicem &c.* Huius autem perfidiæ non aliam fuiſſe cauſam, quam ipſius Raimundi regnandi libidinem, ſcribit Marmol. lib. 2. cap. 30: contigiſſe verò caſum hunc calamitoſum ac funeſtum *Penaleni*, præter Rodericum & Authorem hiſtoriæ generalis, quæ Alfonſi Regis nomen præfert, tradit Scriptor libri, qui *Tumbi nigri ſancti Iacobi* nomine citari ſolet, apud Sandoualliũ in vitâ Alfonſi 6. *Era* 1114. *interfectus eſt Rex Sanctius filius Regis Garſiæ & Reginæ Stephaniæ in Peñalen* Extant apud Roger. Houed. in poſter. parte Annal. orationes habitæ coram Henrico 2. Rege Angliæ à

legatis *Alfonſi Caſtellæ* & *Sanctij Nauarræ* Regum anno 1177, in quibus hæc de Sanctij morte leguntur. *Rex Garſias Nauarræ & Nazaræ genuit Regem Sanctium, qui poſtea occiſus erat in Peñalen. &c.* Quin etiam, inde *Penalenij* cognomen eius nomini acceſſiſſe, liquet ex formulâ actionis ab Oratoribus Regis Sanctij aduerſus Alfonſum, coram eodem Henrico propoſitæ, quæ hęc verba complectitur. *Et iſtius terræ petit vniuerſos fructus à tempore quo obiit Rex Sanctius de Peñalen hæc omnia ad Regnum ſuum ſpectantia &c.* Idipſum elicitur ex quodam diplomate Tabularij Regij Pompelonenſis, quô idē Rex Sanctius ęrâ 1196 incolis *Mendigorriæ* vici, territorij cuiuſdam *Tortal* dicti, gratiam facit. *Dono*, inquit, *vobis & concedo illum terminum de ſancto Torrtal, vnde habebatis contentionem cum illis hominibus de Artaxona totum integrum, ſicut dedit vobis Rex Sancius de Peynnalen & ſicut habuiſtis in tempore Regis Sanctij de Aragon & Regis Adefonſi & habuiſtis in tempore Regis Garciæ mei patris &c.* Menſem quoque obitus Sanctij aſſequi nullus labor erit, ſi conſideremus illum 4. Kal. Iulij adhuc ſuperſtitem fuiſſe, vt ex ipſiuſmet tabulis indicauit Sandouallius in Catal. ſæpè citato fol. 67. Eo enim ipſo menſe, *Sancium-Ramiri* Nauarræ Regnum obtinuiſſe, ex aliis tabulis quàm mox oſtendemus.

Ramiri, *Sanctij* Regis fratris memoria habetur ad annū 1072, in vetuſtis monumentis Cœnobij S. Æmil. teſte Sando. f. 66. Catal. Epiſc. Pomp. Item ad annū 1077, quo Alfonſo 6. Caſtellæ Regi adfuiſſe, inter alios proceres, ipſius actis conſenſum & authoritatem pręſtantes, conſtat alio diplomate, apud Anton. Yepes in Append. tom. 1. num. 24. Anno tandem 1083 cum R*hodæ*, perfidiâ Ducis Mauri, vnà cum aliis principibus viris, eò ab Al-

folſo Caſtellæ Rege miſſis, interemptum fuiſſe narrat ex veteri monumento Marmol, cuius verba lib. 2. cap. 30. ſunt. *En el año de 1083 un Moro vaſſayllo del* Rey *de Çaragoça llamado Aben Faluque ſe alço con el Caſtiello de* Rueda *y fingiendo quererſe fauoreſcer del* Rey *D. Alonſo, con animo de matarle, le embio à dezir que fueſſe en perſona y le entregaria aquel Caſtillo, y como contradixieſſen los de ſu conſejo, aquella yda, embio à D. Ramiro infante de Nauarra y al Conde D. Gonçalo ſaluador ſu ſuegro con mas de mil de à cauallo para que ſe entegraſſen del Caſtillo y el ſoleñe traydor haziendo les abrir luego alegramente las puertas de la villa los recibio dentro y mandandolas luego cerrar dio en ellos con gran numero de Moros que tenia eſcondidos en las caſas y en el Caſtillo y matando al Infante y al Conde y a otros muchos Caualleros, los que eſcaparon viuos fueron captiuos. La memoria deſta traycion ſe hallara en el Caſtillo de Oña donde eſtan enterrados muchos que alli murieron.*

Raimvndvm, alium Sanctij Regis fratrem, ipſiuſque interfectorem, fraterno ſanguine pollutum, ad Mauros confugiſſe & à Cæſarauguſtano Rege exceptum in ſummâ miſeriâ atque ærumnâ vixiſſe neptemque reliquiſſe Marcheſiam Aznarij Lupi vxorem refert Çurita ad annum 1076. De coniugiis ſororum Sanctij Regis *Menciæ* cum Fortunio Ochoâ Ximenij, dño Camerorum. *Vrracæ* cum Garciâ Ordonij, qui Najaræ præerat & *Hermeſindæ* cum Fortunio-Sãctio, Yarnozij Dynaſtâ: déque *Sanctia* harum ſorore, citantur probatę vetuſtatis monumenta, à Sandouallio in vitâ Alfonſi 6. in comment. rer. S. Æmil. §. 52. & in Catalogo Epiſc. Pompel.

De *Sanctij-Garſiæ* Regis progenie hoc certò ſcimus, ipſum duos eiuſdem nominis, *Garſiæ* ſcilicet, filios reliquiſſe, filiam quoque nomine Vrracam, & filium è concubinâ

cubinâ Eximenâ Raimundum habuiſſe, probat idem Sandouallius in Catal. Epiſc. Pompelon. fol. *65* & *67*.

POST interfectum *Penaleni* Sanctium Regem, pulſo è Nauarræ finibus, fratricidâ Raimundo, *Sanctio-Ramiri* Aragonenſi Principi Regnum delatum fuiſſe, vetus & conſtans Hiſpaniæ hiſtoricorum opinio eſt; breui id interuallo factum eſſe, argumento ſunt ipſius Sanctij-Ramiri tabulæ menſe Iulio anni 1076 ſcriptę, quę in Tabulario Pompelonenſi hac ſerie verborum leguntur. *Hæc eſt charta quam facio ego Sancius Rex ad vos homines de ſancta Maria de Vxue, vt ſit firma & durabilis in ſæcula & per bonam voluntatem quam vos in me habuiſtis & pro magno ſeruitio qui me feciſtis, & quia vos primos me cognouiſtis per ſeniorem, & per Regem ad illam intrata de Pampilonâ & reddidiſtis mihi illo Caſtello, propter hoc inſpirauit mihi Deus & poſuit in corde meo que ... toto corde vos faciam tale cauſa que vos cognoſcatis, & totos homines qui audierint dicant &c. Facta carta erâ* 1014 *menſe Iulio in ſanctâ Mariâ. Feliciam* Sanctij-Ramiri vxorem, quæ hactenus *Comitis Vrgellenſis* filia credita eſt, familiæ *Comitum Rocienſium* adſcripſi, authore Hermano monacho, illorum temporum ſcriptore, in hiſtoriâ reſtaurationis Eccleſiæ Laudunenſis, cuius verba, apud Ducheſnium in hiſtoriâ familiæ Caſtilloneæ, ſunt *Hilduinus Comes Rocienſis. .... genuit* (ex Adelade coniuge) *ſeptem filias: harum vnam nomine Feliciam in Hiſpania duxit coniugem Sancius Rex Aragonenſis, & ex eâ genuit Hildefonſum Regem potentiſſimum qui patri ſuccedens in Regno &c.* Inde Ordric. Vital. lib. 13. hiſt. Eccleſ. *Alfonſum* Sanctij & Feliciæ filium, R*otoldi Perticenſis* (qui ex alia *Hilduini* filia natus erat) conſanguineum vocat, Eâ autem fato functâ Sancium-Ramiri aliam vxo-

rem duxiſſe *Philippam* Raimundi Comitis Toloſani filiam & hæredem, videor mihi colligere ex his Chronici Gaufredi Monachi ſancti Martialis Lemouicenſis verbis. *Pontius Toloſanus Comes genuit Guillermum & Raimundum: Guillermus verò Hieroſolymis obiit, cuius filiam vnicam Filippam poſt Aragonenſem Regem duxit Guillermus Dux filius Guidonis.* Gaufredi librum, qui nondum lucem vidit, mihi communicauit Ioannes Cordeſius Theologus & Canonicus Lemouicenſis, cuius tum operâ, cum inſtructiſſimâ bibliothecâ, me in hoc opere adiutum, non poſſum, nec debeo non fateri Obiit Sanctius in obſidione Oſcæ lethali ſagittæ vulnere ſauciatus, anno 1094. Præter eos liberos, qui poſt patrem viciſſim regnarunt, *Petrum*, *Alfonſum* & *Ramirum*, natus eſt Sanctio *Ferdinandus* filius, qui ipſo ſuperſtite de vitâ deceſſit, vt docet Brizius lib. 4. cap. 1. hiſt. Pinnatenſis.

Petro Regi ex *Agnete*, priori, vt referunt, vxore, liberos extitiſſe *Petrum* & *Iſabellam*, ambos immatura morte abſumptos, probant vtriuſque Epitaphia, Pinnatenſis Cœnobij tumulis, teſte D. Xuare illius Abbate apud Ant. Yepem, inſculpta his verbis. *Hic requieſcit famulus Dei Infans Petrus filius Petri Regis. Obijt anno* 1086. *Hic requieſcit famula Dei Iſabella filia Regis Petri quæ etiam teneris annis obiit ſimul cum fratre Petro Infante anno* 1086. Alteri iſtorum, filio ſcilicet, *Sanctij* nomen indit Çurita, vtriuſque verò mortem in annum 1104 promouet: Petro quoque Regi aliam vxorem tribuit nomine *Bertam*. Huius Regis vitam anno 1104 definit potior pars hiſtoricorum; at Brizius ad annum 1105 eius obitum trahit.

Alfonsi morti annum aſſignant libri & tabulæ vetere 1134um: diem etiam notat, 7^m Idus Septembris, fragmentum diplomatis, in extrema parte fori Nauarrici,

adſcriptum. De anno conſentit Ordericus Vitalis æqualis illorum temporum ſcriptor lib. 13. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſed de genere mortis diſcrepat: Cum enim ipſum ad Fragam, cum Mauris prœlio decertantem, cecidiſſe vniuerſi penè affirment Scriptores; is contrà, cum incolumis prœlium euaſiſſet, poſt aliquot dies domi, ægritudine ex dolore amiſſæ victoriæ cõtracta, mortem obiiſſe commemorat. Non poſſum hîc præterire elogium virtuti Alfonſi, à ſcriptore illius ſæculi, redditũ; Is eſt *Hermañus* Monachus; qui in hiſtoriâ reſtaurationis Eccleſię *Laudunenſis* de Alfonſo verba faciens, *Fortiſſimas*, inquit, *vrbes & caſtella paganis fortiter præliando abſtulit Chriſtianis reddidit, Cæſarauguſtam ſcilicet beati Vincentij martyris Archidiaconatũ famoſam, Terraſſonam quoque & Tudelam, Barbaſtam & Burgiam, cum aliis multis totâq; pene Hiſpaniâ ſibi ſubiugata, adeo nominis ſui opinionem dilatauit; vt ab aliis alter Iulius, ſecundus ab aliis Carolus vocaretur, ob memoriam illius præclari Caroli Francorum Regis, qui quondam Hiſpaniam victor ſubegit.*

GARSIAM-RAMIRI Regem, patre *Ramiro*, matre *Eluirâ Roderici Biuarij*, vulgò *Cidi* filiâ prognatum fuiſſe, concors omnium ſententia eſt, quam tamen in nomine *Eluiræ* turbat vetuſta genealogia Roderici Biuarij, quæ Codici legum Nauarricarum manuſcripto Bibliothecæ Fuxenſis Toloſanæ, appoſita eſt (huic ſimilem, ex veteri libro Tumbi nigri Eccleſiæ beati Iacobi laudat Sandouall. in comment. rer. Monaſt. Cardenæ §. 7.) dum Roderici filiæ, Garſiæ-Ramiri vxori, *Chriſtinæ* nomen aſciſcit. Huic autem genealogiæ magnam, ego, fidem habendam cenſeo, cum eius authorem, tempore *Sanctij* Nauarræ Regis, cognomento *Sapientis*, vixiſſe, ex ipsâ intelligatur. De auo autem paterno Garſiæ-Ra-

miri, res eſt obſcuritate inuoluta & varietate opinionum confuſa; nonnulli enim, in quorum numero ſunt Çurita & Garibayus, eum *Sanctij Regis*, qui *Penalenius* dictus eſt: Alij, vt Sandouallius, *Regis Garſiæ*, Penalenij patris nepotem faciunt: Neutri tamen parti aſſentiri nos ſinit Roger. Houeden. qui poſteriore parte ſuorum Annalium *Sanctij Regis* cognomento *Sapientis* Oratorum verbis, *Garſiam-Ramiri*, Sapientis patrem, *Garſiæ Regis*, Penalenij patris, non *nepotem* ſed *pronepotem* fuiſſe, eiuſque *auum* non ipſum *Penalenium*, ſed aliquem è Penalenij fratribus extitiſſe ſignificat. *Hæc omnia* (verba ſunt Oratorum Sanctij Nauarræ Regis) *ad Regnum ſuum ſpectantia poſſedit & habuit in pace & quiete* abauus *huius Regis Sanctij*, (loquitur de Sanctio *Sapiente* dicto, Garſiæ Ramiri filio) Garſias *ſcilicet Rex Nauarræ & Nageræ &* proauus *eius per violentiam fuit expulſus ab hoc Regno propter imbecillitatem ſuam per* Aldefonſum Regem Caſtellæ: *procedente autem tempore* Rex Garſias nepos eius *& pater huius inclytæ memoriæ, diuina voluntate & fide naturalium hominum adhibita, recuperauit Regnum ſuum licet non integrum & quod reſtat adhuc petit filius eius Sanctius nunc Rex Nauarræ.* Cum *Garſiam*, Penalenij patrem, *Sanctij Sapientis abauum* fuiſſe teſtificentur hi Oratores, ergo is *Garſiæ-Ramiri* Sapientis patris, non *auus*, ſed *proauus* fuit. Auum itaque, aliquem è filiis eiuſdem Garſiæ extitiſſe, neceſſe eſt: atqui id de filio natu maiore, *Sanctio Rege Penalenio* dicto, affirmari non poteſt; ſi quidem ipſum ab *Alfonſo Caſtellæ Rege* vi è Regno propter imbecillitatem expulſum fuiſſe (quod de *proauo Sapientis* narrant ij Oratores) nequaquam eſt verum: imò eum *Penaleni* occiſum fuiſſe, paulò ante eorumdem Oratorum verbis expoſuit Houedenius; conſequens igitur eſt,

vt alterum è fratribus *Penalenij*, *Sanctium* videlicet, vel *Ramirum*, *Garſiæ-Ramiri auum* fuiſſe dicamus. Si Sanctium eligimus, conſentientem habebimus Rodericum Toletanum, ſed cum idem author mox ſubdat *Garſiæ Ramiri auum Rhodæ* obiiſſe, & aliunde notum ſit, Principem illum Nauarrum qui *Rhodæ* mortem oppetiit, non *Sanctij* ſed *Ramiri* nomen habuiſſe; nobis expeditius viſum eſt *Garſiæ-Ramiri* patrem, huius *Ramiri* filium ſtatuere, quam *Sanctij* illius, quem, ne extitiſſe quidem vnquam, ſatis benè conſtat: Adiuuat noſtram argumentationem, de *auo Garſiæ-Ramiri*, alio quam *Sanctio Penalenio*, aut eius *patre* conſtituendo, ipſius Garſiæ Regis diploma anni 1137. à Sandouallio in Catal. Epiſcop. Pompelon. fol. 68. vulgatum: continet enim Nauarræ Regnum parentibus illius Regis, vi & armis à Legionenſi & Aragonenſi Regibus fuiſſe ablatum: Nam cum *parentes* multitudinis numero expreſſerit, euidens eſt, illâ voce, tam auum, quam patrem deſignare voluiſſe; alium igitur à *Sanctio Penalenio*, & ab eius *patre*, cum neuter iſtorum ab iis Regibus Regno pulſus fuerit.

RAMIRVM ſiue *Ranimirum*, Garciæ-Ramiri patrem, aliquot, à morte Roderici Biuarij ſoceri, annos *Valentiæ* manſiſſe, coniicio è codicillis *Ximenæ* Roderici vxoris, ad vſum Epiſcopi Valentini, 2. Kal. Iunij anno 1101 ſcriptis, apud Ant. Yepem tom. 6. Cent. 6. num. 52, quibus ſubſcripſit *Ranimirus* Poſtea cum in Aragoniam ſe recepiſſet, *Montiſonis* ibi dynaſtiam obtinuit, eâque ab anno 1105 ad annum 1116 potitus fato ceſſit, relicto in eâ dynaſtiâ hærede ac ſucceſſore *Garſiâ-Ramiri* filio, vt ex compluribus monumentis, à Ioanne Brizio lib. 5. cap. 29. citatis liquet.

ALFONSVM-RAMIRI, *Caſtri Veteris* dynaſtam, quem inter Garſiæ-Ramiri liberos numerauit Garibayus, nos ipſi fratrem adiungere ſatius duximus, patronymico *Ramiri* nomine impulſi, quod ipſum *Ramirô* non *Garſiâ* natum fuiſſe arguit.

MARGARITAM Garſiæ Ranimiri vxorem, R*otronis* Comitis *Perticenſis*, non filiam, vt vulgò creditur, ſed neptem, hoc eſt ipſius ſorore genitam fuiſſe, ſolus, inter Hiſpanos ſcriptores, tradidit Auctor Chronici MS. quem ſub titulo R*elacion de la deſcendentia &c.* ſæpè citauimus. Id autem quam ſcitè & verè ab eo obſeruatum fuerit, Houedeni, Hermani Monachi & Hugonis Falcandi, vetuſtorum Scriptorum, libros legentibus planum fiet. Houeden. ad annum 1177, hæc ex oratione legatorum Alfonſi Caſtellæ Regis ad Henricum Anglorum Regem, verba refert. *Petit etiam* (id eſt Alfonſus) *medietatem Tudelæ ex cauſa maternæ ſucceſſionis quam Comes Dalperch donauit* R*eginæ Margaritæ ſobrinæ ſuæ.* Nomen autem *Sobrinæ* pro fratris vel ſororis filiâ ab Hiſpanis ſumi, ſciunt qui huius gentis linguam callent. Hermanus Monachus in hiſtoriâ inſtaurationis Eccleſiæ Laudunenſis. *Secundam,* inquit, *filiam Hilduini Comitis duxit coniugem* R*otholdus Comes Perticenſis, de qua ſuſcepit* R*otholdum Comitem & Iulianam matrem Margaretæ* R*eginæ Nauarrenſis.* Apud Hugonem Falcandum libro de Siciliæ calamitatibus *Margarita,* Garciç Ramiri filia, Guilielmi Siciliæ Regis vxor; ſic alloquitur optimates illius Regni. *Nec enim aliter quam fratres proprios diligere quidem & honorare debeo filios Comitis Pertieenſis, per quem (vt verum fatear) pater meus* R*egnum obtinuit. Nam idem Comes patri meo terram ampliſſimã cum* nepte ſuâ matre meâ *dotem dedit, quam in Hiſpaniâ multis periculis ac diuturnis*

ac diuturnis laboribus expugnatam Sarracenis abſtulerat. Nec ergo mirari debetis, ſi filium eius matris meæ conſobrinum, loco mihi fratris habendum cenſeam & de remotiſſimis partibus ad me venientem gratanter excipiam. Iulianæ autem, Margaritæ matris virum Giſlebertum Aquileienſem fuiſſe diſcimus ex Orderico Vitali lib. 8. Eccleſ.hiſt. Quo tempore obierit Margareta non liquet, ſed id tantum; Anno 1148. *Garciam-Ramiri*, alteram vxorem, ſcilicet *Vrracam*, *Alfonſi* Imperatoris Hiſpaniæ filiam naturalem, duxiſſe ex ipſius Alfonſi codicillis colligitur apud Anton. Yepem in Append. tom. 7. num. 35, quibus Cœnobitis *Montis Rami* locum, vbi nunc Cœnobium ſitum eſt, condonat: ſic enim in iis ſubſcriptum eſt. *Facta charta Legione* 2. Kal. *Iulij era* 1182 *Rege Nauarrorum Garſiâ, qui tunc quamdam filiam Imperatoris vxorem duxerat, exiſtente præſente.* Ex hac vxore Garſiam Regem ſuſcepiſſe *Sanctiam*, quæ primò *Gaſtoni Vicecomiti Bearnenſi*, deinde, eo vitâ functo, *Petro Molinenſi Comiti* nupſit, teſtis eſt Rodericus Tolet. proximus illorum temporum ſcriptor, eóque potiori fide dignus, quam Garcias Euguyus, qui *Sanctiam* matre *Gaufredâ, Didaci Harenſis ſorore*, tertiâ Garſiæ Regis vxore, procreatam fuiſſe tradidit. Obiit Garſias *Lorcæ* Nauarræ vico, lapſu equi, vt ferunt, præcipitatus, XI. Kal. Decembris, anno 1150: eius autem corpus Pompelonam delatum, in Eccleſiâ primariâ huius Ciuitatis ſepulturâ affectum fuit. Habuit præter filium Sanctium, qui ei in Regno ſucceſſit, ac pręter filiam *Sanctiam*, *Sanctio Caſtellæ* & *Margaritam Guilielmo Siciliæ* Regibus nuptas, filium ex concubinâ, nomine *Rodericum*, de quo hęc narrat Falcandus libro de Siciliæ calamitate. *Tunc etiam Panhormi morabatur quidam Reginæ* (de Margaretâ

intellige Siciliæ Reginâ, Garſiæ-Ramiri filia) *frater, qui morte Regis audita, nuper in Siciliam ex Hiſpania transfretarat, multoſque milites Hiſpanos ſpe lucri ſecum adduxerat, quem (vt plerique eorum, qui cum ipſo venerant, aſſerebant) Rex Nauarrorum numquam filium ſuum, vel eſſe credidit, vel dici voluit, indignum exiſtimans, eum quem mater multorum patens libidini vulgo concepiſſet, Regis filium appellari. Hunc ergo Regina, cum antea* Rodericus *diceretur, idque Siculi nomen abhorrentes velut ignotum & barbarum irriderent, Henricum appellari præcepit & ei* Montis Caucoſi *Comitatum integrè dedit oppidáque Siciliæ, quæ cum eodem Comitatu Gaufridus Comes olim tenuerat. Idem autem* Henricus *ſtatura paruus, barbam habens rariſſimam, ſubpallida nigredine, cutem fædatus, indiſcretus, elinguis, præter alearum ac teſſeræ ludum nullius peritiam vindicabat, nihilque aliud affectabat, niſi vt haberet qui ſecum luderet & pecuniam quam prodigus indiſcretè ac temerè poſſet effundere &c.*

SANCTII Regis cognomento *Sapientis* vxorem *Beatiam* nuncupat Rodericus Toletanus lib. 5. cap. 24, quam tamen vetera monumenta conſtanti ſcriptura *Sanctiam* vocant: duo ex his apponam celebriora, è Tabulario Pompelonenſi excerpta, quorum alterum, ſingularis etiam huius Reginę pietatis, exhibet documentum, *Marzillenſis ſacrarum Virginum Cænobij* inſtitutionem: Alterum verò Illuſtrandæ vocis *Infantatici* notioni conducit.

Ad honorem ſummi & æterni Regis Patris & Filij & Spiritus ſancti, Ego Sanctius non meis meritis, ſed ſola Dei omnipotentis miſeratione Rex Nauarrorum facio hoc priuilegium vobis cunctis ſanctimonialibus, in Monaſterio de Marzella *ſub Regula & Ordine beati Benedicti Monachorum Ciſtercienſium ibidem Deo famulantibus præſentibus & futuris in perpetuum dignæ quidem laudis & memoriæ* Sanctia vxor

mea

mea Regina *diuini amoris Zelo accenſa, in præfatâ villâ de* Marzella *conſilio & aſſenſu meo Monaſterium ædificauit atque in eodem gregem ancillarum Dei & beatiſsimi Patris Benedicti normam conſtituit, ipſam quoque villam nominatam cum omnibus territoriis & pertinentiis ſuis heremis & populatis & cum omnibus quæ iuriſdictionis Regiæ eſſe dignoſcuntur pro peccatorum ſuorum remiſsione prædictis ſanctimonialibus dedit ac conceſsit, vt per earum orationes & beneficia & ſanctorum omnium ſuffragia adipiſci valeat beatorum conſortia. Ego itaque gratia Dei Sancius Rex, cupiens eorum beneficiorum & orationum fieri participem, concedo & confirmo omne donatiuum quod* Sanctia vxor mea *recolendæ memoriæ Regina vobis nominatis ſanctimonialibus dedit & vt liberiùs & quietiùs hoc in pace poſsideatis in perpetuum & ne prauorum hominum aſtutia poſsit vobis obeſſe in perpetuum ſingula duxi determinanda. Omnes igitur agricolas in præfatâ villâ commorantes hæreditatéſque ibi habentes ſub veſtrâ pono poteſtate & ſeruitute, vt nunquam de cætero alij domino vel Principi niſi ſoli Deo & vobis tributum aut ſeruitium perſoluant: Concedo etiam vobis aquas & curſus aquarum & molendina & ſyluas & ſotos obtinere paſcua veſtrarum ouium, ac beſtiarum libera in Regno meo habere & omnia quæ ad Marcellam pertinent vel pertinere debent iuſtè & canonicè poſsidere: concedo etiam vobis vt omnes hæreditates & cætera quæ in Regno meo à clericis vel à militibus, vel à ruſticis, vel à quibuſcunque perſonis donatione, comparatione aut cambio acquirere potueritis in pace poſsideatis. Hæc inquam omnia ſupradicta &c. Vt autem hoc meum decretum & priuilegium firmum & ratum habeatur & permaneat propriâ manu hoc ſignum confirmationis impono. Facta carta apud Tutelam menſe Martij ſub era* M.CC.XIX. *regnante me Dei gratiâ Rege Sancio in Nauar-*

ra ſub meo dominio Epiſcopo Petro in Pampilona, Sancio Remigio in Funes, Didaco Lupi in Alaua, Garcia Vermundi in Petralta, Sancio Remigij in Marañon, Gomis Martini in Punicaſtro, Iordano in Rada, Enecone Almorauid in Sangoſſa, Enecone de Oriz in Tafaylla, Martino Roderici in Ponte Reginæ, Muyñotz Treueynnu, Spaynnol in Haizluce, Egidio de Ayuar in Gallipienço. Ego Ferrandus Vicecancellarius iuſſu domini Regis Sancij hanc cartam exaraui & propria manu hoc ſignum feci.

IN *nomine &c. Ego dñs Fernandus Dei gratia Hiſpaniarum Rex volens illam generis & dilectionis conſiderationem, quæ inter me & vos eſt, ô kariſsima ſoror mea dña* Sanctia *illuſtris* Nauarrorum Regina, *quæ de eodem patre & matre, quibus ego, nata eſtis beneficij exhibitione ſolidare & perenniter confirmare Dono vobis vnicæ ſorori meæ quantum* Infantaticum *in toto Regno meo eſt videlicet in Toleto & in totâ Alenſerrâ, in Extremadura, Legione, in Veriz in Gallicia & in Aſturiis, villas, Caſtella, hæreditates, Monaſteria & omnia quæ ad* Infantadicum *pertinent, habeatis ergo illud quomodo melius habuit amita noſtra Infantiſſa dña Sancia patris noſtri inclytæ recordationis Alfonſi Imperatoris germana & quomodo melius tenuerunt aliæ Infantiſſæ, quæ de noſtro genere fuerunt & teneatis illud & habeatis iure hæreditario eadem ratione & conſuetudine de me, quam aliæ Infantiſſæ parentes noſtræ fratribus ſuis tenuerunt prædicta ergo ratione ipſum* Infantadigum *cum omnibus directis ſuis de me in perpetuum habeatis &c. Facta carta apud Tutelam 6. Kalend. Februarij era 1203. Regnante dño Rege Fernando Toleti, Extremadura, Legione, Gallecia & Aſturiis &c.*

ALIVM etiam *Sapienti* filium, ſunt qui adſcribant, *Remirum* ſcilicet ſiue *Remigium* Epiſcopum Pompelonenſem, quem tamen cum Rodericus Toletanus, illi ætati

ſuppar, prætereat; tutius duxi ſtemmati noſtro ſubtrahere, quam ex alienâ fide, eum Regiæ familiæ inſerere. Vetuſtæ porrò in Cœnobio *Syluælatæ, Principatus Bearnenſis* voluuntur tabulæ anni 1191, Eccleſiæ *Baienſis*, fratribus illius Cœnobij, à Pontifice Pompelonenſi eiuſque Collegio, donatæ vindices, quæ ſigna *Ioannis* & *Garciæ* Infantium ſubſcripta oſtentant: vtrius Regis in familiam ij admittendi ſint, *Sapientis* an *Incluſi*, non eſt meum diuinare. De obitu Sapientis hæc habet Necrologium Regum Nauarræ MS. Codici legum Nauarricarum Collegij Fuxenſis Toloſani aſſutum. M.C.LXXXXIIII. V. Kal. *Iulij obiit Sanctius Rex vir magnæ ſapientiæ.* De anno cum authore Necrologij conſentiunt Guillel. Nebrigenſis lib. 5. cap. 2. de rebus Anglicis, & Rogerius Houeden poſteriori parte Annalium. Corpus eius Pompelonæ in templo Beatæ Virginis humatum creditur.

SANCTIO cognomento *Inſerato* ſiue *Incluſo* vxor fuit *Clementia* Raimundi Toloſani Comitis Conſtanciæ filij, è Beatrice Biterrenſi priori vxore filia, quæ cum ab eo diſceſſiſſet, in manum alterius viri, *Petri*, nimirum, *Bermudi Saluij* nobilis Occitani conuenit, vt author eſt Guillelmus à Podio Laurentio cap. 5. Chronici. Vnde arbitrari licet, quantoperè hallucinati ſint ij, qui ipſam in *Roncauallenſi baſilicâ*, eodem, cum Sanctio priore marito, tumulo conditam credidere. Obiit Sanctius, nullis relictis liberis, VII. Idus Aprilis anno 1234.

CAPVT XV.

Poſtremum ſtemma, quò reliquorum Regum ſtirpes, à Theobaldi I. huius nominis Nauarræ Rege, Campaniæ & Briæ Comite, vſque ad Eleonoram Reginam, Franciſci Phœbi & Catharinæ auiam, deſcribuntur.

Theobaldus Nauarræ Rex poſt Sanctium, auunculum Campaniæ & Briæ Comes Palatinus.

Vxor 1. Gertrudis, ex qua nulli liberi.

Vxor 2. Agnes filia Guiſchardi Bellijocij.

Vxor 3. Margarita filia Arcembaldi Borbonij.

Liberi ex incerto cõiugio Theobaldi.

Guillelmus. Ælis. Ignes.

Blanca, nupta Ioanni Britanniæ Duci.

Theobaldus 2. Rex Nauarræ *Vxor* Iſabella S. Ludouici filia. Obiit ſine liberis.

Petrus dñs Muruçabali, obiit ante patrem.

Henricus Rex Nauarræ: *Vxor* Blanca Roberti Comitis Arteſij filia.

Alienor.

Margarita: *Vxor* Ferrici Lotharingiæ Ducis.

Beatrix, *Vxor* Hugonis 4. Burgundiæ Ducis.

Ioannes Henrici Regis filius *naturalis*, author ſtirpis *Lacarrarum Ablitenſium*.

Theobaldus obiit infans.

Ioanna Nauarræ Regina: *Vxor* Philippi 4. Franciæ Regis cognomento pulchri.

Ludouicus Hutinus Franc. & Nauar. Rex, ex vxore 2. Clementia habuit Ioãnem qui 8. dies vixit: è 1. Margarita Burgũda nata eſt ei.

Ioanna Nauarræ Regina *Vxor* Philippi Ebroicenſis Comitis.

Philippus Lõgus Rex Franc. & Nauar. *Vxor* Ioãna Burgunda è quâ tres reliquit filias.

Carolus Pulcher Rex Franc. & Nauar. *Vxor* 1ª. Blanca Burgunda: 2ª. Maria Luxemburgia: 3ª Ioanna Ebroicenſis, è quâ duas reliquit filias.

Iſabella *Vxor* Eduardi 2. Angliæ Regis.

Robertus. Margarita. Blanca. obiere ſine liberis.

Carolus Nauarræ Rex *Vxor* Ioanna Ioãnis Frãciæ Regis filia.

Philippus Comes Lõgueuilleus.

Ludouicus Comes Belimõtis Rogerij.

Ioanna Cœnobiticę vitæ voto aſtricta.

Blanca *Vxor* 2. Ioãnis Frãciæ Regis

Maria *Vxor* Petri Regis Arag.

Agnes: *Vxor* Gaſtonis Phœbi Comit. Fuxen.

Ioanna *Vxor* Ioannis 2. Vicecomit. Roanē.

Liberi naturales Caroli Regis.

Carolus Rex Nauarræ. *Vxor* Leonor filia Hẽrici 2. Caſtellæ Regis.

Philippus obiit infans.

Petrus Comes Moretonij.

Maria, Alfõſi Comitis Deniæ *Vxor*.

Ioãna *Vxor* 1. Ioannis Britanniæ Ducis Henrici 4. Angliæ Regis.

Bona. Blãca. obiere ante patrem.

Leonellus, author ſtirpis Mareſcallorum.

Ioanna, *Vxor* Ioannis Bearnij Baronis Behorleguij.

Liberi naturales Caroli 3. Regis.

Carolus. Ludouicus. Maria. Obiere tenera ætate.

Ioanna *Vxor* Ioãnis Comitis Fuxenſis.

Blãca *Vxor* 1° Martini Regis Siciliæ. 2° Ioannis Aragonij, Nauarræ Regina.

Beatrix *Vxor* Iacobi Comitis Marchiæ.

Iſabella *Vxor* Ioãnis 4 Comitis Armaniaci.

Lancelotus Epiſc. Pompel.

Gotofredus Comes Corteſij.

Ioanna vxor 1° Innici Ortiſij Eſtunigæ 2° Ludouici Beaumontij Nauarræ Conſtabularij.

Carolus *Vxor* Anna Cliuiacenſis.

Eleonor *Vxor* Gaſtonis Comitis Fuxenſis, Nauarræ Regina, de cuius progenie agetur in ſtemmate Fuxenſium Comitum.

Blanca *Vxor* Henrici 4. Caſtellæ Regis irrito tamen matrimonio.

Franciſcus Phœbus Eleonoris ex Gaſtone filio nepos, ei in Regno ſucceſſit: huic verò ſoror Catharina, Ioannis Lebretij *vxor*, de cuius poſteris proximo libro in ſtemmate gentis Lebretiæ dicemus.

THEOBALDVS Sanctij Sapientis, Nauarræ Regis, ex Blancâ filiâ nepos, Sanctio vltimo, auunculo, ſine liberis mortuo, ſucceſſit in eo Regno, anno 1234: Cuius rei fidem faciunt pleraque ipſius diplomata, illud præcipuè, quo ciuibus *Fani Ioannis* ad imum Pyrenæum, quod *Pedis-portus* vocant, iura, libertates & priuilegia quibus uti ſolebant in perpetuum ſanxit, vt dubitari amplius non poſſit falli Guillelmum Nangium, dum Theobaldum, non niſi anno 1239. poſſeſſionem Regni Nauarrici adeptum putat. Poſthumum fuiſſe indicat inſcriptio tumulo *Theobaldi* patris inſculpta in hæc verba.

Qui puer vt phœnix de funere patris obortus.

Adoleſcens primas cum filiâ Comitis Metenſis Lotharingi celebrauit nuptias, teſte Roderic. Tolet. quæ decreto iudicis Eccleſiaſtici irritæ fuerunt, *Gertrudi* huic nomen fuiſſe author eſt Petrus Pithœus, in Genealog. Comit. Campan. Poſtea *Margaritam* ſororem Regis Scotiæ ſibi deſpondit, vt ex ipſis matrimonij tabulis, anno 1219 menſe Auguſto, ſcriptis apparet, quæ à Nicolao Camuzatio Trecenſi, in miſcellaneis hiſtoricis vulgatæ ſunt. Tertiam deinde duxit vxorem, filiam *Guiſcardi Bellijocij* & *Sibyllæ* filiæ Philippi Comitis Flandriæ atque Hanoniæ, vnde nata *Blanca*, vxor Ioannis Ducis Britanniæ, vt refert idem Rodericus; *Agnetis* huic nomen tribui à quibuſdam monuit Pithœus: fuiſſe tamen antea *Blancam* deſponſam *Othoni*, filio Odonis Morauiæ Ducis & Burgundię Comitis Palatini ac Beatricis eius vxoris, docent tabulę, in hoc, confectę anno 1225, apud Camuzatium: quin etiam anno 1234, conueniſſe inter *Theobaldum*, atque *Ferdinandum* Caſtellę & Legionis Regem, de *Blanca* cum *Alfonſo* Ferdinandi filio in matrimonio coniungendâ, conuentorum tabulę demõſtrant,

quas [Chartophylacio Regio Pompelonenſi euoluimus. Mortuâ Agnete, *Margaretam* rurſus anno 1232 menſe Mart. *Arcembaldi* non *Fuxenſis Comitis*, vt imprudenter aſſeruit Beuterus, quem incallidè ſecuti ſunt alij viri docti, ſed *Borbonij* Dynaſtę filiam, ſibi coniugem aſciuit Theobaldus: è quâ ei nati ſunt liberi *Theobaldus*, *Petrus*, *Muruçabali dñs*, *Henricus*, *Alienor*, *Margareta*, Ferrici Lotharingię & *Beatrix* Hugonis 4. Burgundię Ducum *vxores*, de quibus plura Pithœus. Filiam denique è concubinâ ſuſceptam ei adſcribunt nonnulli, aiuntque *Petro Ferdinandi Ycbario* Iacobi 1. Aragonię Regis filio, nuptui traditam. Porrò etiam alios habuiſſe Theobaldum liberos affirmare audeo (etſi de matre ipſorum mihi non liquere fateor) *Guillelmum* ſcilicet, *Ælidem* & *Igneſiam*. De *Guillelmo*, ipſum alterius *Theobaldi*, huius, de quo nunc ſermo eſt, filij fratrem fuiſſe, teſtimonium dicent hę Veteres tabulę in Chartulario Campanię, Bibliothecę Regię Pariſienſi commendato, perſcriptę.

Vniuerſis præſentes literas inſpecturis Officialis Pariſienſis ſalutem in Domino. Notum facimus quod coram Iacobo Clerico noſtro .... hoc à nobis deſtinato ſpecialiter Giraldus de Valencenis clericus frater magiſtri Iacobi de Valencenis perſonaliter conſtitutus ad noſtram non valens, vt dicitur, accedere præſentiam infirmitate proprij corporis oppreſſus omnem iniuriam & offenſionem ſi quæ illatæ ſint eidem Girardo verbo ſeu facto vel alio quoquo modo ab aliquibus, vel aliquo de ſeruientibus ſeu familiâ venerabilis dñi Guillelmi fratris illuſtris Regis Nauarræ *eiſdem iniuriantibus omninò remiſit ſpontaneâ voluntate quittans eamdem familiam & ſingulos de familiâ dicti dñi Guillelmi de iniuriâ & offenſione ſupradictis. Aſſecurauit etiam coram eodem Clerico noſtro prædictus Girardus dictam familiam dñi Guil-*

lelmi de ſe & ſuis ratione præteritorum promittens fide datâ in manu dicti Clerici noſtri quod contra remiſſionem, quittationem & aſſecurationem huiuſmodi per ſe vel per alium non veniet in futurum nec per ſe vel per alium aliquam iniuriam, vel maleficium inferet, vel inferri procurabit alicui de familiâ dicti dñi Guillelmi occaſione præteritorum prout hæc omnia idem Clericus noſter iuratus, cui quantum ad hoc fidem indubitatam adhibemus, nobis retulit viuâ voce. In cuius rei teſtimonium præſentibus literis ſigillum Cur. Pariſ. duximus apponendum. Datum anno Domini M. CC. LX. *tertio, die Lunæ ante Paſcha.* De Ælide verò & Ygneſiâ, affero è Tabulario Pompelonenſi authoritatem Chartularij ipſius Theobaldi Regis quô bina hæc, ea de re, monumenta exhibentur. *In Dei nomine. Notum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris quod ego Petrus Ferrandus dñs ciuitatis ſanctæ Mariæ de Albarrazin habeo conuenientias cum illuſtri noſtro domino Th. Dei gratiâ Nauarræ Campaniæ & Briæ Comite Palatino ſicut inferius ſunt annotatæ: Ego Petrus Ferrandus promitto quod filium meum Aluar Peritz, cui concedo & dono in propriam hæreditatem ſanctam Mariam de* Barrezin *&* Chelance *cum pertinentiis, territoriis & directis eorumdem dabo in matrimonium.* Ælidi filiæ eiuſdem domini Regis Nauarræ, *& ſi de ipſo Aluar Peritz humaniter contigerit ſecundum filium meum Petrum Ferrandi nomine qui ſuccedet ei & ſi de ſecundo filio ſimiliter humanitus contingeret tertium filium meum nomine Garciam Ortiz & iſtud ab inſtanti feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ in quatuor annos promitto me facturum bonâ fide apud Tutelam vbi debeo ducere filium meum modo prædicto vt inter ſi de voluntate mea & domini Regis Nauarræ inter nos fuerit concordatum pro quibus conuentionibus complendis & tenendis ego iſtud iuraui ſuper ſan-*

ctam Crucem & Euangelia ſacroſancta. Teſtes ſunt viderunt & audierunt Acenarius Lupi de Caparroſa Guido de Soto milites Ferrandus Iohannis frater de Hueles Leo Cambellanus dicti Regis Nauarræ Hubertus Prior de Caparroſa qui hanc cartam ſcripſit. Facta carta apud Tutelam era M. CC. LX. V. *menſe Martio*, in hac autem erâ omiſſa videtur vnius denarij numeri nota..

In Dei nomine. Manifeſta coſa ſea à los que ſon & an por venir que io don Aluar Periz do à mi muger doña Ignes filla del Rey de Nauarra *ſancta Olalia por arras &c. Et io D. Aluaro do eſtâ ſobredita villa ſant Olalia à mi muger D. Ignes & nos D. Pedro Ferrandez Daçagra vaſſayllo de ſancta Maria & ſeynnor de Albarrazin hotorgamos eſte donatiuo ſobredicõ que faz don Aluaro à ſu muger doña Ignes & damos fiançaſ &c. Anno Domini 1243. Idibus Iulij.*

OBIIT Theobaldus Pompelonæ menſe Iul. anno 1253, relicto Regni hærede *Theobaldo* filio natu maiore, vix dum pubere, qui menſe Nouembrĩ eiuſdem anni in eâ ipsâ ciuitate ſolemni pompâ inauguratus eſt & iura, libertates ac priuilegia populo tuta & inuiolata fore publico iureiurando, more ſolito, repromiſit: Teſtes huius rei ſuperſunt tabulæ inaugurationis & pręſtiti ſacramenti, tam in Tabulario Pompelonenſi, quàm aliis Nauarræ locis; vt falli eos neceſſe ſit, qui Theobaldi patris vitam in annum inſequentem prorogant, matrem verò *Margaretam Borboniam* ad annum 1256 vitam perduxiſſe, eâque, illo ipſo anno, ad 3. Idus Aprilis functam Pruuini, ſepultamque in Cœnobio Claræuallis, inter omnes ſcriptores conuenit: Paternæ ſepulturæ monumentum poſſidet Eccleſia Pompelonenſis: filius verò Theobaldus ducta in vxorem anno 1258 *Iſabella* Ludouici Franciæ

Regis

Regis filia, nullis ex ea ſuſceptis liberis, *Trapanæ* in Sicilia (quò per occaſionem expeditionis Hieroſolymitanæ appulerat) 2. Nonas Decembris anno 1270 è vita migrauit, vt è Martyrologio Vitriacenſi probat Pithœus, nullis ex *Iſabella* vxore ſuſceptis liberis, corpus eius Prunum delatum, ibique in æde Franciſcanorum fratrum ſepultum fuit. Vxor quoque *Iſabella* cum anno ſequenti VI. Kal. Maij. *Hierſij* in P*rouincia* mortem oppetiiſſet, in eadem æde humata eſt, teſte Guillelmo Nangio illius ſæculi ſcriptore quamquam aliter viſum ſit Garibayo.

PETRVM Theobaldi fratrem *Amiciæ* Petri *Courtenæi*, Concheſij & Mehunij Dynaſtæ, filię nuptias puras & citra vllius diei conditionem pactum fuiſſe narrat Ioannes Tilius in comment. rer. Francic. cap. de ſtirpe Arteſia. Hunc quoque *Pruuini* in eadem ęde cum fratre *Theobaldo* Rege ſepultum, docente Pithœo accepimus.

HENRICVS *Theobaldo* fratri in Regno ſucceſſit, coronamque Regiam capiti ſuo impoſuit Pompelonæ Kal. Mart. die Dominicâ anno 1270. Vxorem ſuperiori anno acceperat *Blancam* Roberti Comitis *Arteſienſis* beati Ludouici Franciæ Regis fratris, filiam, impetratâ à ſummo Pontifice veniâ, eo quod *Blanca* illum conſanguinitatis gradu contingeret. Antea tamen, de *Henrico* cum *Conſtanciâ* Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis filiâ natu maximâ matrimonio copulando, actum fuerat inter *Theobaldum* Regem & *Gaſtonem*, extantque tabulæ ea de re conſignatæ in Camerâ Rationum tam Pompelonenſi, quàm Palenſi anno 1265. 3. Id. Decembris adſcriptæ. Reſcripto etiam Pontificio, inſequenti anno 5. Calendas Maij Peruſij impetrato, licebat Henrico quamlibet mulierem ſibi quarto con-

ſanguinitatis gradu coniunctâm, (intercedebat autem ipſi cum Conſtantiâ cognatio) matrimonio iungere: exceptis nihilominus iis, quæ de genere *Simonis Comitis Leyceſtriæ*, aut illorum qui ipſius partes ſequebantur, ortæ eſſent. Ex *Iſabella* ſuſcepit Henricus *Theobaldum*, quem nonnulli perperam *Ludouicum* dixerunt, & *Ioannam*. *Theobaldi* coniugio deſtinatam fuiſſe vnam filiarum *Alfonſi* x. Caſtellæ & Legionis Regis, didici ex hoc Indicis, ſeu Inuentarij Tabularij Pompelonenſis, articulo. *Eſcritura otorgada por D. Gil. Garcia de Açagra mayordomo del Rey D. Alonſo de Caſtilla, y por D. Pero Sanchez de Monte-agudo ſeñor de Caſcante teniente lugar del Rey D. Enrique de Nauarra, en razon del matrimonio de* D. Tibaot *hijo y heredero del dicho Rey* D. Enrique * *de Caſtilla à 25 de Setiembre.* De *Ioanna*, pariter, alteri filiorum Eduardi Regis Angliæ, *Henrico* ſcilicet aut *Alfonſo*, in matrimonio collocandâ, cogitatum fuiſſe, arguunt Codicilli, de eo ad pagum *Boniloci* in *Lapurdenſi agro*, inter vtrumque Regem, pridie Kal. Decemb. anno 1273 ſcripti, qui in Tabulario Pompelonenſi viſuntur. Aliquot ante annis filium procreauerat *Henricus* nomine *Ioannem-Henrici* è nobili puellâ, cuius pudicitiam, cum aliter non poſſet, factâ ſpe futuri inter vtrumque coniugij, ipſum expugnaſſe ſunt qui tradãt. *Ioannem*, Philippo *Longo* Rege, inter Nauarræ *Barones* ſeu *Ricos* ſtipendia meruiſſe, eique filium *Martinum-Henrici* in dignitate *Rici* ſucceſſiſſe, legitur in quibuſdam illius temporis Regiorum Quæſtorum commentariis. Ipſum etiam, in infœlici illa pugna, quæ anno 1321 inter Nauarros & Ipuſcuates, ad *Beotibarium* commiſſa eſt, occubuiſſe, authores mihi ſunt nobilis ille à me ſæpius citatus, qui Collectanea rerum Ipuſcuenſium ſcripſit, & Garibayus lib. 26. cap. 15. Ab

hoc *Ioanne-Henrici* originem trahunt hodierni *Lacarræ-Ablitenſes*, qui inter præcipuos Nauarrę proceres recenſentur. *Lacarræ* autem cognomen ab vxore Ioannis-Henrici, *Lacarrani Dynaſtæ* (cuius celebre nomen inter nobiles Vaſcitanos fuit) filia, genti illi acceſſit: ex eo enim coniugio nati ſunt, *Martinus-Henrici Lacarræ* dominus, qui Carolo 2. Rege Vexillarij munus in Nauarra ſumma cum laude geſſit, filiumque reliquit ſibi cognominem, qui Ablitenſem Dynaſtiam obtinuit, primuſq; in eo Regno Mareſcallus creatus fuit, & *Ioanna-Henrici*, quę *Aſiayni* domino nuptui collocata eſt, peperitque *Ioannem-Henrici* Aſiaynium *Lacarræ* dominum. Obiit Henricus Rex Pompelonæ 17. Calend. Aug. anno 1274. Ioannâ filiâ impubere (iam enim Theobaldus filius deceſſerat) hærede Regni relictâ. Poſt eius mortem diuiſis, pro Regni ſtatu, in factiones Nauarræ Proceribus, cum alij Caſtellæ, alij Aragoniæ Regis, Regnum illud ambientium ſtudiis fauerent, & res interea Ioannæ in ſummo diſcrimine verſaretur; *Blanca* Henrici vxor *Ioannam* filiam, clandeſtino conſilio, in Galliam abduxit, ipſamque & ſe *Philippi* Regis, cognomento *Audacis*, fidei & tutelæ permiſit. Anno 1275 menſe Maio *Philippus* & *Blanca* de *Ioannâ* alteri filiorum Regis maiori natu in matrimonio collocandâ paciſcuntur, eaque pacta à plurimis Nauarræ optimatibus, paulò poſt, approbata & confirmata fuere: Anno verò 1284 Calend. Septemb. *Philippus* qui poſtea *Pulchri* cognomen obtinuit, filiorum Regis natu maximus, condictas iam pridem cum Ioannâ nuptias celebrat, exindéque vxorio iure in Nauarrâ regnare incipit.

INTER pleraque pietatis *Iohannæ* & Regiæ munificentiæ documenta, primum locum ſibi vendicat inſti-

tutio Collegij Nauarrici, quod Lutetię ſummis impenſis ædificari & copioſis vectigalibus ac reditibus inſtrui curauit anno 1304. In huius Collegij baſilicâ, parieti inſcripti ſunt verſus, quibus, inter alia, Iohannæ virtutes atque animi dotes deſcribuntur, additis etiam anno & die obitus & loco ſepulturæ, ideoque non indigni meo quidem iudicio qui hic referantur.

Geſtu moroſa fuit & vultu ſpecioſa,
Prudens, robuſta, conſtans, & prouida, iuſta,
Caſta, fide plena, ſpeque abs pietatis habena,
Compatiens animo, ſuſpirans cordis ab imo,
Pauperibus cunctis dans, doctis atque peritis
Viribus & totis diuinis dedita notis,
Sub pede mundana calcans quaſi ſtercora vana.

Et infrà.

Annis triginta tribus extat corpore cincta,
Vixit cum Rege Chriſti ſub nobile lege
Viginti adde dies, ter tres, hinc tres quoque menſes
Tranſit ab hoc Regno, deinceps fruitura ſuperno
Anno milleno trecentenoque quaterno
Cara Deo & munda ſub Aprilis luce ſecundâ
Æde Vicenarum lethum guſtauit amarum:
Corpus delatum fuit & tandem tumulatum
Pariſij medium capiens chorum in Æde Minorum.

LVDOVICVS, cognomento *Hutinus*, filiorum Philippi & Ioannæ natu maximus, ſtatim ab obitu materno, ſe pro Nauarræ Rege gerere cœpit: Anno verò 1307 Regionem illam adiit, præſtitiſque ibi ſolemnibus Regiæ inaugurationis, ac perluſtratis præcipuis oppidis atque vrbibus, Galliam repetiit, vbi poſt aliquot annos, aſſumpto ſceptro Francico, Nonis Iunij anni 1316, in nemore Vicenarum, fato conceſſit, ſepul-

tuſque eſt ad D. Dionyſij. De hoc autem Rege, huiuſmodi monumentum ſcriptum eſt in Necrologio Cœnobij Caſædei Ordinis Prę monſtrat. in Comitatu Pardiaci. *Menſe Iun. Domini Ludouici piæ memoriæ Regis Francorum & Nauarræ, qui regnauit poſt mortem patris ſui Philippi per annum & medium ſub anno Domini 1316 in Feria VI. in nemore de Vicenis de continua infra quinque dies.*

Extinctis *Ludouico* eiuſque filio poſthumo *Iohanne* (qui octo tantum dies vixit) ſuperſtite nihilominus filia *vnica Iohanna*, Regni Nauarræ legitimâ hærede *Philippus Longus* qui Ludouico fratri in Regno Franciæ ſucceſſit, excluſâ Ioannâ, Nauarræ quoque ſceptrum tenuit, legemque Salicam primus omnium trans Pyreneum inuexit: eius exemplum ſequutus *Carolus Pulcher*, frater natu minimus, Philippo mortuo, vtroque Regno potiri ſategit. Hic demum cum naturæ conceſſiſſet, *Iohanna*, trium Nauarræ ordinum decreto, menſe Maio anni 1328 Pompelonæ in æde Dominicanorum fratrum facto, in eam Regionem accita & paterno auitoque Regno reſtituta eſt; atque menſe Martio proximè conſequuto, in eadem ciuitate, magno populi concurſu, ſibi, necnon *Philippo* coniugi Ebroicenſi Comiti diadema Regium impoſuit. *Ioanna* proſperæ fœcunditatis fœmina, octo liberis in Philippi connubio editis, Regiam familiam nobiliſſimâ ſobole auxit. Filias primò exequemur, de filiis vltimo loco dicturi. Maximam natu *Iohannam* Carolus Princeps & Garibayus ignoraſſe videntur; quæ ſpreto, Petri Aragonum Regis filij, coniugio, Cœnobium ſacrarum Virginum *Longicampi* in Pariſienſi agro ingreſſa, Religioſam & Cœnobiticam Regulam ibi profeſſa eſt, quam ſanctè admodũ reliquo vitæ tempore obſeruauit: extat *Longicampi* Epitaphium

ipſius tumulo hoc intellectu Gallicis verbis inſcriptum. *Hic iacet nobiliſsima domina Iohanna Nauarra Ordinis dicti Virginum Minorum ſoror in hac Eccleſia, filia illius Nauarræ Regis, qui in Granatæ* Prouinciâ *pro Chriſti fide obijt, quique Domino Ludouico, filio Regis Franciæ & Ebroicenſi Comite patre genitus fuit, ipſa autem Ioanna filia fuit Dominæ Nauarræ Reginæ, filiæ Ludouici dicti Hutini Franciæ Regis, obijt domina Ioanna anno ſalutis* 1387 *tertia die Iulij, veniam erratorum illi à Deo expoſcite*: mille annuas libras penſionis nomine ipſi à patre Philippo Rege attributas fuiſſe, auctamque denuò eam centenis annuis libris à Carolo fratre, ex Ærario Mantæ capiendis; in eamque rem ſcriptos fuiſſe Codicillos à fratre VIII. Kal. April. anno 1349, narrat Sebaſtianus Roüillardus cap. XIX. illius libri quô vitam Beatæ Iſabellæ, S. Ludouici Regis ſororis, ſcripſit, quæ Collegium illud ſacrarum Virginum propriis impenſis condidiſſe fertur.

De *Blancæ* alterius filiæ matrimonio, cum P*etro* Alfonſi XI. Caſtellę Regis filio, primò tractatum atque agitatum fuit, tabulæque conuenti matrimonij Kal. Iul. anni 1345 conditæ, cum aliis tabulis menſis Decembris proximè inſequuti, quibus priores ratæ habentur, citantur à Ioanne Tilio in commentar. rer. Gallicar. cap de Philippo Valeſio Rege: quæ tamen effectum nō habuerunt; nam poſtmodum *Blanca* alij viro nupſit, P*hilippo* nimirum Franciæ Regi, licet Ioanni eius filio deſtinata eſſet: qua de re placet Papyrij Maſſoni e. lib. 4. Annal. in vitâ Philippi 6. verba hic apponere; *Ambo*, inquit, (id eſt Philippus & Ioannes) *ſororem Regis Nauarrorum adamare cœperunt, ſed* P*hilippus filium feſellit procul à ſe dimiſſum, euocata enim puella illam forma &*

gratiâ nobilem nihil cunctantem duxit, quam ob cauſam Ioannes patrem minus dilexit donec opulentum matrimonium ſe obtulit contrahendum cum Ioanna vidua Ducis Burgundiæ. Et paulò pòſt, *Ventum eſt ad annum* 1350 *quo Rex nimium deditus colendæ formoſiſſimæ vxori corporis vires debilitauit exceſſitque è vita.* Poſt Regis mortem *Blanca* claro caſtitatis & Religioſæ pietatis exemplo, ad annum 1398. (quo demum ad III. Nonas Octobris è vita exceſſit) viduitatem coluit. Cæteræ Philippi & Ioannæ filiæ fuere, *Maria* quæ cum *Petro* Aragonum tunc Principe, deinde Rege, *Agnes* quæ cum *Gaſtone* cognomento Phœbo Comite *Fuxenſi*, & *Ioanna* altera, quæ cum *Ioanne* huius nominis 2. *Vicecomiti Roanenſi* in Britannia nuptias celebrarunt.

FILIORVM natu maximus Carolus parentibus tam in Nauarræ Regno, quàm in Comitatu Ebroicenſi & aliis ditionibus ſucceſſit. Alter filius Philippus Comitatu *Longueuilleo* donatus, nomine legitimæ ſeu *Panagij*, vt vocant, *Iolandam* Roberti Flandri *Caſſeli* Dynaſtæ & Ioannæ Britannæ filiam in coniugio habuit, obiitque ſine prole anno 1364.

LVDOVICVS filiorum natu minimus à fratre Carolo Rege Comitatum *Bellimontis Rogerij* in Normanniâ, atque inſuper *Anethi* ditionem ſeu Caſtellaniam, pro rata portione hæreditatis parentum Philippique fratris anno 1365 menſe Iunio accepit, vt Codicillis hac de re obſignatis in Tabulario Palenſi videre licet, eòque *Comitis Bellimontis* aſſumpto titulo, inde Beaumontiorũ nomen in Nauarram manare cœpit: Anno 1370 vxorem duxit *Ioannam Dyrrachij* Principem, Caroli Siciliæ Regis ex Maria Calabra filiam, quo nomine Comitis titulo *Ducis* Elogium adiunxit, quod ſolo biennij ſpatio ſuſtinuit,

obiit enim an̄no 1372, ſepultus Neapoli in ædc Carthuſianorum fratrum. Aliquot ante annis dum Nauarris pro Rege fratre cum ſummo Imperio præeſſet, è nobili puellâ *Maria Liſſaraſſua* duos procreauerat liberos, filium ſcilicet quem *Carolum* appellari voluit, & filiam nomine Iohannam quæ *Petro Laſſagano* nobili Vaſcitano nupſit, *Carolus* Ludouici filius, qui vulgo *Carlotus* dicebatur, ex vxore *Anna Curtonia* Aquitanicæ gẽtis, *Guiçuni* in Vaſcitania Domina plures ſuſcepit liberos, nempè *Carolum*, qui patre ſuperſtite obiit, *Ludouicum*, qui primus in Nauarra Magiſter Equitum ſeu Conſtabularius dictus eſt, & *Ioannem*, qui in Collegium equitum Ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani cooptatus, illius Ordinis in Nauarra Principatum ſeu Prioratum diu rexit, ex his duobus Caroli filiis, Ludouico & Ioanne, originem habuerunt, quotquot in Nauarra *Belmontiorum* aut *Beaumontiorum* cognomen tulerunt, quorum maſcula ſeries iam pœnè deſita eſt, ex ſequiori vero ſexu propagatæ ſunt, *Comitum Lerinenſium* Albanorum Ducum, & *Baronum Beorleguiorum* familiæ. Filiam quoque reliquit Carolus *Catalinam*, quæ Iohannis Yxarij viri ſummo apud Aragonios loco nati coniugium ſortita eſt. Obiit *Philippus* Ebroicenſis, Rex Nauarræ *Algeziræ* in *Granatenſi* Regno (quò pietatis & religionis ſtudio ad ſacrum contra Mauros bellum profectus fuerat) XVI. Kal. Octobris anno 1343: *Ioanna* verò ipſius vxor ad annum 1349 durauit, quô tandem pridie Nonas Octobris *Confluenti* vico, non procul Lutetiâ, fato functa eſt, vt probat inſcriptio appoſita Cœnotaphio, quod in ęde Dominicanorum Fratrum Pariſiis ambobus conſtrui iuſſit filia *Blanca Franciæ Regina*, in eo loco vbì vtriuſque coniugis corda humo mandata fuerant: mariti corpus

pus

pus in Pompelonenſi Eccleſiâ ſepultum fertur; at Ioannæ oſſa vendicat, ſancti Dionyſij Cœnobium Regiis ſepulchris totâ Galliâ clariſſimum.

CAROLVS filius natu maximus Philippi & Ioannæ, Pompelonæ, menſe Iunio anni 1350 à Nauarris Rex ſalutatus eſt. Vxorem ei, adhuc impuberi, Philippus pater quæſierat *Ioannam Britannam* Penteuri & Goelli Comitiſſam Guidonis Britanni filiam, quia tamen virgo iam viro idonea, Carolus verò longè à pubertate aberat, placuit Philippo Francorum Regi, vt à pactis huius matrimonij, iam inter parentes vtriuſque partis initis, diſcederetur: quo facto, puella in manum alterius viri *Caroli Bleſenſis Caſtillonei* conuenit, vt prolatis tabulis huius matrimonij docuit Ducheſnius lib. 5. cap. 1. commentar. genealogicorum Caſtilloneæ gentis. Adulto Carolo tradita eſt in coniugium *Iohana* Ioannis Francorum Regis filia natu maxima, è quâ numeroſam prolem ſuſcepit, tres ſcilicet filios, *Carolum*, qui patri in Regno ſucceſſit. *Philippum* qui infans obiit, *Petrum Comitem Moretonij* & quatuor filias, *Mariam Alfonſo* Comiti Deniæ, & *Ioannam Ioanni Britanniæ* Duci; eo verò mortuo *Henrico* 4. *Angliæ* Regi nuptui collocatas; *Bonam* & *Blancam* quæ patre ſuperſtite fato functæ ſunt. Caroli natales in annum 1361, Petri in annum 1366 contulit Carolus Princeps: *Blancam* verò 19 annos natam *Oliti* obiiſſe, idem commemorat lib. cap. 25, vbi tamen numerum 13 pro numero 19 legiſſe videtur Garibayus. P*etrus Comitatu Moretonij* donatus, tam à Rege fratre, quàm à Carolo 6. Francorum Rege, vxorem habuit *Catharinam Alençoniam* Petri 2. Comitis Alençonij ex Mariâ Chamallarâ coniuge filiam, è quâ nullis ſuſceptis liberis, lethali morbo occubuit ad *Sacrum-*

Cæſarem Biturigum oppidum, vulgò *Sancerre*, 4. Calend. Aug. anno 1412, vt tum ex hiſtoriâ Iuuenalis Vrſini, tum è quibuſdam monumentis Cameræ Rationum Pariſienſis patet. Ipſius corpus Lutetiam inhumandum deportatum eſt, quod eximio ſepulchro reconditum Principi aræ Carthuſianorum fratrum adiacet, fuit enim, dum vixit, iſtius Cœnobij ſtudioſiſſimus, multaque ei de ſuo impertitus Cœnobitarum etiam numero, quatuor nouis cellis inſtitutis, aucto; adeò ſibi his beneficiis illorum fratrum animos deuinxit, vt continuas preces eadem lege ac vni ipſorum & anniuerſaria ſacrificiorum ſolemnia in perpetuum celebranda ei vouerint, quemadmodum lib. 2. Theatri Antiquitat. Pariſienſ. obſeruauit Iacobus Bruellius. Huius etiam Petri munificentiæ monumento appoſiti ſunt parieti Clauſtri maioris illius Cœnobij, verſus aliquot è quibus proximos huic loco inſerendos ſelegimus.

Intùs fundati ſunt fratres quatuor iſti
. . . .
Quos ſic fundauit & reditibus decorauit
Nauarræ Petrus filius Regis generoſus.

Et in fine:

Anno milleno trecenteno nonageno
Sexto prædicta nituit fundatio facta
Petrus fundator ſit Chriſto verus amator
Agmine ſanctorum ſibi dentur regna polorum.

Bonam hactenus incognitam, familiæ Caroli addidi, fretus authoritate diplomatis cuiuſdam Caroli 6. Francorum Regis, quod in eadem Camerâ Rationum viſitur in Tabulariorum ſcilicet ſcriniis librario ſeu memoriali D litterâ ſignato fol. 221. è quo hæc, quæ ad rem facere mihi viſa ſunt, excerpſi & è Gallicis Latinè reddidi.

CAROLVS *Dei gratiâ Francorum Rex &c. Cum nuper cariſsimo conſobrino noſtro Carolo filio natu maiori Nauarræ Regis permiſerimus curam & adminiſtrationem omnium illarum ditionum, quas in Regno noſtro occupare ſolebat, tam in lingua Occitanæ, quàm Ouytanæ regionibus idem Rex Nauarræ, concedentes etiam eidem conſobrino noſtro vt earum ditionum fructus & vectigalia ſuis vſibus applicare ei liceret, vt aliis noſtris Codicillis liquere aiunt: Conſobrinus autem noſter nobis ſignificauerit fructus & reditus earum ditionum adeo modicos & attritos eſſe, vt ægrè inde ſumptus in cibaria & veſtes tam ſibi quàm alteri noſtro Conſobrino* Petro Nauarro *fratri, &* Bonæ Nauarræ ſorori ipſius *(quorum educationem in ſe recepit) neceſſarij ſuppetere poſsint, ſubmiſsè orans, vt ad impenſas quæ in id ipſi incumbunt ſuſtinendas, aliquid impertiri nobis placeret. Notum facimus nos, &c. Datum Creciâci in Bria* 28. *die Iulij* 1381. *Blancæ* & *Bonæ* cum nulla in teſtamento Caroli patris, quod ille 13. Calend. Iunij anno 1385 condidit, memoria habeatur, eas iam tum vſuram lucis amiſiſſe veriſimile eſt: & *Blancam* quidem *Oliti* ſepultam fuiſſe monuit, ipſius fratris filia, Blanca Nauarræ Regina, in teſtamento à ſe aliquot ante obitum annis ſcripto: *Bona* redierit ne è Galliâ Nauarram, an verò ibi morte intercepta fuerit, neſcitur: De *Ioannæ* vtroque coniugio conſulendus eſt Argentreus hiſtoriæ Britannicæ lib. 9. cap. 20. & lib. 11. cap. 2. *Mariam* in *Alfonſi Comitis Deniæ* matrimonio fuiſſe, probat teſtamentum fratris Caroli anno 1400 compoſitum. Carolo inſuper Regi, è contubernio nobilis fœminæ *Cathalinæ Liçaraſſuæ* natus fuit filius naturalis, *Leonellus*, author clariſſimæ ſtirpis Mareſcallorum qui *Nauarrorum* cognomentum habuere, cuius ſtirpis viriles ſurculi adhuc reſtant in domo *Philippi Nauarri*

viri Illuſtris: Muliebris verò progenies, latos in *Ablitēſem-Lacarranam*, *Mauleonenſem*, *Speletanam* & *Arellaniam* familias traduces miſit. *Ioannæ* quoque Caroli Regis *filiæ naturalis*, in ipſius teſtamento ſupra à nobis commemorato, mentio extat; nuptam fuiſſe alicui viro anno 1400 ſignificat Rex Carolus 3. in teſtamenti tabulis, à ſe eo anno obſignatis, ſed nomen viri reticet, quem tamen, è monumentis quibuſdam illorum temporum (quæ pœnes me ſunt) *Ioannem Bearnium Lordæ* Arcis in Bigerronum Comitatu præfectum fuiſſe liquidò conſtat, éque illius & Ioannæ coniugio genitam fuiſſe filiam *Blancam*, quæ Vicecomiti *Cardonæ* nupſerit. *Beorleguij* quoque dynaſtiæ gratiam, à Carolo Rege Ioanni anno 1393 menſe Maio factam fuiſſe comperio.

CAROLI Regis mortem in annum 1386 Calend. verò Ianuarias incidiſſe, monumentis quibuſdam Tabularij Pompelonenſis confirmatur: At ipſius vxorem I*oannam* 3. Nonas Decembris anno 1382 in *Ebroicenſi* ciuitate interiiſſe, corpuſque eius in ſancti Dionyſij Cœnobium, cor verò Pompelonem ſepelienda miſſa fuiſſe, prodidit Carolus Princeps, à quo tamen diſſident Froſſartes illius ſæculi ſcriptor, qui ad annum 1378, & Garibayus qui ad annum 1374 Ioannæ mortem referunt.

CAROLVS huius nominis 3. Nauarræ Rex, *Caroli* ſuperioris & *Ioannæ Francæ* filius, vxorem habuit *Leonoram*, filiam Henrici 2. Caſtellæ Regis, è quâ filios habuit *Carolum* & *Ludouicum*, qui immaturâ morte prærepti ſunt: Filias verò *Ioannam* vxorem *Ioannis Comitis Fuxenſis*, *Mariam*, & *Margaritam*, quæ ipſo ſuperſtite è vitâ migrarunt, *Blancam*, Martini primùm Siciliæ Regis, deinde, eo extincto, *Ioannis*, Aragonum Regis Ferdinandi, filij natu minoris *coniugem*, quam Regni hære-

dem reliquit, *Beatricem*, *Iacobo Comiti Marchiæ* nuptam, & *Iſabellam* quæ tenerâ ætate Ioanni Aragonio (quem Blancæ ſororis maritum fuiſſe diximus) deſponſa, poſtea Ioanni huius nominis 4. Comiti Armeniaci collocata eſt: quod ſi Garibayo, *Iſabellam*, *Ioannis Aragonij* coniugio deſtinatam, nono ætatis ſuæ annô mortem oppetiiſſe aſſerenti credimus, duas fuiſſe huius nominis filias Carolo Regi conſequens eſt; cum id quod de *Iſabellæ* iſtius Caroli Regis filiæ cum *Comite Armeniaci* nuptiis diximus, certiſſimum ſit & tam tabulis matrimonij, quę in Lactorenſi Tabulario ſeruantur, quàm teſtamento *Blancæ* Nauarræ Reginæ Iſabellæ ſororis, & pleriſque aliis, non ambiguæ fidei monumentis confirmetur atque comprobetur. Cum cęteras Caroli & Eleonoræ filias enumerent Garibayus & alij, vnam *Margaritam* magno ſilentio prętereunt, quam tamen Caroli & Eleonorę familię vendicant poſterioris teſtamenti, ab hoc Rege 14. Calend. Octobris, anno 1403 conſcripti, tabulę, in Chartophylacio Regio Palenſi depoſitę: neque nobis hoc tanto authore & teſte, in eâ inter filias Regis admittendâ, hęſitare licet, quamuis Typographi prępropera feſtinatio illius nomen noſtro ſtemmati ſurripuerit. *Mariam* quæ innupta obiit celebri ſanctitatis famâ vixiſſe teſtatur author Chronici MS. Nauarræ Regum, ſæpè à me citatus. *Blancam* Martino Siciliæ Rege marito mortuo, antequam Ioannis Aragonij matrimonium iniret, ſecundas in Galliâ cum Ludouico Bauariæ Duce nuptias feciſſe, autor eſt Monſtreletus illius æui ſcriptor Gallus volum. 1. cap. 57. & 58. ſuæ hiſtoriæ. Inde tamen, non ita multò poſt, in Nauarram ipſam adductam fuiſſe, Ioanni Aragonio collocandam, atque, in eo facto, præcipuam fuiſſe operam Leonis

Garri, Vicecomitis Çolinenſis, ſignificat Çurita part. 4. Annal. lib. 16. cap. 6. Liberi, extra matrimonium, à Carolo 3. Rege procreati fuere *Lancelotus*, qui Patriarchæ Alexandrini & Pontificis Pompelonenſis dignitate decoratus fuit: *Gotofredus* qui *Corteſij Comes* & Nauarræ Mareſcallus extitit, & *Ioanna* vxor *Innici Ortiſij Eſtunigæ*, poſt cuius obitum *Ludouico Beaumontio* Nauarræ Conſtabulario iterum nupſit, niſi forſan alia eiuſdem nominis Carolo filia non legitimo matrimonio nata extitit: nam *Ludouici* vxorem, Caroli Regis filiam fuiſſe, & Ioannæ nomen habuiſſe plurimis monumentis certiſſimè conſtat. Caroli mortem 6. Id. Septemb. anni 1425 eueniſſe, non *Oliti*, vt putant Garibayus & Sandoual. ſed *Tafallæ* poſſem docere, ſi id tanti eſſet, tam priuatis, quàm publicis illorum temporum monumentis: Vxorem autem *Leonoram* 3. Non. Martij anno 1416 mortem oppetiiſſe colligitur ex Epitaphio ipſius tumulo, in Pompelonenſi templo primario, inſcripto; In aliis tamen monumentis ipſam *Olito* 27 die Februarij anni 1415 vitâ exceſſiſſe, vtriuſque verò corpus die Sabbati 6. Id. Martij anni 1509 Pompelonem ad ædem B. Mariæ (prout ipſorum teſtamentis cautum erat) tranſlatum fuiſſe legitur. Blanca ipſorum filia & Regni hęres, è Ioanne Aragonio marito vnius filij *Caroli* Vianæ Principis; & duarum filiarum *Blancæ* & *Eleonoræ* mater fuit: illa, cum in matrimonio *Henrici* 4. *Caſtellæ Regis* aliquot annos fuiſſet, Eccleſiaſtici iudicis pręcepto ab eo iuſſa eſt diſcedere: *Eleonor Gaſtonem* huius nominis vltimum *Fuxenſem Comitem* maritum habuit, eumque plurimorum liberorum patrem fecit, quorum nomina & ſeriem ſtemmati illorum Comitum, proximo libro deſcribendo, reſeruauimus. Aliam etiam filiam nomine *Ioannam*

Blancæ & Ioannis filiabus annumerat Auctor Chronici MS. Nauarræ Regum, quam virginem ſeu innuptam è vita diſceſſiſſe ait. *Blanca* ipſa apud *ſanctam Mariam de Nieuas* (Caſtellæ oppidi id nomen eſt) anno 1441 Kal. Aprilis lethali morbo occubuit *Carolo filio* ſcripto Regni hærede.

CAROLVM *Vianæ* Principem *Ioannis* Aragoniæ & *Blancæ* Nauarræ Reginæ filium, non deſunt qui inter Nauarræ Reges recenſeant, eò quod matre mortuâ ius Regni ad eum, vt liberorum natu maximum, deuolutum fuerit; ſed Carolus pius iuxta ac modeſtus Princeps, patrem nihilominus regnare, ſéque illius vicarium dici ſuſtinuit; donec ipſo nuptias cum *Ioannâ* filia *Frederici* Caſtellæ Architalaſſi iterante, & in adminiſtratione Regni Nauarrici nouercâ Carolo illius Regni hæredi legitimo præferente, Carolus ius ſuum armis tueri ſtatuit: & initio quidem, factis ſecundis prœliis aliquot, ſuperior euaſit, ſed poſtea Ioanne patre, comparatis à *Gaſtone Comite Fuxio*, genero auxiliis, bellum inſtaurante, ſiue aduerſa tentatus fortunâ, ſiue fauore diuini numinis, filij contra parentem arma etiam iuſta improbantis, deſtitutus, acie ſuperatur, & ad patris victoris manus deuenit. Qui patris cauſam defendunt, hoc vno argumento eam propugnant, quaſi Tabulis conuenti inter ipſum & *Blancam* matrimonij, cautum fuerit præmoriente *Blancâ*, extantibus licet ex eâ liberis, *Ioannem* nihilominus, toto vitæ tempore, in poſſeſſione Regni futurum: in quo eos nulla veritate niti, tabulæ ipſæ demonſtrant, quę in Chartophylaciis Pompelonenſi & Palenſi hactenus conſpiciuntur; quamobrem miror Garibayum, qui Tabulas illas Pompelonę vidit, vulgarem errorem diſſimulando approbare maluiſſe, quam emendando conuel-

lere: Vxorem habuit Carolus *Annam Cliuenſem*, quam anno 1439 duxit, teſtibus Enguerrando Monſtreletio & quodam monumento Tabularij Fani ſancti Ioannis, ad imum Pyrenęum: De quo matrimonio cum iamdiu monuiſſet Abalus Piſcina in hiſtoriâ Nauarrę, neſcio quâ ratione Garibayus illud ſilentio pręterierit Obiit *Anna Oliti* poſtridie Non. April. anno 1448 nullâ editâ prole, corpuſque eius Pompelonem humandum in ędem D. Virginis illatum eſt, vt in quodam Tabularij Pompelonenſis libro eſt annotatum.

Mortuâ *Annâ Carolum* de nouis, cum filiâ *Harenſis* Comitis, nuptiis faciendis ſollicitatum à Rege parente obtemperare abnuiſſe, diſpar genus & inæqualem vtriuſque partis dignitatem cauſatum, elicitur è quibuſdam ſchedis Tabularij Palenſis; liberos habuit non iuſto matrimonio procreatos, ex pellice *Cappâ ſiculâ, Philippum* & *Ioannem*. Ille militari Beatæ Mariæ Monteſanæ ordini præfectus in expugnatione Baezæ morte abſumptus eſt: Alter verò Pontificatum Oſcenſem geſſit. Nata eſt inſuper Carolo ex nobili muliere *Maria Armendarizia*, quam is iniectâ ſpe matrimonij ſtupraſſe dicitur, filia *Anna*, quæ poſtmodum *Ludouici Medinæzelim* dynaſtę coniux fuit. Obiit Barcinonæ IX. Kal. Septemb. anno 1461 poſt eius mortem *Ioannes* pater controuerſo regno placidè potitus eſt, quod tamen ex formulâ pacti cum Gaſtone genero conuenti; cum auxiliares contra filium copias ab eo eliceret, ipſi filiæque Eleonoræ, Gaſtonis vxori, adminiſtrandum dimiſit.

IOANNE Rege ad annum 1479 diem verò XIV. Kal. Febru. è viuis exempto *Eleonora* paucorum dierum Regina fuit, quarto enim & vigeſimo, ex quo *Tutelæ* ſolemni more inaugurata fuerat, ipſam interiiſſe ferunt, ſepultamque

pultamque *Taſallæ* in æde Franciſcanorum fratrum, D. Sebaſtiano ſacra.

Succeſſit in regno *Franciſcus Phœbus*, ex Gaſtone filio iampridem mortuo, Eleonoræ nepos, qui diu illud per legatum, eundémque patruum ſuum, Petrum Cardinalem rexit, ipſo interim in Principatu Bearnenſi moram faciente: At poſtea, cum ſe aſſiduis Nauarrorum votis expetitum cognoſceret, ſub finem anni 1481, ad eos commigrauit, & menſe Decembri, ſolemnibus inaugurationis Pompelone peractis & inuiſendis præcipuis vrbibus atque oppidis diebus aliquot impenſis, Aquitaniam repetiit, vbi menſe Ianuario anni à Chriſto nato 1483, cum decimum ſextum tantummodò ætatiſ annum attigiſſet, vitæ finem fecit. Succeſſorem in Regno aliiſq; ditionibus habuit ſororem *Catalinam* quæ *Iohanni* Lebretio, *Alani Lebretij Dynaſtæ* Potentiſſimi filio, natu maiori, ſe in vxorem & Regnum in dotem dedit. Cum iam annum vndetrigeſimum Regnaret, cum Rege autem Marito vigeſimum ſeptimum, ambo improuiſo & inopinato bello, veluti fulmine quodam, impetiti ſunt. Ferdinandus enim Aragoniæ & Caſtellæ Rex, Ludouici XI. Galliæ Regis ſe hoſtem in gratiam Iulij 2. Romani Pontificis profeſſus, copioſiſſimo conſcripto exercitu, eique Albanoduce præpoſito, illum de repentè per ſpeciem in Aquitaniam traiiciendi in Nauarram direxit, vbi dum tutam viam & tranſitus innoxios ſe quærere fingit Albanus, ſecuros de Bello Principes, & nihil mali præſertim à Ferdinando propinquo & fœderato Rege, ſibique, vt putabant, amico, ſuſpicantes facilè oppreſſit, vrbeſque & arces præcipuas, interque eas Pompelonem Regni caput vacuas præſidiis nactus, nullo negotio ad deditionem compulit & hic finis Regni Nauarrici fuit;

Ferdinandus enim, non ita multò poſt, illud Caſtellæ annexuit atque in Prouincię formam redegit. Iohannes autem & Catalina patrio ſolo extorres, tranſcenſo Pyreneo, in Aquitaniam ſe contulerunt, vbi paucis poſt annis ęrumnoſam & infœlicem vitam finierunt, ille in Caſtro *Sgarrabaca* dicto ſecus *Munenhium* vicum Principatus Bearnenſis, ad VIII. Kal. Iul. anni 1516. Catarina verò Montemartiano in Gaſconiâ XII. Kal. Mart. eiuſdem anni: De eorum liberis, & numeroſo Catarinę partu dicam poſtremo libro in ſtemmate gentis Lebretię.

Appendix ſtemmatis Regij Nauarrici, de inſignibus Regum gentilitiis, cum catalogo tam Proregum, qui cum ſummo imperio Nauarræ præfuerunt, quam Vexillariorum, Magiſtrorum Equitum ſeu Conſtabulariorum & Mareſcallorum illius Regni.

CAPVT XVI.

GARCIÆ-XIMENI Regi rubram parmam, ſymbolico icone vacuam, Inſigne fuiſſe, à nonnullis eſt proditum: Aliis tamen placet quercum ſeu ilicem, incubante ſummo faſtigio cruce, ab ipſo cum Mauris prœlianti in aëre, fœlici inſtantis victoriæ omine, viſam, illicò pro ſymbolo militari arreptam: *Enneconem* verò Regem, obtentu *Ariſtæ* cognominis ſibi à populo impoſiti, Ariſtis ſcuti gentilitij ſolum conſeuiſſe, poſteaque ex pari miraculo alterius Crucis, à ſe contra Chriſtiani nominis hoſtes dimicanti, in aëre conſpectæ, argenteam Crucem in dextrâ ſcuti parte additam: *Sanctium* denique Garſiæ huius nominis primum; cognomento *Abarcæ* (quod ipſi à calceamenti genere, à ſe in milita-

ribus expeditionibus vſurpato, acceſſerat) alludentem, binas abarcas Ariſtis adieciſſe. Enimuerò cum hæc magis ex vulgi ſermone, vanis recentiorum quorumdam ſcriptorum hariolationibus excitato, quam ex veritate aut certâ aliquâ demonſtratione pendeant, paruifacienda ſunt: tametſi ea, quæ de quercu, ilice aut aliâ haud abſimili arbore in ſcutis ſeu ſignis priſcorum Regum impreſſa narrari ſolent, probare videntur vetuſti nummi Aragoniæ Regum, apud Hieronymum Blancam in comment. rer. Aragon. & Franciſcum Aynſanum in hiſtoriâ ciuitatis Oſcenſis; huiuſmodi arboris imaginem inſculptam præferentes. Illud porrò pro certo ponere non verebor, iſthæc Inſignia ſymbolica tardè admodum, nec niſi regnante in Nauarrâ Sanctio huius nominis vltimo, diplomatibus Regiis apponi cœpiſſe: ſuperioribus enim Regibus, ſolâ crucis figurâ, in calce tabularum delineatâ, obſignare moris erat, initio verò illarum non rarò præfigebatur hæc nota,



quæ Crucis ſigno & tribus Grçcis literis X, P, Σ, (quibus Chriſti nomen compendiariò ſcribi ſolet) compoſita, Chriſtum Cruci impoſitum deſignabat. Illi autem notæ interdum adiiciebantur initialis A & finalis Ω alphabeti litteræ, à beato Ioanne in Apocalypſi, Chriſto, vt ipſum rerum omnium initium & finem eſſe ſignificaret, attributæ. Primus itaque Sanctius vltimus, ſymbolum ſuum militare, aquilam ſcilicet furuam, expanſis alis & argenteo roſtro, diplomatibus à ſe ſcriptis appinxit, quemadmodum in variis locis Chartularij Regis Theobaldi in Tabulario Regio Pompelonenſi exiſtentis obſeruauimus: veteris tamen ſymboli ſpeciem, poſt annos aliquot, à Sanctio, occaſione inſignis victoriæ à Mauris in eo loco,

qui vulgò *Nauas de Toloſa* nuncupatur, reportatæ, immutatam eſſe, inque eius locum ſucceſſiſſe effigiem catenarum ferrearum, quas Miramolini Regis Mauri Prætorium circumuallentes, Sanctius fortiter perruperat atque perfregerat, vetus opinio iam vſque ab auorum noſtrorum ducta memoriâ Nauarram oppleuit: quam tamen vt pro incertâ habeam, duobus potiſſimùm impellor rationibus; primùm figurâ ipsâ ſymboli ſeu inſignium, quibus Nauarræ Reges à Sanctio vltimo ad noſtra vſque tempora vſi ſunt, quæ nullam cum catenis habet ſimilitudinis affinitatem, ſicubi enim illa inſignia catenarum ſpecie adumbrata ſunt, id à quinquaginta circiter annis, ſolâ authoritate aut conſilio recentiorum hiſtoricorum factum, cuilibet accuratiùs cauſas huius rei rimanti facilè innoteſcet: At vera illorum inſignium effigies, hæc ipſa eſt, quam hic incidendam curauimus ita



enim expreſſa conſpicitur non in infinitis tantum ſigillis ac nūmis diuerſorū Regum, ſed etiam in ſpecularibus Baſilicæ primarij templi Pariſienſis, Virgini matri ſacri, quæ alter utri⁹ de Theobaldis vel Henrici Regum temporibus picta fuiſſe, annexa Nauarricis Campaniæ inſignia ſignificant: ab hac autem formâ nihil diſcrepant eorumdem inſignium imagines, quæ Lutetiæ in Collegio Nauarrico, ac in Cœnobio Carthuſianorum, in cippo *Petri Nauarri* Comitis Moretonij; eæ item quæ in *Caſtro Palenſi*, Principatus Bearnenſis, in Eccleſiâ Præmonſtratenſium


fratrum *Scalæ-Dei* in Bigerronibus & in compluribus Nauarræ tam citerioris quàm vlterioris locis, vel lapidibus inſculptæ, vel in parietibus ac in vitreis feneſtris depictæ proſtant. Deinde ſi authoritatibus certandum eſt, ſolus, inter ſuperioris memoriæ ſcriptores, pro catenis illis pugnat Carolus Nauarræ Princeps, qui ducentis tantummodo annis ætatem noſtram anteceſſit: pro contrariâ verò ſententiâ alij longè plures & antiquiores, qui ex profeſſo de re Heraldicâ ſiue de Regum, Principum aliorumque nobilium inſignibus ſcripſerunt: Hi enim omnes conſtanti concordiâ, Scutum Gentilitium Nauarræ Regum, non catenis, ſed Carbunculo radiato, aureo, ſphærulis interſtincto inſtruũt, addito vmbilico praſino. Vetus liber MS. membranaceus bibliothecæ illuſtriſſimi Renati Longolij *Deſmaiſons*, in ſuprema vectigalium curiâ Pariſienſi Præſidis. *Le Roy de Nauarre porte de gueulles à vne eſcarboucle florie d'or & le cœur de ſynople.* Id eſt, Rex Nauarræ geſtat pro inſignibus, in æquore phœniceo carbunculum, globulis diſcretum, aureum, corde praſino. Auctor alterius libri MS. Carolo 5. Francorum Rege, (vt ex ipſo colligitur) elaborati, quem Scæuolæ & Ludouici Sammartanorum fratrum, geminorum noſtratis hiſtoriæ ſyderum, bibliotheca nobis ſuppeditauit. *Le Roy de Nauarre de gueulles à vne eſcarboucle d'or pometée fremée & perchée,* Nauarræ Rex, inquit, coccineam geſtat aream, in eâque carbunculum, aureum, bullatum, lineis orthogoniis clauſum: idem totidem verbis legitur in alio libro minoris vetuſtatis alterius Ludouici Sammartani, in Curiâ Præfectorum Militiæ Gallicæ Propratoris, ac in alio quoque Hectoris Britanni, primarij Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIII fœcialis, ſeu Regis armorum, vt

voeant: Paulò plenius in hac parte eſt commentarium Gentilitiorum Inſignium, quod nobis communicarunt, totius antiquitatis & bonarum litterarum vindices, Petrus & Iacobus Puteani fratres, anno 1380, vt ibidem annotatum eſt, compoſitum, ſic enim fol. 170 illius ſcriptum extat. *Le Roy de Nauarre eſcartelé, de gueulles à l'eſcarboucle d'or pometé & party de ſynople en la moyenne en guiſe d'Eſmeralde & lieu* (lege, l'autre) *de France a vn baſton componé d'argent & de gueules*, hoc eſt, Nauarræ Regis ſcutum quadripartitum, altera pars phœnicea, carbunculo aureo, ſphęrulis diſtincto impreſſa, in Meditullio praſino ſmaragdi ſpecie ſecta: Altera Francica baculo ſymbolico, argento & coccino interſito, obliquè incubante: Hos ſcriptores ſecuti ſunt alij ſuperioris & iſtius noſtri ſęculi, pręcipuè verò Ioannes Feronus & Hieronymus Barra & nouiſſimè Ioannes Iacobus Chifſletius vir eruditus Philippi 4. Hiſpaniæ Regis Catholici Archiatrus: ſic enim ille, in eo libro, quem de Inſignibus Gentilitiis equitum Ordinis Velleris aurei ſcripſit num. 57. Ioannis Aragoniæ & Nauarræ Regis (qui in illorum equitum numerum anno 1461 cooptatus fuerat) Inſignia deſcribit. *Scutum quadripertitum I & IV quadrans Aragonicus II & III coccineus, carbunculo lineari clauſo & ſphærulis diſcreto, aureo impreſſus.*

CAROLO autem Principi an errorem præbuerint neſcio hæc Garſiæ Euguij, in Sanctij vitâ, verba. *Eſte Rey D. Sancho gano alli las cadenas y tiendas que ſon oy en Nauarra:* quibus verbis is author catenas à Sanctio non pro ſymbolo militari aſſumptas, ſed in variis Nauarræ templis poſitas & in anathematum modum appenſas, (ſicuti hodie conſpiciuntur) indicare voluit: Præterea in hoc Carolum errore ductum fuiſſe palam eſt, quod,

præter catenas, Nauarræ inſignibus Ariſtas ineſſe credidit, quæ tamen nuſquam apparent. Eius verba lib. 2. cap. 16. ſunt. *El Rey de Nauarra tomo el dicho cadenado de los gamellos è las tiendas è conquiſto las cadenas por armas & aſſento las ſobre las Arieſtas con vn punto en medio de Sinople.*

DE Smaragdo, qui areæ Inſignium Nauarricorum vmbilicum occupat, ipſum, de manubiis, prœlio ad *Nauas Tholoſæ* facto, partis, ad Sanctium perueniſſe aſſeruit author Chronici contracti Nauarræ Regum, qui Carolo v. Cæſare in Nauarrâ imperante ſcribebat. In eâdem fuere ſententiâ Argotus à Molina lib. de Nobilitate Andaluziæ & alij ferè omnes, ſi Marcum Antonium Muretum excipias: hic enim in oratione ad Pium IV. Pontificem Max. poſtridie Idus Decembris anno 1560. pro Antonio Rege Nauarræ habitâ, ideo Smaragdum à Sanctio Inſignibus ſuis adiectum fuiſſe narrat, vt eſſet monimentum Mauri Regis, *Smaragdi* nomine, ab ipſo eo prœlio ad *Nauas Tholoſæ* commiſſo interfecti. Sculpebatur autem hic Smaragdus principio globoſâ & rotundâ figurâ: Poſtea verò eius forma variari cœpit & modò in quadrangulam modò in aliam minus vſitatam (quales ſubiectis ſchematibus effinximus) conformari.



MASCVLA prole Nauarræ Regum in Sanctio vltimo cōſumptâ, ius Regni fœminea ſtirpe, ad Principes Gallos, primò ſcilicet ad Comites Campaniæ: deinde ad Reges Franciæ: mox ad Cómites Ébroicenſes & tandem ad Comites Fuxenſes deuolutum eſt: quibus in Galliâ ferè ſemper cōſiſtentibus & in magnis rebus occupatis, miſſi ſunt in Nauarram Rectores qui eam Regio imperio

Seneſcallorum aut Gubernatorum titulo adminiſtrarent: Horum ſeriem, quoniam ad hiſtoriæ lucem non inutilem fore viſum eſt, huic appendici attexere opportunum duxi, vnà cum Catalogo illorum, qui Vexillarij, Magiſtri equitum, Conſtabularij & Mareſcalli munera in eo Regno geſſerunt, quorum nomina magna ex parte nunc primum è vetuſtis monumentis prodeunt.

Seneſcalli Nauarræ.

Pontius Duymeus anno 1237.
Sanctius Fernandez Montacutius anno 1254.
Gaufredus Beaumontius anno 1257.
Clemens Aulnetius vel Abeneus anno 1268.

Gubernatores.

Petrus Sanctius Montacutius Caſcanti dominus 1273. & 74.
Euſtachius Bello-Marcheſius annis 1275. & 76. & 77.
Reginaldus à Roboreto 1278. & 79.
Clemens Aulnetius 1281. & 85.
Guerinus ab Amploputeo 1289.
Hugo Conflantius Campaniæ Mareſcallus 1292. & 94.
Alphonſus à Roboreto ſiue Rouureus ab anno 1297. ad annum 1306.
Hugo Viſſacus anno 1306.
Guillelmus Chaudeneus anno 1307.
Enguerranus Villeus annis 1312. & 1313.
Alfonſus Rouureus anno 1316.
Pontius Morentanius Vicecomes Auneſij ab anno 1317. ad annum 1321. quo in Franciam à Rege euocato Nauarram rexerunt eius Vicarij Aymarius Archiſacus anno 1319. & Ioffredus Mortaynius Caſtilloni Dominus anno 1320.
Alfonſus Rouureus annis 1322. 23. & 24.

Petrus

Petrus Raymundus Rabaſtenxius annis 1326. & 27.
Henricus Suliacus annis 1329. 1330. 31. 32. & 34.
Martinus Medranus dominus Sartacutæ anno 1330. nomine Vicarij Gubernatoris Nauarram adminiſtrabat.
Saladinus Angluranus Cheueſini dynaſta Gubernator Nauarræ annis 1336. 37. & 38.
N. Epiſcopus Catalaunenſis Proregis nomine Nauarræ præerat anno 1338.
Reginaldus Pontius Gubernator anno 1340.
Ioannes Fraxineus Gubernatoris Vicario nomine adminiſtrabat eodem anno 1340.
Ioannes Archiepiſcopus Senonẽſis Prorex, ſeu Vicarius Regis anno 1342.
Guillelmus Braheus Gubernator anno 1344.
Ioannes Conflantius Domipetri dynaſta, Campaniæ Mareſcallus gubernabat anno 1346.
Guichartus Hyarzius Gubernator anno 1355: ex Garibayo lib. 27. cap. XI.
Ludouicus, Caroli Nauarrę Regis frater, Vicarius Regis anno 1355. & aliis proximè conſecutis.
Egidius Garcias Dianizius Vicario nomine Ludouici, Infantis, Nauarræ Gubernatoris illi Regno præerat anno 1358.
Petrus Aluius erat Vicarius eiuſdem Infantis & Gubernatoris anno 1359. 3. Nonas Iunij.
Frater Montolinus Layanus, Ordinis Equitum ſancti Ioannis Hieroſolymitani Prior, hoc eſt, Præfectus, Vicario Gubernatoris nomine adminiſtrabat anno 1368.
Ioanna Franciæ Regis filia natu maxima, Nauarræ Regina, Vicaria Regis mariti anno 1370.
Ioannes Fraxineus 1379: ex Garibayo lib. 27. cap. 32.

Leonor Nauarræ Regina, Regis coniugis Vicaria anno 1403. & 1404.

Carolus Princeps Vianæ, Ioannis Aragonij & Blancæ Nauarræ Reginæ filius, vtroque parente in Caſtellâ moram faciente, diu Nauarram rexit Vicario nomine ipſorum.

Cum Nauarra ferè omnis à Ioanne Aragonio deſciuiſſet annis 1458 & 59. peregrè profecturus Carolus Princeps Vianæ, illi Ioannem Beaumontium Equitum Ordinis Hieroſolymitani Priorem, præfecit.

Eleonor, Caroli Principis Vianæ ſoror, poſt fratris mortem Vicario patris nomine Regnum adminiſtrauit.

Magdalena, Franciæ Regum filia & ſoror, Franciſci Phœbi Nauarræ Regis mater, tutorio filij nomine adminiſtrabat anno 1479. menſibus Aug. & Septemb.

Petrus Fuxius Cardinalis, Frãciſci Phœbi Regis patruus, eiuſdem Vicarius extitit in Nauarrâ annis 1480. 81. & 82.

Idem Petrus Fuxius Franciſco Phœbo mortuo Catharinæ Franciſci ſororis nomine Nauarram regebat anno 1486. menſe Maio.

Alanus dynaſta Lebretius, Catharinæ Reginæ ſocer, Regni Vicarius ab eâ conſtituitur 8. Kalend. Octob. 1486.

Gabriel Lebretius, Abenei dynaſta, Alani filius, primo Vicario patris, deinde Catharinæ nomine Regnum adminiſtrauit annis 1490. 91. 92.

Floriſtanus Acrimontanus Gubernator anno 1497.

Catalina, Ioannis Lebretij & Catharinæ Reginæ filia, Vicario parentum nomine præerat Nauarræ anno 1500.

1353 1111

Catalogus Vexillariorum Nauarræ.

Ignatius Lalaneus Larreæ dominus anno 839.

*

*

Fortunius Sanctij anno 1040. menſe Iulio.

Inichus Sanctij anno 1072: ex Sandouallio in commentario rerum S. Æmiliani §. 61. & Garibayo lib. 22. cap. 36.

Fortunius Inici anno 1074: ex eodem Sandouallij libro §. 64.

Garcias-Ximeni anno 1105: ex Ioanne Brizio Martinez lib. 5. cap. 29.

Fortunius Sanctij anno 1124.

Fortunius Almorauidus anno 1174.

Ioannes Petri Vaſtanus anno 1192. & 98.

Gonçalus Gomeſius Agoncillus anno 1212: ex Garibayo lib. 24. cap. 19. & Argoto Molina lib. 1. cap. 39.

Gonçalus Ioannis Vaſtanius 1226. 1268. & 1274.

Fortunius Almorauidus anno 1301. & 1302.

Augerius Mauleonius anno 1312. & inſequentibus, vſque ad annum 1318. quo mortem oppetiit.

Martinus Ayuarius ſucceſſit Augerio Mauleonio.

Ioannes Corbaranus Leetius anno 1328.

Martinus-Henrici Lacarræ dominus 1350. & inde ad annum 1378.

Fortunius Almorauidus Leetius anno 1379: ex Garibayo lib. 27. cap. 32.

Carolus Beaumontius ab anno 1387 vſque ad annum 1432. quo mortem oppetiit. Poſt eius obitum Vexillarij munus abolitum fuit, inque eius locum ſurrogata dignitas Magiſtri Equitum ſeu Conſtabularij.

Ludouicus Beaumontius, ex lege pacti, inter ipſum &

Ioannam Caroli Nauarræ Regis huius nominis vltimi filiam, matrimonij, Conſtabularij munus adeptus eſt poſt mortem Caroli Beaumontij parentis, vltimi Nauarræ Vexillarij. Diem obiit Madriti anno 1462.

Petrus Peralta à Ioanne Aragonio Nauarræ Regnum occupante creatur Conſtabularius, reiecto Ludouico Beaumontio ſuperioris Ludouici filio.

Ludouicus Beaumontius 2. Conſtabularij munus, ex fœdere pacis cum Franciſco Phœbo Nauarræ Rege depactæ, recepit.

Alfonſus Peralta, pulſo è Nauarrâ armis Ioannis Lebretij & Catharinæ eius vxoris Ludouico Beaumontio, ad annum 1498, fit Magiſter Equitum ſeu Conſtabularius.

Ludouicus Beaumontius 3. eius nominis anno 1512. à Ferdinando poſt occupatam Nauarram Conſtabularij munus, quo ipſius maiores perfuncti fuerant, conſequutus eſt.

Mareſcalli Nauarræ.

1. Martinus-Henrici Lacarranus primus Mareſcallus à Carolo 3. Rege creatus adminiſtrabat id munus anno 1390.
2. Gotofredus, Caroli 3. Regis filius naturalis, Comes Corteſij, ab eodem Rege, Lacarrano in illo munere ſufficitur.
3. Philippus Nauarrus eiuſdem Caroli nepos, Leonelli filius, Gotofredo è Nauarra exulante, in dignitate Mareſcalli ei ſurrogatus fuit: exceſſit è vitâ anno 1450.
4. Petrus Philippi filius vel, vt quibuſdam placet, frater, ipſi in eâ dignitate ſucceſſit, fuitque interemptus, Pompeloni 3. Nonas Decembris anno 1378.

5. Philippus 2. Petri filius vel, vt aliorum eſt ſententia, frater quintus Nauarræ Mareſcallus.

7. Petrus Philippi 2. frater cum Mareſcalli officium exequeretur, ſub Ioanne Lebretio & Catharinâ, à Ferdinandi Aragonij Ducibus captus, obiit in carcere ad Septemmancas.

Veterum Aragoniæ atque Bizcayæ Comitum ſeries.

CAPVT XVII.

ARAGONIÆ Comites, ab antiquis hiſtoricis vel ignorati, vel neglecti, beneficio authoris Anonymi Annal. Aragonenſium, primùm emerſerunt. Illo enim tradente *Aznarij* eiuſque filij *Galindi* notitiam habuimus. Tertium autem Comitem *Fortunium-Eximini*, Caroli Nauarræ Principis diligentia, è taciturnitatis & obliuionis caligine eduxit. His inſuper tres alios *Eximinum Azenarij*, *Eximinum Garſiæ* & *Garſiam-Azenarij* adiunxit Beuterus, quem ſecuti ſunt recentiores ferè omnes; ſed cum nullis idoneis monumentis caueat, nec vetuſtus aliquis author hic fidem ſuam interponat, Vereor vt non ſatis ſit firmitatis in ſingulari iſtius nouitij Scriptoris teſtimonio, ad tres iſtos Principes viros, in huius poſſeſſione Comitatus retinendos: &, vt verum ſit eos reuera Comites Aragonenſes extitiſſe, in ordine tamen ſucceſſionis, atque in ætatibus ipſorum deſignandis falſum fuiſſe Beuterum ambigi non poteſt. De tempore poſtea viderimus: Ad ordinem quod ſpectat, patronymicum *Aznarij*, Ximino & Garciæ additum, vtrumque *Aznarij* filium fuiſſe antiquitatis Hiſpanicæ gnaris facilè perſuaſerit; Cum tamen alterum *Galindi*,

alterum *Ximini* filium faciat Beuterus. Patronymicum etiam *Ximini* Fortunio additum, hunc Ximini filium fuiſſe arguit potius quam Garſiæ, quod credidit idem author. Sed hæc miſſa facio, piget enim incerta ponere & illorum duntaxat Comitum, de quibus dubitari non poteſt, ſtemma hic appono.

Sanctius nobilis Vaſco.

Azenarius Comes Vaſconiæ Citerioris, Pompelonenſis Regis auſpiciis, *Iaccam* Mauris eripuit, ibique Aragonenſis Comitatus ſedem conſtituit. Obiit anno 836.

Sanctius mortuo fratre, primò Citerioris Vaſconiæ. Deinde totius Gaſconiæ Comes, viuebat anno 850.

Sanctia, *Vxor* Ymonis vel Emenonis Comitis Petragoricenſis.

Arnaldus Comes Gaſconiæ anno 864.

Galindus Aznarij Comes Aragoniæ.

Eximinus Azenarij.

Theuda, *Vxor* Bernardi Comitis Ripacurcienſis.

N. *Vxor* Sanctij-Garſiæ-Pompelonenſis Regis.

Endregotus-Galindi.

Ximena ſeu Taraſia, *Vxor* Garſiæ Sanctij Regis Pompel.

Fortunius Eximini Comes Aragonenſis.

Aznarius 2. Comes Aragonenſis.

AZNARII primi Aragoniæ Comitis genus ab *Eudone* Aquitaniæ Duce repetit lib. 31. cap. 2. Garibayus, in quo ſe fidem veterum aliquot Cantabriæ monumentorum ſequutum profitetur, quibus, inquit, proditur *Andecam, nobilem virum, genere* Ducum Cantabriæ *ortum, in eâ clade, quam vltimam* Rodericus *Hiſpaniæ Rex à Mauris paſſus eſt, cecidiſſe, relictis filio* Hedone *vel* Heudone *& filia* Velindâ, *Heudonem* ductâ in vxorem *Aquitaniæ Ducis filia atque hærede* (vtriuſque nomen reticet) *illo Principatu potitum fuiſſe liberoſque habuiſſe præter* Hunoldum: Vuifarium *&* Aznarium, *patrem alterius* Hedonis Vizcayæ *dynaſtæ & alterius* Aznarij *primi*

Aragoniæ Comitis, filiam quoque Meninam *ſeu* Momeranam *Froilæ Aſturienſi Regi in matrimonio collocatam.*

HÆC mihi non tam ab antiquo literis conſignata videntur, quam recens nata & à ſciolo quopiam dum ſuis coniecturis authoritatem venatur, partim è vulgaribus Hiſtoricis, partim è propriis commentis concinnata: ſed, vt vt ſunt, cum Garibayus neque ea monumenta ediderit, neque authorem illorum vel ætatem quâ ſcripta ſunt, indicauerit, locum verò, vbi ipſa nactus eſt, nos etiam præter ſuam conſuetudinem celatos voluerit; quis tam credulus, vt in re tantopere abſtruſâ & obſcurâ, ab illorum monumentorum fide pendere velit? Addo, illa quæ inibi de *Eudonis* ſtirpe commemorantur, iis quæ plerique ſcriptores Eudonis æquales, aut ab eius ætate recentes memoriæ mandarunt, planè aduerſari. Hi enim cum Eudonis liberorum prolixè meminerint. *Aznarium* tamen & *Meninam* ſeu *Momeranam* nequaquam iis adſcribunt, ſed alios auctori illius monimenti Cantabrici, à Garibayo iactati, ignotos *Hattonem*, ſcilicet, qui à Carolo Martello anno 736 in bello captus & in vincula coniectus, deinde iis abſolutus, tandem à fratre *Hunaldo* excœcatus fuit, vt veteri Chronico Monaſterij ſancti Nazarij à Frehero edito, & fragmento paſſionis SS. Bertharij & Athaleni, quod nuper operâ Andreæ Ducheſnij vulgatum eſt, continetur. *Remiſtagnum*, qui anno 769 Caroli Magni iuſſu teſte Fredegario laqueo vitam finiit: & *Lampagiam* filiam, quam *Aimoni* Cæſaraugustæ Regi nupſiſſe legitur in geſtis Pontificum Antiſſiodorenſium, quorum excerpta tomo I. veterum Franciæ hiſtoricorũ inſeruit idem Ducheſnius: *Vuifarium* denique *Eudonis* non *filium* ſed *nepotem*, *Hunoaldo* patre prognatum fuiſſe, docent Author paſſionis

SS. Bertharij & Athaleni, & Ado Viennenſis Epiſcopus. Iſidorus Pacenſis & Rodericus Toletanus, vterque Hiſpanus ſcriptor, cum de obſeſsâ à *Zamâ* Sarraceno Duce *Toloſâ*, eademque, interfecto Zamâ, Eudonis virtute liberatâ verba faciunt, Eudoni ſolum Gallorum ſeu Francorum Ducis elogium tribuunt. Atenim ſi is Hiſpanus gente atque origine extitiſſet, illud ab indigenis præſertim ſcriptoribus eo loco prætermitti non decebat: Francum autem vel Gallum fuiſſe, innuit etiam nominis ratio; Cum *Eudonis* appellatio in Galliâ frequens, in Hiſpaniâ verò rara & prorſus inuſitata fuerit.

IAM ea, quæ de *Aznario* primo *Aragoniæ* Comite eiuſque fratre *Hedone Biſcayæ* dynaſta, in monumentis à Garibayo laudatis, celebrantur, falſa eſſe, ex eo conficitur, quod illorum ætas centum plus minus annis à tempore Eudonis diſtat (*Garciæ* enim *Eneconis Pompelonenſis Regis* æquales eos faciunt, monumenta illa, quem poſt annum 858 Regnum inchoaſſe ſupra docuimus:) Vixiſſéq; Aznariũ non in Hiſpaniâ patrio ſolo extorrem, ſed in ipsâ Galliâ & in Ludouici Pij obſequio atque amicitiâ, ea quæ de ipſo Pompelonem anno 824 à Ludouico cum copiis miſſo, ab auctoribus vitæ Ludouici narrantur, perſpicuè oſtendunt. Hæc cum ita ſint, immane dictu eſt quot nihilominus & quanti viri Garibaij auctoritate ducti, fabulam illam de *Andeca* patre, *Aznario* filio, *Hedone* verò ac *Aznario* 2. nepotibus *Eudonis*, pro veritate amplexi ſint. Nos autem *Aznario* patrem dedimus *Sanctium* impulſi patronymico *Sanctij* vel *Sancionis*, quod *Aznarij* fratri, *Sanctio*, tam à D. Eulogio in epiſtolâ ad VVilleſindum Epiſcopum Pompelonenſem, quàm ab Authore antiqui Chronici S. Arnulfi Metenſis manuſcr. cuius exemplum apud Andrçam Ducheſnium vidi, tribuitur.

buitur. *Sanctium* autem *Aznarij* fratrem fuiſſe, Aznariumque anno 836 deceſſiſſe, idem Author teſtatur his verbis. *Aznarius citerioris Hiſpaniæ Comes qui ante aliquot annos à Pipino deſciuerat horribili morte interiit, fraterque illius Sanctius Sanctij eandem regionem negante Pipino occupauit*. *Galindum* autem Aznarij filium regnantibus *Garſiâ-Simeni & Garſia-Eneconis*, hoc eſt ab anno 856 ad annum 867. Comitatu Aragoniæ potitum fuiſſe, *Fortunium* verò *Ximenonis*, ſub eodem Rege Garſia-Eneconis: *Aznarium* denique 2. ſub Rege *Fortunio-Garſiâ*, eumdem Principatum poſſediſſe, liquet ex variis illorum Regum diplomatibus, à Ioanne Brizio Martini lib. 1. Hiſtor. Pinnat. cap. 20. 26. 30. & 42. commemoratis: quorum certè authoritate, ſententiam mutare decebat eos, qui Aragoniæ Comitatum *Vrracæ*, *Garſiæ-Eneconis*, Regis Pompelonenſis; *vxoris* dotem fuiſſe, eoque matrimonio *vtrumque Principatum*, in vnum coaluiſſe arbitrati ſunt. Vnicum argumentum quo errorem hunc deffendere conatus eſt Blanca, ex eo ductum, quod, in diplomate quodam ab ipſo vulgato, *Garſias Eneconis Rex*, habitâ mentione ſucceſſorum ſuorum, *Regum Principum & Comitum* nomine eos deſignat, quaſi *voce Comitis* ſe ſe Comitem Aragonenſem hîc profiteri voluerit, arguit Blancam parum attendiſſe ad veterem ſcribendi modum librariorum, qui non rarò diplomata Regia conſimili orationis genere concludere ſoliti erant: duo aut tria hic apponam exempla, plura occurrent, quibus antiqua monumenta euoluere volupè erit. Garibayus lib. 22. cap. 19. tabulas exhibuit *Garſiæ Tremuli Regis*, quæ formulam donati ab eo Rege *Sancti Æmiliani Cœnobitis*, ærâ 1035, *Alenſonij amiis* perſcriptam gerunt. In fine autem earum, hæc

AA a

verba ſub nomine Regis poſita ſunt. *Si quis verò Regum vel Comitum aut Principum, vel quilibet ex genere noſtro ſeu quilibet ſurrogata perſona in aliquo donationem noſtram dirumpere tentauerit &c.* Rex Sanctius maior apud Sandouall. Catal. Epiſc. Pompelon. fol. 33. in tabulis illis quibus *ſancti Sebaſtiani monaſterium in Ipuſcuâ* ſitum Legerenſibus fratribus æ râ 1052 largitur, *Si quis tamen,* inquit, *ex ſucceſſoribus noſtris quod fieri minimè credimus Epiſcopus, Rex,* Comes, Vicecomes, *Princeps, vel alia &c.* Ferdinandus primus Caſtellæ Rex proprio diplomate in vſum Monaſterij Arlanzæ ęrâ 1110 exarato, apud Anton. Yepem in Append. tom. 1. num. 31. *De modo ergo ſi (quod abſit) aliquis homo de quauis progenie Rex aut Comes vel aliqua poteſtas, vel aliqua perſona hominum voluerit diſſacere hoc noſtrum teſtamentum &c.* Alfonſus Ferdinandi filius alio diplomate ęrę 1026. quo fines *Oxomienſis* & *Aucenſis diœceſeon* declarantur, teſte Garſiâ Loaysâ notis in vetera Hiſpaniæ Concilia. *Si quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Rex, Comes, Princeps aut aliqua poteſtas ſeu quælibet Eccleſiaſtica ſæculariſue perſona definitionis huius paginam pertinaci audaciâ violare vel in aliquo infirmare tentauerit &c.*

CÆTERVM *Theudam* Aragoniam *Bernardo Ripacurcienſi Comiti* nuptam, quam patre Galindo natam credidit Çurita, vt in familiâ potius *Aznarij* ponerem, effecit temporum ratio, quæ ipſam nulli alij Comiti Aragonenſi, pręterquam Aznario adſcribi patitur: *Vrracam* autem *Garciæ-Enneconis* Pompelonenſis Regis *vxorem,* quam pariter Aragoniæ Comitum genere ortam fuiſſe tradidit Beutherus, *Sanctij Gaſconiæ Comitis, Aznarij fratris* filiam fuiſſe ſuſpicor, indéque *Sanctij* nomen in familiam Pompelonenſium Regum inuectum, *Tuttam*

denique Sanctij Garciæ 1. huius nominis Pompelonenſis Regis *vxorem* Aznarium 2. patrem habuiſſe, è patronymico *Aznarij* in vetuſtis tabulis ipſi addito, coniici alibi monui.

Biſcayæ Comites.

BISCAYÆ Comitum origo dubia, ſeries verò, ad Sanctij vſque maioris Pompelonenſis Regis tempora, incerta eſt: Nam quę de nuptiis patris *Lupi* cognomento *Çuriæ* cum *Regis Scotiæ* ſorore, & dè Ordonij Alfonſi III. Aſturienſis Regis filij exercitu à Vizcaynis ad *Paduriam in Viſcaya* cruentâ cęde profligato narrant, vnde *Arrigoriagæ* nomen (quod Latina ſignificatione locum cruentũ ſonat) illi loco hęſerit, fabulã ſapiunt, nec vllius veteris ſcriptoris teſtimonio confirmãtur. Reliquorum verò fides, quę de *Çuriæ* poſteris Bizcaię Comitibus, *Enecone-Lupi* (qui Sanctij Maioris Regnum attigit) antiquioribus cõmemorari ſolent, authores partim hiſtoriam geralem, quæ Regi Alfonſo x. adſcribitur, partim Lupum Garſiam Salazarij, Petrum Portugalenſem Comitem & H. Apontem appellent, cum nec cæteroqui ſibi ſatis conſtent: ipſi enim Çuriæ (quæ vox Vaſconicâ linguâ *Candidum* ſignificat) quidam *Lupi*; alij Fortunij nomen aſſignant. Eius verò filium quidam *Manſum Lupi* alij *Nunium*, alij *Fortunium* nuncupant: Huic autem ſucceſſiſſe perhibent filium *Eneconem Lupi*, cognomento *Ezquerram*, hoc eſt Scæuam, quem nihilominus patronymicum nomen, *Lupo* non autem *Manſo*, nec *Nunio* aut *Fortunio* patre genitum fuiſſe oſtendit. *Eneconi* hęredem ſubiiciũt filium *Lupum* cum *Didaci* vel *Ortizij* patronymico, neutro (ſiquidem verè Inici filius fuit) ipſi conſentaneo. Huic rurſus filios adiudicant binos, alterum ex legitimo coniugio patris procreatum nomine

Sanctium; alterum naturalem tantùm *Eneconem* appellatum, cognomento etiam *Ezquerram*, cui repudiatis, ob teneram & imbecillam ætatem, Sanctij fratris præmortui liberis *Enecone* & *Garſia* (hunc quidam *Fortunium* alij *Lupum* vocitant) Comitatum à Vizcaynis delatum, filiis autem Sanctij, *Eneconi*, *Lodij Vallem*, *Garſiæ* verò *Horoſci pagum* contributos fuiſſe pro certo creditur. Nec illud prætermittendum, ea quæ ab iiſdem authoribus de Çuriæ, cum *Dalda Sanctij Eſtunigui*, *Durangi Reguli* filiâ, & de vtrâque ditione, *Biſcayæ* & *Durangi* eo matrimonio in vnam redactâ atque concretâ tradita ſunt, falſa eſſe ex hoc intelligi, quod longo poſt interuallo, *Durangi* ditionem à *Biſcayæ* dynaſtiâ ſeparatam, & propriis Comitibus ſubditam manſiſſe exploratum eſt: vetuſtæ enim extant Tabulæ teſte Garibayo lib 22.cap.30, quibus ærâ 1091, anno nimirum Chriſti 1053 Kal. Feb. *Munium-Sanctij*, *Durangui* Comitem, eiuſque vxorem *Leguncıam* in Cœnobium *S. Auguſtini Echauarrij* dictum (cuius ſitus vnâ tantum leucâ, Durangi oppido diſtat) non pœnitenda munera contuliſſe teſtatum relinquitur. De reliquo, non deſunt, qui longo etiam ante *Çuriam* interuallo, *Bizcayam* Comites habuiſſe affirment, editis etiam nonnullorum nominibus, *Arduziæ* nimirum, ſiue *Andezæ*, *Adarij* ſeu *Hedonis* vel *Heudonis*, *Zenonis* ac *Belli*, quos tamen, cum nullis tabulis aut argumentis confirmentur, in noſtrum ſtemma admittere religioni habui. Itaque, omiſſis ambiguis, ad certiora progredior, & *Vizcayæ Principum* ſtemma à *Lupo*, *Eneconis* patre, qui Sanctio Maiori Rege claruit, auſpicor.

Lupus Eneci claruit circa annum 1000.

Enecus Lupi: *Vxor* Toda.	Garſea.	Galindo.	Mencia.

Lupus Eneconis : *Vxor* Tido filia Didaci Aluari.	Sanctius mortuus ante patrem.	Garcias.	Galindus.

Didacus-Lupi Farenſis : *Vxor* Amelia vel Almenzina filia N. Dynaſtæ oppidi S. Ioannis ad imum Pyreneum in Vaſcitaniâ.	Sanctius-Lupi.	Tota.	Sancia.	Taraſia.

Lupus-Didaci : *Vxor* Mencia Atiæ Comitis filia.	Sanctius Didaci.

Didacus-Lupi : *Vxor* Tota filia Petri Roderici Açagræ.	Gonçaluus-Lupi.	Vrraca-Lupi, *Vxor* Ferdinandi Legionenſis Regis.

Lupus-Didaci: *Vxor* Vrraca Alfonſi Legionis Regis, ex Agnete Mendoçana nobiliſſima fœmina, filia.	Petrus-Didaci.	Hurtaca Didaci: *Vxor* 1 Comitis Aluari Larani, poſtea Roderici Didaci, filij Didaci-Ximeni, Camerorũ domini.	Maria : *Vxor* Gundiſſalui Larani.

Didacus-Lupi, *Vxor* Conſtancia ſoror Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis.	Sanctius caput ſtirpis Ayalarum.	Alfonſus à quo orti dynaſtæ Camerorũ.	Lupus *Chico*, id eſt exiguus, author gentis Campenſiũ Procerum.	Mencia, *Vxor* Sãctij Capelli Portugall. Regis.	Ex concubinâ Totâ Sanctagatsna Salzedia. — Didacus-Lupi Salzedius.

Lupus-Didaci, *Vxor* Ioanna filia *Infantis* Alfonſi, Molinæ domini & Tereſæ Laranæ coniugis.	Didacus-Lupi Comes Vizcayę poſt mortem Didaci, fratris filij.	Vrraca-Didaci : *Vxor* Ferdinandi Roderici à Caſtro.	Tereſa, *Vxor* Ioannis Nunij Laræ domini.

Didacus-Lupi obiit ſine liberis.	Maria-Didaci, *Vxor* Infantis Ioannis Sanctij 4. Caſtellæ Regis fratris.

LVPVS, cum *Eneci* patronymico, inter Proceres Garſiæ Tremulo & Sanctio maiori Regibus adſtantes, nominatur in variis diplomatibus Monaſterio ſancti Æmiliani reconditis, quibus anni 996, 1008, 1015, & 1020 adſcripti ſunt, teſtibus Sandouallio in comment. rer. illius Monaſterij §. 41. 43. & 44. & Garib. lib. 12. cap. 18. In vnico eorum Regij Stabuli Præfecti, in binis verò Buticularij hoc eſt Regij poculi adminiſtratoris titulum

ſuſtinet : liberos reliquit *Enecum-Lupi*, *Garſiam Lupi*, *Galindum-Lupi* & filiam *Meniam-Lupi*, quorum nomina è tabulis, ab *Eneco filio* natu maiore anno 1076 obſignatis, quæ à Sandouallio eodem commentario §. 66. exhibentur, eruimus.

Eneci-Lvpi memoriam, ab æra 1054, quæ ad annum Chriſti 1016 ſpectat, orditur idem Sandouallius in ſtemmate Harenſium Procerum, ex tabulis, vt ait, Monaſterij Onienſis à Sanctio Caſtellæ Comite ſcriptis: In aliis tabulis illius Cœnobij æra 1055 & æra 1058, quæ annis Chriſti 1017 & 1120 competunt, factis, *Comitis Alabenſis* nomenclaturam *Eneco* affingi, idem auctor eſt. Aliæ tamen extant tabulæ eiuſdem Cœnobij, ab Antonio Yepê in Appendice tomi 5 Chronici Benedictini editæ, quibus Enecus, *Vizcayenſis* Comitis titulo inſignitur. Ex vxore *Toda* filios ſuſcepit *Lupum-Eneconis*, *Sanctium-Eneconis* (qui ſuperſtitibus parentibus diem obiit) *Garſiam-Eneconis* & *Galindum-Eneconis*, quemadmodum veteri monumento Monaſterij ſancti Æmil. apud Sandoual in commentario ſupra citato §. 60. edocemur. Vixiſſe *Enecum* ad annum 1076 ex variis illius Monaſterij tabulis conſtat,

Lvpvs-Eneci 2. ex vxore *Tido* filiâ *Didaci Aluareſij Aucæ* & *Petroſi* Præſidis (à quo *Didaci* nomen in Biſcayæ Comitum familiam fluxit) filios reliquit *Didacum-Lupi* & *Sanctium-Lupi*, filias verò *Totam*, *Sanctiam* & *Taraſiam*, teſtibus aliis tabulis ſancti Æmil. à Sandouallio §. §. 73. & 76. commentarij rer. illius mon. recitatis. Lupi vitam ad annum 1093 duraſſe aliis monumentis eiuſdem Monaſterij probatur. Præter *Biſcayæ* Comitatum, quem iure hæreditario à patre acceperat, *Alauæ* quoque atque *Ipuſcuæ* Præfecturam illum adminiſtraſſe

didici ex his ipſius verbis à Sandouall. §. 71. comment. rer. ſancti Aemil. perſcriptis. *Ego ſenior Lope Enecenis proles de Comite Eneco Lopez dominante Biſcahia & Spuzcua & Alaba, confirman mis hermanos Garcia Inigues y Galindo Yñigues.* Idem, quod ad *Ipuſcuam* ſpectat, probatur ex aliis monumentis, quorum meminit is author in vita Alfonſi 6. fol. 67.

DIDACVS-LVPI, Lupi-Didaci filius ac hæres, ſub *Alfonſo Arragonio* & *Vrracâ* eius vxore Caſtellę Reginâ, *Najaræ* & *Granonis* Prę fecturam meruit, *Harenſis* quoque cognomen Princeps in hanc familiã intulit, quemadmodum à Sandouallio in ſtemmate Harenſi eſt demonſtratum. Huius memoria in vetuſtis monumentis ab anno 1110 ad annum vſque 1114 occurrit, ipſius toro iunctam fuiſſe filiam dynaſtæ oppidi *ſancti Ioannis ad imum Pyrenæum*, in Vaſcitaniâ, refert Lupus Garſias Salazarius & alij ferè omnes, qui de rebus Vizcayæ ſcripſerunt: Puellæ autem nomen ſolus edidit doctor Salazarius Mendoçanus in lib. origin. dignit. Secular. Caſtellæ, aitque fuiſſe dictam *Emiliam* ſeu *Almencinam*, quę in eo coniugio liberos genuit *Lupum-Didaci* & *Sanctium-Didaci*: Tertium prętereà filium fuiſſe Didaco, nomine *Egidium* ſiue *Gillium-Didaci* colligere mihi videor, ex quodam monumento Cœnobij ſancti Aemil. apud Sandouall. § 81. quod ęram 1175 habet adſcriptam, in eo enim factâ *Lupi Comitis Didaci filij* mentione, additur illico nomen *Gillij fratris Comitis Lupi Didaci.*

LVPI-DIDACI, eiuſque fratris *Sanctij-Didaci* nomina expreſſa ſunt tabulis donationis cuiuſdam ab *Alfonſo* Caſtellę Rege *Vrracæ filio* Cœnobitis ſancti Aemiliani, anno 1134 factæ, teſte Sandouall. §. 81. *Sanctius*-Didaci

anno 1165 *Tobiæ* arci, eiuſque ditioni prçerat. *Lupus* inter nobiliſſimos Caſtellæ Proceres diu inclaruit, *Najaræ* etiam atque *Caſtellæ veteris* prçfectura inſignis, atque egregie perfunctus. Ex vxore *Mencia*, Ariç Comitis filia, ſuſcepit *Didacum-Lupi* & *Gonçaluum-Lupi*; filiam verò *Vrracam-Lupi*, *Ferdinandi* Legionenſis Regis, huius nominis 2. coniugio nobilitatam (quam ex eo matrimonio *Sanctium* & *Garſiam* peperiſſe, auctor eſt Lucas Tudenſis) & aliam quç *Munioni Hinojoſæ* domino nupſit, vnde natus *Martinus-Munionis*, qui ſub *Didaco Comite* patruo, in bello Sarracenico, quod ad *Muradalem* & ad *Nauas Toloſæ* geſtum eſt, meruit, teſte Roderico Toletano lib. 8. cap. 7. Duos ad hçc alios filios habuit *Lupus*, ſi Garibayo lib. 24. cap. 14 id aſſerenti, credimus, *Lupum-Didaci Epiſcopum Segouienſem* & *Martinum-Lupi*: Filiam inſuper, Garſias Euguius, in Chronico Nauarrç, nondum typis vulgato, *Lupo* adſcribit *Gaufredam Garſiæ Ramiri Nauarrorum* Regis, vt putat, vxorem: de qua tamen plerique meritò dubitant: Petrus autem Portug. Comes, Lupo vxorem fuiſſe ſcribit *Aldonçam*, *Roderici-Ferdinandi* à Caſtro & Stephaniæ Trauañæ filiam, matrem, inquit, *Didaci-Lupi* & *Vrracæ-Lupi*. Obiit Lupus pridie Nonas Maij anno 1166.

DIDACVS-LVPI, prçter paternas & auitas dignitates Vexillarij Caſtellç munus obtinuit, quod exinde in eius poſteros perpetua penè ſerie propagatum eſt. Memorando illo prœlio, quod ad *Nauas Tholoſæ*, anno 1212 factum eſt, ſtrenuam, prç cçteris Caſtellç Principibus, pro ſalute Hiſpaniç & re Chriſtiana nauauit operam, & tertium poſt annum, quam ibi pugnatum eſt, vitç finem fecit. In *Totæ*, *Petri Roderici* Azagræ filiæ, coniugio nati ſunt ei *Lupus-Didaci*, *Petrus-Didaci*, *Vrraca* (quæ mor-

tuo

tuo priore marito *Aluaro Larano*, cum *Roderico Didaci-Ximeni Camerorum* dómini filio nuptias iterauit) & *Maria* vxor *Gundiſſalui Larani.* Aliis tamen placet *Didaco* vxorem tribuere *Mariam* Comitis *Manrici* ſeu *Amalarici Larani* filiam, impudicitiæ nomine famoſam, vt à Petro Com. Portug, in genealogiis Hiſpanicis, à Ferdinando Petri Guzmanio in Valerio Scholaſtico & ab Ambroſ. Morali lib.17. cap. 16. Hiſtor. Hiſpan. fuit obſeruatum.

LVPVS-DIDACI, Biſcayæ Comes, Caſtellæ Vexillarius vxorem duxit, (ſi Lupo Garſiæ Salazario fidem habemus) *Guillermam Ferdinandi* huius nominis 3 Legionenſis Regis ſororem, atque in dotem accepit *Orduniam* & *Valmaſedam.* Præſtat tamen Lucam Tudenſem auctorem ſequi, qui *Vrracam Alfonſi Legionenſis* Regis ex *Agnete* nobiliſſimâ fœminâ (quam nonnulli *Mendoçanæ* gentis fuiſſe ſcribunt) filiam, Lupum in matrimonio habuiſſe prodidit. Ex huius puerperio proceſſerunt clariſſimæ totâ Hiſpaniâ familiæ *Ayalanorum, Cameriorum* & *Campenſium Carpij Marchionum:* Nam Ayalani *Sanctium*: Camerorum dynaſtæ *Alfonſum:* Campenſes denique Proceres *Lupum* cognomento *Chico*, hoc eſt Exiguum, *Lupi filios*, generis ſui authores agnoſcunt: Ex venereo etiam *Lupi*, cum nobili fœminâ *Totâ Santagatanâ Salſediâ*, complexu, procreatus eſt *Didacus-Lupi Salzidus.* Ex vxore filiam etiam habuit *Menciam Sanctio* 2. huius nominis *Portugalliæ* Regi, cognomento *Capello*, connubio iunctam. Duas præterea adiicit filias Sandouallius *Berengariam-Lupi*, ex Rade Andradâ, & *Vrracam-Didaci*: poſteriorem tamen *Lupi* non *filiam* ſed *neptem*, ex filio *Didaco*, fuiſſe author eſt Ioannes Nunij Villaſanus in Chronico Regis Alfonſi XI. cap. 75.

Interfuit *Lupus* expugnationi Baetiæ. Annum ipſius obitus notat Petrus Comes Portug. 1236, diem verò XVII. Kalend. Decembris.

DIDACVS-LVPI, *Lupi-Didaci* Comitis filiorum natu maximus, Ferdinando 3. Legionenſi & Caſtellano Regi in obſidione *Hiſpalenſis* ciuitatis fidẽ & militarem induſtriam ſuam probauit: Eo verò decedente, totum ſe à Rege Alfonſo x. ipſius filio & ſucceſſore abalienauit, & mutato ſolo non ita multò poſt, anno nimirum 1254. IV. Non. Octob. in thermis Bañarienſibus extinctus eſt: liberos ſuſcepit ex vxore *Conſtanciâ, Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis* ſorore, *Lupum-Didaci*, *Didacum-Lupi*, *Vrracam Didaci*, *Ferdinando-Roderici à Caſtro* nuptui collocatam & *Taraſiam Ioannis Nunij, Laræ* domini coniugem.

LVPVS-DIDACI, Biſcayæ Comes, poſt patris *Didaci-Lupi* mortem *Sanctium* 4. Alfonſi Regis filium in ſceptro Caſtellæ, à manibus parentis ſuperſtitis, & ab expectatione filiorum *Ferdinandi fratris natu maioris* præmortui, abducendo, laborantem enixè iuuit, & tandem voti compotem effecit: poſtmodùm tamen ipſum Sanctius, ex clandeſtinâ ſuſpicione ſibi inuiſum, *Alfari* interfici mandauit, eiuſque generum, *Ioannem Infantem*, fratrem ſuum in cuſtodiam dedit: Conſobrinum verò *Didacum-Lupi, Camporum dominum*, propriâ manu peremit. Acta ſunt hæc æra 1926. anno nempe Chriſtianæ ſalutis 1285. quemadmodum Gaufridus Archidiaconus Toletanus, qui Roderici eiuſdem ciuitatis Epiſcopi hiſtoriam eſt proſequutus, cap. 221. ſcriptum reliquit. *Lupus* ex vxore *Ioannâ* filiâ *Infantis Alfonſi, Molinæ* Reguli, procreauit, *Didacum-Lupi* & *Mariam* quæ *Ioannis Caſtellæ Infantis*, Alfonſi x. filij, toro, anno 1285. iuncta eſt.

DIDACVS LVPI, *Lupi-Didaci* filius, paternâ cæde grauiter commotus, omne erga *Sanctium Regem* obſequium exuit, ſéque in Aragoniam cum *matre Ioannâ, ſorore Mariâ* & *patruo* D*idaco-Lupi* recepit: Rex autem protinus Biſcayæ Comitatum cæteraſque ditiones, ad Didacum ſpectantes, ſub ius imperiumque ſuum coëgit.

DIDACVS-LVPI, poſt fratris filium D*idacum Lupi*, in Aragoniâ anno 1309, ſine prole extinctũ, cum Regi reciliatus eſſet, *Biſcayæ* Comitatum, ab eo iure optimo tenendum accepit (excluſa inde *Mariâ*, D*idaci mortui* ſorore atque hærede legitimâ) eôque titulo ſe, quoad vixit, pro Comite Bizcayæ geſſit: Vxor illi fuit *Violanta, Sanctij Regis ſoror*, quam, procurante ipſo *Sanctio*, duxit ærâ 1319, teſte Gaufredo cap. 220. ſupplementi hiſtoriæ Roder. Tolet. nondum typis excuſi. Ex hoc matrimonio nati ſunt D*idaco* filij *Lupus* & *Ferdinandus*, qui à nonnullis *Philippus* dicitur, fuitque pater D*idaci* & *Petri Harenſium*.

DIDACO vitâ functo, *Principatus Biſcayæ*, ad *Mariam* ipſius fratris filiam, *Ioannis Caſtellæ Infantis* vxorem, rediit, quem illa poſtmodum vnico filio *Ioanni Cocliti* nuncupato tranſcripſit: hic verò, ex vxore Iſabellâ, Alfonſi Portugalliæ Regis filia, procreauit *Mariam*, quæ poſt fata parentum, *Ioannis-Munionis, Laræ Reguli*, coniugium nacta eſt: vtriuſque genus ac progeniem ſubiecta tabella declarabit.

Ioannes-Munionis Laræ Regulus: *Vxor* Tereſa, Didaci-Lupi 3. huius nominis Biſcayæ domini & Conſtantiæ Bearniæ filia.

Ioannes-Munionis: *Vxor* Iſabella filia Blancæ à Molinâ caruit liberis.

Ioanna nupſit Ferdinando Cerdano, alterius Ferdinandi Cerdani filio, Alfonſi X. Caſtellæ Regis nepoti.

Margareta Cœnobiticæ vitæ addicta.

Blanca nupta Ioanni Manueli.

Ioãna-Manuelis *Vxor* Henrici 2. Caſtellæ Regis

Ioannes, qui ex aui materni nomine patronymicũ *Nunij* vel *Munionis* aſſumpſit. *Vxor* Maria Harenſis Viſcayæ domina.

Maria *Vxor* 1. Caroli Ebroicenſis, Comitis Siampenſis: poſteà eo vitâ functo Caroli Valeſij Alenſoni Comitis, ex vtroque marito liberos reliquit.

Nunius deceſſit in tenerâ ætate.

Ioanna Biſcayæ domina, *Vxor* Telli fratris naturalis Henrici 2. Caſtellæ Regis caruit liberis.

Iſabella: *Vxor* Ioannis Infantis Aragonij.

Florentia domina Biſcayæ, nupta Petro Bearnio.

Petrus. Adriana.

IOANNES Infans Caſtellæ, *Biſcayæ Comes*, Mauris Granatæ Regnum occupantibus, bellum inferens, moritur circa annum 1320: vxor *Maria Harenſis* Monaſterium *Peralis*, poſt viri mortem, pietatis ſtudio ingreſſa, ibi multis annis viduitatem ſeruauit.

IOANNES Comes Biſcayæ, *Ioannis Infantis* Caſtellæ & *Mariæ Harenſis* filius vnicus, cum crebris rebellionibus & liberiori, quam ſubditum deceret, contumaciâ, *Alfonſi* XI. *Regis* odium in ſe concitaſſet, anno 1324. *Taurum* (vbi tunc Rex morabatur) ab ipſo, propoſito ſororis coniugio, veluti illicio quodam euocatus, illicò iuſſu Regio trucidatur. *Biſcayæ* Comitatum & alias arces atque oppida, quæ Ioannes iure patrimonij poſſederat, Rex armis recipit, atque fiſco addicit: *Biſcaya* tamen poſt aliquot annos *Ioanni-Munionis Larano*, *Mariæ*, Ioannis interempti filiæ, viro reſtituta fuit.

IOANNES-MVNIONIS ſiue *Nunij*, *Laræ* Regulus, *Ferdinandi Cerdani* & *Ioannæ-Nunij*, *Laræ* dominæ, filius, *Mariam Ioannis Biſcayæ domini filiam vnicam*, Baionæ in Vaſconiâ Aquitanicâ (quo illa, poſt cædem Ioannis parentis, abducta fuerat) anno 1329 in matrimonium duxit, indéque vxorio nomine ſe *Biſcayæ Comitem* dixit: *Vexillarij* munus maiorum exemplo in Caſtellâ geſſit. Deceſſit ex morbo anno 1350, relictis ex Mariâ liberis *Nunio* vel *Munione*, bienni: *Ioannâ*, quæ *Telli*, *Petri Caſtellæ Regis fratris*, non iuſto matrimonio nati, coniugium adepta eſt & *Iſabellâ* quam *Ioanni Aragonio Infanti*, propinquo ſuo, vxorem Rex dedit, vnde nata Florentia.

NVNIO, in ipſis pœnè vitæ primordiis, mortuo ſucceſſit *Ioanna*, ſoror natu maior: at poſt aliquot annos cum *Tellus*, vir *Ioannæ*, Henrici fratris Tranſtamaræ Comitis factioni, contra Petrum Regem nomen dediſſet, placuit Regi, exauctorato *Tello*, *Iſabellam* aliam *Nunij* ſororem, eiuſque virum *Ioannem Infantem*, ad procurationem Biſcayæ Comitatus vocare, fraudulenter tamen id factum, docuit inſequuta breui, authore Rege, Infantis cædes & incluſa in cuſtodias *Iſabella*: cuius filia *Florentia*, poſt patris necem, fugâ ſibi conſuluit & Pyrenęum tranſgreſſa *Gaſtonis* P*hœbi* Bearnenſis Reguli ſe fidei permiſit: à quo perhumaniter accepta & diu comiter habita, mox arctiſſimo affinitatis vinculo ſeſe ei deuinxit, celebratis cum *Petro eius fratre naturali* nuptiis, quarum beneficio cum, non ita multò poſt, poſſeſſionem *Biſcayæ* recuperaſſet, maritum conſortem poteſtatis effecit, duoſque ex eo procreauit liberos, *Petrum* & *Adrianam*. Plura de his ediſſerit Ioannes Froſſartes tom. 3. cap. 8. hiſtoriæ illius ſæculi.

FLORENTIA eiuſque liberis extinctis, Henricus Rex prætextu *Ioannæ* vxoris, filiæ *Blancæ Laranæ*, quæ à Comitibus Biſcayæ genus ducebat, illam regionem inuaſit atque in poſterum Caſtellæ Regno confuſam manere iuſſit.

NOTITIÆ
VTRIVSQVE VASCONIÆ
LIBER TERTIVS.

In quo ſpeciatim de Vaſconibus Aquitanicis agitur.

Quo tempore ex Hiſpaniâ in Aquitaniam migrarint Vaſcones, de plurimis excurſionibus ab ipſis in agrum Aquitanicum factis, & de variis ex eo illorum cum Francis dimicationibus.

Capvt I.

Vascones olim citra Pyrenæum in Hiſpaniâ ſedes habuiſſe primo iſtius operis libro dixi, neque de eo vlla inter doctos controuerſia eſt. Sed quo tempore inde in Aquitaniam migrauerint, difficilem quæſtio hæc habet explicationem: Ioſephus Scaliger lib. 1. Auſon. lection. cap. 6. *Cantabros* ait & *Vaſcones*, qui antea vltra Pyrenem in Hiſpaniâ erant, à *Meſſalâ* victos, penetrato Pyrenæo, ſedes ibi poſuiſſe, vbi Tarbelli ſunt; in quo tamen coniecturâ aberrare

ſummum virum, inde liquet, quod Strabo, Ptolemæus & Plinius, *Meſſalâ* ætate poſteriores; vtramque gentem *Vaſconum* & *Cantabrorum* in *Hiſpaniâ*, non autem in *Aquitaniâ* collocant: neque vllus prætereа auctor extat, qui alicuius belli à Meſſalâ aduerſus illam gentem geſti meminerint. Noui Tibullum elegiâ 8. lib. 1. triumphos à Meſſalâ de Aquitanis victis actos, celebraſſe: De *Vaſconibus* tamen & *Cantabris*, nullum inibi verbum extare fatebitur, quiſquis elegiam illam perlegerit. Nihilo ſanior eorum opinio eſt, qui *Pompeium* narrant, cum Vaſcones in Hiſpaniâ bello ſuperaſſet, nouos motus ab inquieto & indomito populo veritum, ſolum mutare, & in eam Aquitaniæ partem ſecedere eos coëgiſſe, vbi nunc *Conuenæ* habitant, indéque vrbi *Conuenicæ* nomen datum: Nam hæc quoque ſententia cum nullius Scriptoris, Iſidoro Hiſpalenſi antiquioris, teſtimonio fulciatur, & veteres æquè geographos habeat aduerſos (qui ſimiliter poſt Pompeij tempora, *Vaſcones* in *Iberia* ſtatuunt, nec vllum iſtius nominis populum in *Aquitaniâ* agnoſcunt) pari cum priori facilitate conuellitur. Aquitaniæ autem gentem, *Conuenas*, non à *Vaſconibus*, vt credidit Iſidorus, ſed à *Vectonibus Arrebacis* & *Celtiberis*, Hiſpaniæ citerioris populis, genus duxiſſe, docuit nos D. Hieronymus lib. aduerſus Vigilant. cap. 2. in quo de hæreſiarchâ illo hæc profert. *Nimirum reſpondet generi ſuo vt qui de latronum & Conuenarum natus eſt ſemine, quos Cnæus Pompeius edomitâ Hiſpaniâ & ad triumphum redire feſtinans, de Pyrenæi iugis depoſuit, & in vnum oppidum congregauit, vnde & Conuenarum vrbs nomen accepit. Huc vſque latrocinetur contra Eccleſiam Dei, & de Vectonibus, Arrebacis, Celtiberiſque deſcendens, incurſet Galliarum Eccleſias, portetque nequaquam vexillum Chriſti*

ſed

ſed inſigne diaboli. Equidem ad *Gratiani* vſque Imperatoris tempora *Vaſcones* propriis finibus ſe continuiſſe, eamque Aquitaniæ partem, quæ poſtea ab iis occupata fuit, à Tarbellis ipſis, veteribus illius oræ incolis, habitatam fuiſſe, colligere ex Auſonio poëtâ licet, qui *Gratiano imperante* vixit: is enim epiſtolâ 23. ad Paulinum *Calagurri* Vaſconiæ vrbe, vt putabat, commorantem ſcribens, *Pyrenæo ſaltui* quâ Galliam ſpectat *Tarbellorum* regionem ſtatim ſubiicit his verbis.

Et quando iſte meas impellet nuntius aures,
Ecce tuus Paulinus adeſt, iam ninguida linquit
Oppida Hiberorum, Tarbellica iam tenet arua,
Ebromagi iam tecta ſubit.

Idem epiſtolâ 25, ad eundem Paulinum ſcriptâ, *Vaſcones*, aliâ Regione, ab *Aquitanis*, ſitu & moribus, longè diuerſa, in *Iberiâ* ſcilicet cōſtitiſſe ſignificat his verſibus.

Vertiſti Pauline tuos dulciſſime mores,
Vaſconis hoc ſaltus & ninguida Pyrenæi
Hoſpitia, & noſtri facit hoc obliuio cæli
Imprecer ex merito, quid non tibi Hiberica tellus?

At Paulini ipſius, Auſonio reſcribentis, proxima carmina, eundem populum id temporis in *Iberiâ* habitaſſe, clarius etiam oſtendunt.

Quid tu mihi vaſtos
Vaſconiæ ſaltus & ninguida Pyrenæi
Obiicis hoſpitia? in primo quaſi limine fixus
Hiſpanæ Regionis agam?

Poſt *Gratiani* verò mortem inclinato & ad interitum incumbente Romanorū, in Galliâ atque Hiſpaniâ, imperio, & *Pyrenaicâ* præſertim regione ab *Alanis*, *Vandalis*, *Sueuis*, aliiſque barbaris nationibus vaſtatâ, qui biennio ante captam Romam à Stilicone excitati, tranſmiſſo

Rheno, Galliam irruperant & Pyreneum vſque progreſſi, eiuſque obice aliquandiu repreſſi in vicinas regiones ſe effuderant, vt teſtatur Oroſius, non difficile fuit *Vaſconibus*, bellicoſæ, & proferendorum finium ſuorum cupidæ genti, montano illo tractu, qui Pyrenæis ad Galliam ſubiacet, armis potiri. Quatenus autem eo impetu proceſſerint, ægrè quis definierit; quid enim certi dici vel afferri poſſet in re adeò caliginosâ & vetuſtate nimiâ pœne deletâ? Coniicere tamen licet, pręter eam regionem, quam hodierni *Vaſci* incolunt, Montana quoque, *Bearnenſis Principatus*, necnon *Bigerronum Comitatus*, loca, in *Vaſconum* quæſtu & incremento fuiſſe; cui argumento adſunt crebra toto illo tractu, veterum arcium veſtigia, in editis montibus, ſibi inuicem aduerſis, conſpicua, & tali ordine diſpoſita, vt ignibus procul ſublatis ſignum vbi quid molirentur hoſtes momento temporis accipi poſſet. Planam verò regionem vna cum oppidis munitis, quorum præcipua in illo montium confinio fuere. *Lapurdum* (quæ nunc Baiona) *Benearum*, à quo nomen Bearnenſi Principatui acceſſit, *Bigorra* & *Conuenæ* (nunc *ſanctus Bertrandus*) in Francorum nihilominus Regum poteſtate fuiſſe ex variis Gregorij Turon. locis facilè eſt intellectu: vnde cum tam anguſtis aſperæ & infœcundæ regionis facultatibus numeroſa & valida Vaſconum gens ſuſtentari minus poſſet, frequentes in *agrum Nouempopulanicum*, *Francorum* imperio obnoxium, excurſiones facere cogebatur: teſtatur illud Venantius Fortunatus lib. 10. cap. 22. vbi *Galactorio Burdigalenſi Comiti* dignitatem *Ducis* deprecatus, cauſam hanc ſubiicit.

Cantaber vt timeat, Vaſco vagus arma timeſcat
Atque Pyrenææ deſerat Alpis opem.

Idipſum confirmat Gregorius Turonenſis lib. 9. cap. 7. his verbis. *Vaſcones verò montibus prorumpentes in plana deſcendunt, vineas agroſque depopulantes, domos tradentes incendio, nonnullos abducentes captiuos cum pecoribus, contra quos ſæpius Aſtrovaldus Dux proceſſit, ſed paruam vltionem exercuit ab eis.* Ante Aſtrovaldum, bellum contra Vaſcones commouerat auſpiciis Chilperici I. Regis *Bladaſtes Dux*, circa annum Chriſti 581, ſed nullâ, in eo, re memorabili geſta, ipſe nihilominus, vitam & maximam exercitus ſui partem amiſerat, teſtibus eodem Gregorio lib. 6. cap. 12. & Fredegario in Hiſt. Francorum Epitomata cap. 87. Euentus tandem probauit, ſtrenuum & magnanimum populum, non niſi Regiis armis vinci poſſe: itaque circa annum 607 à *Theoderico & Theodeberto*, Regibus qui, victo acie *Clothario* in potiori Galliæ parte, maximè in Aquitaniâ, rerum potiebantur, bello tentatur, & tantæ potentiæ ac maieſtati impar, eorum Imperium perferre, tributa pendere, & Ducem nomine *Genialem* accipere cogitur, vt narrat idem Fredegarius cap. 21. Chronici, quod iuſſu Childebrandi Comitis, Pipini Regis patrui, edidit. Non tamen diu in officio manſere *Vaſcones*, ſed circa annum 627, conſilio *Senoci Eluſani Epiſcopi*, ipſiuſque patris *Palladij*, à *Clotario* Rege deficiunt, vt ex eodem Fredegario cap. 54. illius Chronici colligere licet. Anno verò 632, à *Chariberto*, Dagoberti fratre, *Aquitaniæ Rege*, iterum domiti & in ordinem redacti ſunt. Sed mortuo, paulò poſt, *Chariberto*, cum anno 636, ſpreto *Dagoberti* imperio, rapinis & aſſiduis direptionibus vicinam regionem infeſtarent; Dagobertus, collecto è Burgundionibus exercitu copioſiſſimo, eoque lectiſſimis tribunis atque militibus inſtructo; *Chadoinum*, ſtrenuiſſimum & rei mili-

tàris peritiſſimum Ducem, illis præficit, qui *Vaſcones* duriſſimo bello perſequitur, eorumque agris vaſtatis ædificiiſque incenſis, ad prœlium allicit, quod illi tametſi principio alacriter iniiſſent, poſtea cum ſe numero longè impares eoque vincendos cernerent, prœlio diſcedere & in tutiſſima rupium propugnacula ſe recipere coacti ſunt, indéque pacis ſtudio fidem & obſequium Dagoberto polliceri: nec incruenta tamen hæc victoria fuit, ſiquidem *Arimbertus* vnus è Ducibus Dagoberti, cum parte exercitus non modicâ, in valle *Subola* (quæ hodie *Sola* eſt) à Vaſconibus oppreſſus interiit.

Ex his Vaſconum frequentibus incurſionibus & aſſiduis direptionibus, in ſocios Franci nominis, vſurpatis, occaſionem Francis ſumptam eſſe crediderim, eam gentem latrocinij infamandi: quod tamen, ſi ab iis veteri potius inſtituto, atque exemplo duarum nobiliſſimarum nationum, quàm aliquâ prauitate animi; aut inſitâ à naturâ in vitia propenſione, actum docere poſſum, facile, ni fallor, hanc maculam ab inimicâ olim gente, illi populo inuſtam eluero. Huiuſmodi igitur vaſtationes & direptiones militares à iunioribus præſertim extra patriæ fines factas, apud Hiſpanos & Germanos, in quotidiano vſu fuiſſe & in gloriam potius, quam in crimen verſas, docent Diodorus Siculus, Cæſar & Tacitus. Diodor. lib. 5. bibliothecæ, ex interpretatione Laurentij Rhodomani. *Peculiare*, inquit, *quippiam Iberis & maximè Luſitanis in vſu eſt: Nam qui florida inter illos ætate rei familiaris inopia maximè premuntur, robore tamen corporis & fiducia præſtant fortitudinis & armorum viatico inſtructi in aſpretis montium congregantur validiſque collectis agminibus, Iberiam incurſantes, prædando diuitias cor-*

radunt & hoc perpetuo magno periculorum contemptu factitant, cum enim leui armatura vtantur agilique ſint corpore & veloces, non facilè ab aliis expugnari queunt. Difficultas equidem locorum & aſpretudo illa, patria ipſis habetur. De Germanis verò ſic Cæſar lib. 6. de bello Gallico cap. 23. *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiuſque ciuitatis fiunt, atque ea iuuentutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant, atque vbi quis ex Principibus in concilio ſe dixit Ducem fore, vt qui ſequi velint profiteantur, conſurgunt iј qui & cauſam & hominem probant, ſuumque auxilium pollicentur atque ab multitudine collaudantur; qui ex iis ſecuti non ſunt in deſertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum iis poſtea fides abrogatur.* Tacit.lib. de moribus Germanorum. *Materia munificentiæ per bella & raptus, nec arare terram aut expectare annum tam facilè perſuaſeris, quàm vocare hoſtes & vulnera mereri: pigrum quin imo & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare.*

De Regione Nouempopulaniæ à Vaſconibus occupata & de tempore huius occupationis.

CAPVT II.

POST *Dagoberti* mortem, quemadmodum ſe erga poſteriores Francorum Reges *Pipinum* vſque geſſerint *Vaſcones*, nullus vetuſtus ſcriptor memoriæ tradidit: niſi quod haudquaquam eos in fide illorum mãſiſſe cap. 78. Chronici monuit Fredegarius: imò priſtinum prædandi & alienos fines inuadendi morem, maiori etiam quam antea conatu, repetiiſſe, inde probatur, quod *Regnante Pipino* vniuerſam *Nouempopulaniam*, & quidquid

terrarum à Pyrenæis montibus ad fluuium vſque Garumnam protenditur, *Vaſcones* veluti proprias ſedes placidè & tranquillè poſſediſſe ex Fredegario & aliis illius ſæculi ſcriptoribus colligitur. Vnde etiam *Gaſconiæ* nomen illi prouinciæ inditum literâ V in G mutatâ (vt in pleriſque aliis nominibus accidit) conceditur ab indigenis ſcriptoribus, Ioſepho Scaligero in Notitia Galliç, Belleforeſto lib. 3. cap. 43. deſcript. quatuor orbis partium, & Scipione Duplexio Hiſtorico Regio in comment. rer. Gallic. lib. 4. cap. 16. & in Annalibus in vita Clotarij 4. Idem etiam ſenſit, Burdegalenſis ſcholæ decus eximium, Elias Vinetus Sancto, cuius verba è commentario in epiſtol. 25. Auſonij num. 493. hic adſcribere non pigebit. *Vaſconum autem nomen adhuc retinuerunt in Pyrenæo circa Bajonam Tarbellorum vrbem, quos Baſcos vocitamus, lingua & moribus à Gallis & Hiſpanis diſcrepantes. Cæterum quos vetuſti ſcriptores Strabo, Plinius, Ptolomæus deſcripſerunt Vaſcones, eorum fines in eodem Pyrenæo latius patuerunt, vt qui nunc Guipuſqui & Nauarri appellantur, olim Vaſcones fuiſſe videantur, iidem Gaſcones, vt idem ſunt Guilielmus & Vuilielmus apud nos, Galerius & Valerius, Gardo & Vardo: verum qui dicuntur in Aquitaniâ Gaſcones, hi ſic ſunt dicti à Pyrenaicis illis Vaſconibus, qui ſaltus ſuos aliquando egreſſi, circiter annum à Chriſto nato quingenteſimum & nonageſimum, vt ex Gregorij Turonenſis libro nono rerum Francicarum colligere mihi videor in mediâ Aquitaniâ conſederunt, quæ ab ipſis Gaſconia eſt cognominata.* De tempore autem quo primùm *Nouempopulaniæ* poſſeſſionem vſurparunt *Vaſcones*, variæ ſunt doctorum coniecturæ. Idem Scaliger in Notitiâ Galliæ, hunc populum ait à *Pipino* primò deinde à *Ludouico Pio* victum & in plana Nouempopu-

laniæ deductum illi regioni nomen dediſſe, ſed quo authore id confirmat vir doctus? Fredegarius & alij vetuſti ſcriptores *Vaſcones* ſub *Vuiaſarij* Aquitaniç Ducis ſignis militantes à *Pipino* domitos & in fidem receptos fuiſſe teſtantur; Nemo tamen hactenus dixit, iis deuictis eam regionem colendam à Pipino conceſſam fuiſſe, quæ ipſis etiam victoribus aut de Rege optimè meritis, ſummi præmij loco eſſe potuiſſet: Fredegarij verba ad annum 767 ſunt. *Prædictus Rex Pipinus vſque ad Garonnam acceſſit, ibi Vuaſcones, qui vltra Garonnam commorantur, ad eius, præſentiam venerunt & ſacramenta & obſides prædicto Regi donant, vt ſemper fideles partibus Regis ac filiis ſuis Carolo & Carlomanno omni tempore eſſe debeant. Et aliæ multæ quamplures ex parte Vuaifarij ad eum venientes & ſe ditioni ſuæ ſubdiderunt. Rex verò* Pipinus *benigniter eos in ſuam ditionem recepit.* His autem verbis *Vaſcones qui vltra Garonnam commorantur*, innuere videtur Fredegarius, iam tum hunc populum *Nouempopulaniam*, quæ *Garumna* fluuio terminatur, incoluiſſe, quod omni ratione confirmatur teſtimonio authoris vetuſti vitæ Ludouici Pij, qui Caroli Magni res geſtas recenſens, & in *Garumnæ* mentionem delapſus, *hunc fluuium Aquitanorum & Vaſconum conterminum* fuiſſe enunciat: Vetus membrana Eccleſiæ primariæ Auſcenſis ab eiuſdem ſacerdote, circa annum 1100, ſcripta *Clodouei* primi huius nominis Regis temporibus *Vaſcones*, relictis montibus, *Aquitaniam inuaſiſſe* & interemptis, quos in ea Prouinciâ ſtatuerat Clodoueus, Comitibus & Vicecomitibus, alios in eorum locum ſuffeciſſe dictat. Elias verò Vinetus, loco ſupra citato, circa annum Chriſti 590 hæc contigiſſe arbitratur: ſed in deſignatione temporis neque ſacerdotis illius teſtimonium verum, neque con-

iectura Vineti certa eſt: ſiquidem, paulò poſt, regnante nempe *Dagoberto*, *Vaſcones* Pyrenaicam regionem adhuc tenuiſſe, necdum in plana immigraſſe ex variis antiquorum ſcriptorum locis conſtat; quorum duo aut tria hic afferam inſigniora; Alterum è Fredegarij chronico, aliud ex authore vitæ ſancti Amandi illorum temporum æquali, tertium ex Iſidoro Hiſpalenſi. Fredegarius cap. 78. *Anno 14 Regni Dagoberti cum Vuaſcones fortiter rebellarent & multas prædas in Regno Francorum, quod Charibertus tenuerat, facerent, Dagobertus de vniuerſo Regno Burgundiæ exercitum promouere iubet ſtatuens eis caput exercitus nomine Chaddinum referendarium &c.* Et paulò poſt. *In Vuaſconiam cum exercitu perrexiſſent & tota Vuaſconiæ patriâ ab exercitu Burgundiæ fuiſſet repleta, Vuaſcones de intermontium rupe egreſſi ad bellum properant: cumque præliare cæpiſſent, vt eorum mos erat, terga vertentes, dum cernerent ſe eſſe ſuperandos in faucibus vallium montis Pyrenæi latebram dantes, ſe locis tutiſſimis per rupes eiuſdem montis conlocantes latitarunt. Exercitus poſt tergum eorum cum Ducibus inſequens plurimo numero captiuorum Vuaſcones ſuperatos ſeu & ex his multitudine interfectis, omnes domus eorum incenſas pecuniis & rebus expoliant. Tandem Vuaſcones oppreſſi ſeu perdomiti veniam & pacem à ſupraſcriptis Ducibus petentes promittunt ſe gloriæ & conſpectui Dagoberti Regis præſentaturos & ſuæ ditioni traditos cuncta ab eodem iniuncta impleturos, fæliciter hic exercitus abſque vllâ læſione ad patria fuerunt repedati. Sed Arimbertus Dux maximus cum ſenioribus & nobilioribus exercitus ſui per negligentiam à Vuaſconibus in valle Subola fuit interfectus. Vallis Subola* cuius hoc loco meminit Fredegarius, & in quâ partim hoc bellum Vaſconicum geſtum fuit, ea eſt, quæ nunc contractè vocatur *Sola* in

radicibus

radicibus montis Pyrenæi, regione Vaſcitaniæ ſita: illius enim pagi dynaſtæ *Vicecomites Subolæ* dicuntur in veteri Chartulario Cœnobij Syluæ-latæ, Principatus Bearnenſis. Auctor Vitæ ſancti Amandi. *Nec multò poſt cum à fratribus, quos ob animarum curam per diuerſa reliquerat loca, rogaretur vt eos præſentia ſua viſitaret & vt verbi ſacri pabulo reficere dignaretur: tandem prece accepta peruenit ad eos audiuitque ab eis gentem quamdam quam Vacceiam appellauit antiquitas, quæ nunc vulgò nuncupatur Vuaſconia, nimio errore deceptam, ita vt auguriis vel omni errori dedita, idola etiam pro Deo coleret, quæ gens erga Pyrenæos ſaltus per aſpera atque inacceſsibilia diffuſa erat loca, fretaque agilitate pugnandi frequenter fines occupabat Francorum: vir autem Domini Amandus eorum miſeratus errorem enixè laborare cœpit, vt eos à diaboli reuocaret ſeruitio.* Iſidorus Hiſpalenſis Dagoberto ætate ſuppar lib. 9. originum: *Hi* (inquit, de *Vacceis* quos cum *Vaſconibus* confundit) *Pyrenæi iugis peramplam montis habitant ſolitudinem, iidem & Vaſcones quaſi Vaccones C in S literam demutata.* Sunt etiam qui Vaſcones ab Eudone Aquitaniæ Duce accitos & in ea regione vbi hodie *Gaſconia* eſt, collocatos hariolentur, non alio argumento, quam veteris monumenti Cantabrici, à Garibayo laudati, quod Eudonis genus à Cantabris ducit, cuius vanitas ſuperiori libro à nobis eſt demonſtrata. Auctor denique vitæ beati *Iuliani Epiſcopi Bearnenſis*, ad *Ebroini* Maioris domus ætatem hoc Vaſconum facinus referre videtur: quo tempore à Vaſconibus ait, & ab aliis vicinis populis electum fuiſſe Principem nomine *Lupum*, Francorum Regno valdè infeſtũ. Hic forſan eſt *Lupus Dux*, qui *Paulo* contra *Vuambam Gothum Regem*, circa annum 670 ſuppetias tulit. Vt D. Iulian. Archiep. Toletan. in Hi-

ſtoriâ Vambæ teſtatum reliquit. Nec deſunt qui, ſiue hunc, ſiue alium *Lupum* Eudonis patrem fuiſſe affirment: aliis contra *Eudonem* non *Lupi*, ſed *Bertrandi Aquitaniæ Ducis* filium fuiſſe pronunciantibus, quæ omnia veluti incerta & nullis ſubnixa fundamentis reiicere tutius duco; cum id tantummodo pro certo ſtatui poſſe iudicem, poſtremorum primæ ſtirpis Regum temporibus, bellicoſâ illâ Clodouęi indole exoleſcente Regibuſque ipſis Regni cura Maioribus Palatij delegatâ, ſocordiæ ſemet luxuriæque mancipantibus, interiore adhęc Galliâ inteſtinis bellis factione eorum qui ſummam Regni Maioratus Palatij titulo affectabant, vexata: tum demum redundantem Vaſconum ſobolem, captatâ opportunitate ſeſe in Nouempopulanię vberem agrum effudiſſe, ibique ſedes fixiſſe, Pręfectis Regiis, qui Prouinciæ pręerant, ad reſiſtendum & ad tantam gentem illis finibus arcendam parùm idoneis, vel forſan factum ideò diſſimulantibus, quod ipſi quoque in eâ rerum Francicarum perturbatione Pręfecturas ſuas veluti proprias in perpetuum retinere ſtuderent. Cuius rei non leue argumentum eſt, quod *Eudo* eiuſque poſteri *Hunaldus* & *Vaiſarius* Aquitaniæ Duces in tot grauiſſimis bellis quę cum Carolo Martello, Pipino, & Carolo Magno geſſere, non alio ferè milite quam Vaſcone vſi ſunt, eiuſque gentis Proceribus præcipuas ſui Principatus ciuitates atque arces tuendas ac propugnandas permiſere, vt ex Fredegarij Appendice & priſcis Annalibus Francicis à P. Pithoęo, Marquardo Frehero & Andręa Ducheſnio editis conſtat. Maiores autem natu Vaſconum in Pyrenaicâ regione manſiſſe eorumque poſteros eſſe illos populos, qui hodie *Vaſci* dicuntur nemini in antiquorum hiſtoricorum lectione verſato in dubium venire poſſe exiſtimo.

De nominibus Vaſconum, Vacceorum, Vaſculorum & Baſclorum, à variis authoribus ad deſignandos Vaſcos vſurpatis.

CAPVT III.

INTER nomina *Vaſconum* & *Vaſcorum*, nihil intereſſe pręter declinandi rationem libro ſuperiori dixi, idque eò probatur, quod populi illi ad imum Pyrenęum poſiti, qui hodie æquè Hiſpanis ac Gallis *Vaſci* dicuntur, *Vaſcones* olim audiebant: Vetus auctor vitę Ludouici Pij, binis pręcipuè locis, illorum populornm meminit: & bella à Ludouico contra ipſos facta commemorat: in quolibet autem eorum non alio quam *Vaſconum* nomine eos appellat. Primus locus ad annum 809 pertinet, & his verbis ab illo authore proponitur. *At ſuccedente æſtate, accito populi ſui generali conuentu* (loquitur de Ludouico Pio) *retulit eis ſibi delatum rumorem quod quædam Vaſconum pars iam pridem in deditionem ſuſcepta, nunc defectionem meditata in rebellionem aſſurgeret, ad quorum reprimendam peruicaciam ire publica vtilitas poſtularet. Hanc Regis voluntatem omnes laudibus proſequuntur, nec talia in ſubditis contemnenda, ſed potius ſeueriſsimè reſecanda teſtantur. Moto igitur & diſpoſito prout oportuit exercitu AQVAS villam peruenit & vt ad ſe venirent qui infidelitatis inſimulabantur iuſsit. ſed illis venire detrectantibus ad eorum vicinia deuenit, cunctaque eorum depopulari manu militari permiſit. Ad vltimum cunctis quæ ad eos pertinere videbantur conſumptis, ipſi ſupplices venerunt & tandem veniam perditis omnibus magno pro munere meruerunt.* Cum *Aquas* vſque (*Tarbellicas* intel-

lige, ſeu *Auguſtas*, quæ vrbs hodie *Acqs* dicitur) Ludouicum proceſſiſſe, necdum tamen ad hoſtes perueniſſe ſignificet hic author, conſequens eſt, vt per *Vaſcones* hic *Vaſcos* intelligamus, non autem *Gaſcones*; *Aquas* enim *Tarbellicas*, in extremo *Gaſconiæ* Pyrenen verſus ſitas eſſe nemo neſcit: hanc autem vrbem prætergreſſis, ſtatim occurrit *Vaſcitania* ſeu *Vaſcorum regio*. Poſterior locus alterius belli narrationem complectitur anno 816, à Ludouico contra eoſdem *Vaſcos* ſeu *Vaſcones Pyrenaicos* ſuſcepti, hoc modo. *Sed & Vaſconum citimi qui Pyrenæi iugi propinqua loca incolunt, eodem tempore, iuxta genuinam conſuetudinem leuitatis, à nobis omnino deſciuerunt. Cauſa autem rebellionis fuit, eo quod Siguuinum eorum Comitem propter morum prauorum caſtigationem, quibus pene erat importabilis, ab eorum remouit prælatione Imperator, qui tamen adeo ſunt duabus expeditionibus edomiti vt ſerò pœnituerit eos incœpti ſui, deditionémque magno expeterent voto.* Viciſſim quoque vniuerſos *Vaſcones*, eos ſcilicet qui tam *Gaſconum* quàm *Vaſcorum* nomine hoc ſæculo dignoſcuntur, V*acceos* (quæ vox à nomine *Vaſcei* vel V*aſci* corrupta videtur) fuiſſe nuncupatos comperio, tam apud authorem vitæ ſancti Amandi, quàm apud Iſidorum Hiſpalenſem locis ſuperiori capite recitatis. Iſidorus quoque Pacenſis, antiquus Scriptor, V*acceorum* nomen pro V*aſconibus* vſurpauit, vbi de Abderramene Mauro Rege, ex Hiſpaniâ in Galliam tranſmittente agit. *Tunc Abderraman*, inquit, *multitudine ſui exercitus repletam proſpiciens terram montana* V*acceorum* (ſic cum duplici C legitur in MS. libro Collegij Nauarrici) *diſſecans & fretoſa & plana præcalcans terras Francorum intus experditat &c.* At Fredegarius in Appendice ſui Chronici, ad annum 766 eâdem vocem V*accei* ad Gaſ-

cones deſignandos aſſumpſit. *Dum hæc*, inquit, *agerentur Vuaifarius cum exercitu magno & plurimorum Vuaſconorum, qui vltra Garronam commorantur, qui antiquitus vocati ſunt Vaccei.* (Malè in quibuſdam editionibus legitur *Vacoei*, in aliis *Vaceti*) *ſuper prædictum Regem venit &c.* Poſterioribus verò ſæculis & ante quingentos circiter annos, *Vacceorum* nomen pro ſolis *Vaſcis* ſumptum fuiſſe, obſeruaui in vno aut altero loco Cartularij Monaſterij ſancti Ioannis Sorduenſis, quod in confinio *Gaſconiæ* & *Vaſcitaniæ* ſitum eſt. *Vaſcos* inſuper, diminutiuâ voce *Vaſculos* & contractè *Vaſclos* vel *Baſclos*, dixit poſterior ætas; quam vocem, XII ſæculo decurrente, primùm natam exiſtimo, nec enim antiquiores Authores, qui eâ vſi ſint, nactus ſum Patribus Concilij Lateranenſis, anno 1179 celebrati, niſi quis in antiquorum numerum referendum cenſeat *Pſeudoturpinum*, qui de rebus Caroli Magni prodigioſam ſcripſit hiſtoriam, ſeu veriùs fabulam. Hanc, neſcio quo argumento, Papyrius Maſſonus (etſi authorem imperitiæ & mendacij damnet) è vetuſtate commendat. Dum, non multò poſt Caroli Calui imperium, ab homine otioſo in iuuentutis gratiam ſcriptam fuiſſe videri pronuntiat. Mihi tamen præfatio hiſtoriæ illi, à Gaufredo Priore Voſienſi, qui paulò ante annum 1200 ſcribebat, in exemplari manuſcripto, cuius copiam fecit Ioannes Cordeſius Canonicus Lemouic. præfixa, planè perſuadet hoc opus, recèns tempore Gaufredi vulgatum, Hiſpani hominis illo ipſo ſæculo XII viuentis, abortum eſſe. Sic enim de eo Gaufredus, velut de re ſibi eatenus incognitâ, loquitur. *Gaufredus Prior Voſienſis, ſacro Martialis conuentui & vniuerſo Clero Lemouicini climatis gaudiis ſempiternis perfrui. Egregios inuicti Regis Caroli triumphos ac præcelſi Comitis*

Rotholandi prædicandos agones in Iſpania geſtos nuper ad nos ex Eſperiâ delatos gratanter excepi & ingenti ſtudio corrigens ſcribere feci, maximè quod apud nos iſta latuerant hactenus, niſi quæ ioculatores in ſuis præferebant cantilenis. Quia verò ſcriptura ipſa Scriptorum vitio deprauata ac pene deleta fuerat non ſine magno ſtudio decorando correxi, non ſuperflua ſubtrahens, ſed quæ neceſſaria aderant, addens, ne quis me putet reprehendere inclitæ laudis Turpinum qui ſe infraſcripta ſcripſiſſe fatetur. Ego tanti Pontificis oratibus mihi à iudice pio dari veniam opto. De gemino denique nominis, V*aſco*, inflectendi modo per ſecundam vel tertiam declinationem, nihil ſingulare in hoc vocabulo ſubeſt, cum idem in pleriſque aliis Vaſconicis ſeruetur, nam veluti, V*aſcum* & V*aſconem*, ſic promiſcuè declinatum in pleriſque vetuſtis diplomatibus, legimus *Enecum* & *Eneconem*, *Galindum* & *Galindonem*, *Sanctium* vel *Sanctionem*, *Garſiam* & *Garſianem*, vel etiam *Garſionem Fortunium* vel *Fortunionem*, *Schimenum* vel *Schimenonem* : non ſecus apud veteres Annalium Francicorum ſcriptores, à Pithœo, Frehero & Ducheſnio editos, accuſatiuus nominis *Lupi* effertur per *Lupum* vel *Luponem*, vtraque declinatione: *Bigerros* quoque ſeu *Begerros* dixere Plinius lib. 3. cap. 3. & Paulin. epiſt. 1. ad Auſonium pro iis Aquitaniæ populis, qui Cæſari *Bigerriones* ſunt, & vna eadémque gens Hiſpaniæ Tarraconenſis, apud Plinium *Origeuorum*, apud Melam verò Origeuionum nomen obtinet: quin & ipſum V*aſconum* nomen, alio etiam modo inflexum reperias, tum apud Fredegarium in Chronico Regum Franciæ & ipſius Appendice, quàm apud Nitardum lib. 3. de diſſenſionibus filiorum Ludouici Pij: dum pro genitiuo multitudinis numeri, V*aſconorum* vocem formant.

CÆTERVM recta analogiæ ratio exigebat, vt Hiſpanum nomen *Vaſco* à Latinis in claſſem ſecundæ potius quàm tertiæ declinationis nominum referretur, cum in aliis conſimilibus eam legem ſeruatam videamus, vt rectus in O deſinens apud veteres *Hiſpanos* & *Vaſcos*, Latinè per *VS* efferatur, itaque ab illorum *Gurdo* Latini ſuum *Gurdus* deduxerunt: Viciſſim autem in Latinis nominibus à Vaſcis vſurpatis, *Vs* ſyllaba finalis recti ſingularis, in O ſemper mutata eſt: vnde quod Latinis *Chriſtus, Petrus, pinus, fagus, ficus, lacus* (pro torculari ſumptum) *largus, laxus* & *flaccus*: id Vaſcis dicitur *Chriſto, Pedro, pino, bago, pico, laco, largo, lacho* & *flacco*. Plura huiuſmodi in hodiernâ linguâ Hiſpanicâ animaduertere licet. Præterea, vox peregrina *Vaſco*, ſi per tertiam Latinorum declinationem inflectenda erat, in genitiui penultimâ vocalis O producenda fuiſſet, iuxta veram Etymologiæ regulam à Priſciano lib. 6. traditam (vt in vocibus *Ciceronis, Cauponis, Ruſcinonis, Caſtulonis* accidit) quam in hoc nomine tamen ſpeciatim à Latinis correptam fuiſſe, authoritas veterum Poëtarum Iuuenalis, Auſonij, Paulini, & aliorum euincit.

VT in declinatione ſic in orthographiâ nominis, *Vaſco* variatum eſt: nam etſi paſſim apud vetuſtos Authores ab V ſimplici, rarius à gemino incipiat, nonnulli tamen illud à B inchoant. Vetus Poëta apud Maximum Victorin lib. de ratione metrorum *Baſconas armipotentes*. Guibertus Abbas in hiſtoriâ Hieroſolymitanâ fol. 536 editionis Iacobi Bongarſ. *Gaſton vir illuſtris atque ditiſſimus utrum de Gaſconiâ an Baſconiâ foret non integrè memini; quia tamen de alterutro eſſet ad certum tenui*. Eadem primæ literæ varietas occurrit in pleriſque Authoribus, qui à quingentis annis ſcripſerunt. Hi enim cum de

Vaſcitanis verba faciunt, eos nonnunquam *Vaſculos* aliàs *Baſculos* & contractè *Baſclos* nuncupant. Hodie quoque huius gentis nomen Galli per B, Hiſpani per V conſonantem proferunt, quippe *Baſcos* illi; hi *Vaſcos* appellant: Sed ſatis hactenus de *Vaſconum* & *Vaſcorum* appellatione, nunc de ſitu & ſtatu antiquo Vaſconiæ Aquitanicæ aliqua dicenda ſunt, pauca tamen, cum hęc ad ſcribendum materia latius ſe aperiat, quam vt vnico libello expediri poſſit: ideoque proprium commentarium deſideret. Itaque tum in Regione deſcribendâ, tum in Genealogiis explicandis breuior in hac parte ero quam in ſuperioribus fui, aliàs fortaſſe plura dicturus.

De Vaſcitaniæ ſeu Vaſcorum Regionis ſitu, & de illius gentis moribus ac de veteribus Principibus, Ducibus & Comitibus Vaſconiæ Citerioris.

CAPVT IV.

DVos Vaſconia Aquitanica complectitur populos, *Gaſcones* & *Vaſcos*, *Vaſcorum* Regio quam *Vaſcitaniam* vocare poſſumus, licet iamdiu *Gaſconiæ* annexa fuerit; quia tamen olim ab ea diſtincta erat, & nunc quoque ipſius incolæ moribus, linguâ & vitæ inſtitutis à Gaſconibus & reliquis Aquitanis differunt, haud incommodum erit aliqua de ea præmittere. Sita eſt in extremo, & veluti in angulo quodam Galliæ, quà Hiſpaniam ad Occidentem & Septentrionem attingit, ab occaſu terminatur Oceano, à meridie *Bidaſſo* amne & monte Pyrenæo, ab ortu Principatu Bearnenſi à Septentrione verò partim eundem Principatum, partim fines Dynaſtiæ Acrimontanæ & Aturrim amnem, ac

ſuburbanum

ſuburbanum Baionæ agrum habet obiectos. Longitudo eius L. circiter milliaria paſſuum, latitudo XXIIII continet. Diuiditur in tres pagos ſeu ditiones, quarum prima *Lapurdi*: Altera *Inferioris Nauarræ*: Poſtrema *Solæ* nomen habet. Lapurdum & Sola à Præfecto Regio totius Aquitaniæ reguntur: Inferior verò Nauarra à Bearnenſi Regis Vicario; vtraque illarum à Senatu Burdegalenſi, hæc verò à Parlamento Palenſi ius petunt.

LAPVRDI appellationem pagus ille à *Lapurdo* oppido (*Bajona* eſt hodie) cuius olim Vicecomitibus paruit, nunc eiuſdem Præfectis Regiis ſubeſt, ſumpſiſſe videtur. Eſt autem *Lapurdum* nomen Vaſconicum ſeu Biſcainum, ideóque illi oppido fortaſſe impoſitum fuit, quia ipſius incolæ olim piraticam faciebant, vt teſtatur Author vitæ ſancti Leonis Pontificis Lapurdenſis: Nullas hęc Ditio habet vrbes aut oppida munita, ſed in vicos numero duodetriginta diſtribuitur: quorum ampliſſimus & longè opulentiſſimus is eſt qui veteribus *Luyzius* indigenis ſua lingua *Loizune*, vulgò *S. Ioannes Lußij* nuncupatur. *Luyzij* vel *Loitzunij* vox, ea linguâ, locum cœnoſum notat: conſtatque huic vico ſui nominis ratio; cœno enim abundat, quod æſtus maris eò trahit, qui ſingulis diebus alueum modici amnis, vicum hunc influentis, pererrat. Incolæ ferè omnes rei nauticæ operam dant, cuius ſunt peritiſſimi, & inſtitutis, in eam Septentrionalis Americæ partem, quæ à noſtris *Terra noua* dicitur, annuis nauigationibus, ſummam inde illius piſcis copiam aſportant, quæ ipſis *Bacallao*, Gallis *Morua* dicitur, ingentémque ex eius pretio pecuniam redigunt. Ad alium vicum nomine *Vſtarizium* Lapurdenſis pagi iuridicus forenſibus diſceptationibus vacare ſolet.

INFERIOR Nauarra è pluribus pagis ac ditionibus

conflata eſt; ſub ea enim continentur *Vicecomitatus Bigorritanus* & *Arberoanus*: ditiones *Ciſana*, indigenis *Garaci*, *Amixienſis* & *Oſtabarenſis*: Dynaſtiæ item *Acr montana* & *Lucſetana*: Vrbes illius præcipuæ ſunt *Fanum ſancti ioannis Pedeportuenſis*, *Sanctus Pelagius Garrucium* & *Baſtita-Clarencia* Ludouici Hutini Nauarræ Regis iuſſu & authoritate condita. Nomen autem *Nauarræ*, à Nauarris Regibus accepit, ſub quorum ditione ac imperio diu ſtetit.

SOLÆ nomen ab antiquâ voce *Subola* contractum fuit, quæ Vaſconicâ linguâ ſylueſtrem regionem ſignificat. Vnica iſtius pagi vrbs *Mauleo* eſt, veteri arce in loco edito & prærupto conſtructâ, munita. Alluitur *Saſone* fluuio, Truttarum ſaporis optimi fœcundiſſimo. Hinc etiam atque ex Inferiori Nauarrâ ſuillæ pernæ omnium exquiſitiſſimæ in vniuerſam Galliam euehuntur.

VASCITANIAM autem *citerioris Vaſconiæ* nomine deſignarunt, vetuſtus Author vitæ Ludouici Pij, ad annum 816: & Scriptor Chronici ſancti Arnulphi Metenſis ad annum 836: latiùs tamen patuiſſe illius fines, quam hodiernæ Vaſcitaniæ & ſub ea *Vaſtanenſem quoque pagum*, qui nunc ad Nauarram Ibericam pertinet, ac *Ipuſcuæ* partem illam, quæ à *Fano ſancti Sebaſtiani* Lapurdum vſque procurrit, comprehenſa fuiſſe veriſimile eſt. Pagum enim illum, olim à Vicecomitibus adminiſtratum fuiſſe, poſſum probare plurimis vetuſtis monumentis: vnde colligitur, Comitem aliquem in eo ius ſupremi imperij exercuiſſe. At ecquis alius præter *Vaſcitaniæ* ſeu *Gaſconiæ* Comitem? Deinde hoc quoque ex compluribus antiquis tabulis conſtat; ante quadringentos annos, tum in illo ipſo pago, cùm in eo tractu Ipuſcuæ, quem

modo deſignauimus, Forenſes formulas & publicas tabulas, non Hiſpanicâ, ſed Gaſconicâ linguâ ſcribi conſueuiſſe. Præterea, quandoquidem in antiquis prouinciis definiendis, ſæpenumero ſacra profanis conueniunt, & Eccleſiaſtica diœceſeon diſtinctio, politicam plerumque regionum diuiſionem imitatur: Cum Lapurdenſis Epiſcopi diœceſis, tractum illum Nauarræ & Ipuſcuæ, de quo nunc agimus, ambitu ſuo amplecteretur; fide non caret, Lapurdenſis quoque Dynaſtiæ ſpatium iiſdem terminis circumſcriptum fuiſſe. Adde D. Eulogium, in epiſt. ad Vvilleſindum Epiſcopum Pompel. *Aragum* fluuium (qui Pompelonem alluit) à radicibus montium Pyrenæorum, in Galliæ *Portariis* (fauces & anguſtias montium intelligit, quas hodie indigenæ *Portus* vocant) naſci teſtatum reliquiſſe; Quod coniecturæ noſtræ mirum in modum fauet: ſi quidem eius fluuij fontes è montibus illis, qui *Vaſtanenſi* pago, Hiſpaniam verſus, proximè ſuccedunt, oriri, exploratum eſt iis, qui illam regionem peragrarunt. Illud denique animaduerſione dignum cenſeo; cum *Arſius Lapurdenſis Pontifex*, circa annum Chriſti 980, notitiam diœceſeos Lapurdenſis publico monumento ſcribendam curaſſet, in fine illius monumenti editum eſſe nomen *VV. Sancij Gaſconiæ Comitis*, vt Principis prouinciæ illi imperantis, nulla tamen Pompelonenſis vel alterius Hiſpaniæ Regis habitâ mentione: quod certè prætermiſſum nequaquam fuiſſet, ſi id temporis, perinde atque nunc, potiſſima pars illius diœceſeos intra Hiſpaniæ limites conſtitiſſet. Monumentum autem illud, quod ad cognoſcendam illius Regionis antiquitatem nonnihil iuuat, huiuſmodi exemplo in Chartulario Eccleſiæ Baionenſis deſcriptum eſt.

IN *nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Ego Arſius indignus & humilis Laburdenſis Epiſcopus volo tradere notitiæ ſucceſſoribus & poſteris ea quæ noſtro Epiſcopatui ſcilicet ſanctæ Mariæ Laburdenſi ſubiacent, loca: Idcirco hæc ſubtili & canonicali auctoritate ſubnotamus, ne fortè (quod abſit) ſucceſſores noſtri Epiſcopi vel Archidiaçoni in dubio ſint laboraturi, quæ in noſtro iure ſubiacent, ſeu quæ priſcis temporibus ipſa Laburdenſis Eccleſia publico auxilio vel conſilio fidelium canonicè acquiſiuit: Non enim dignum videtur vt aliqua fraus in ſanctâ Catholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ laboret, ſed potius veritas quæ ab authore mundi ſemper exigitur, & ideo poſt mortem teſtificari non poſſumus & authenticâ authoritate & exemplo ſcriptum veriſſimis in membraneis reliquimus, vt omni dubietate poſtpoſitâ Prælatores ſanctæ Laburdenſis Eccleſiæ, cum pace quod inuenerint teſtificatum noſtro teſtimonio vel ſancitum abſque adminiculo vllius anxietatis teneant, ipſamque ſanctam matrem Eccleſiam, ex acquirendis vel acquiſitis priſtino in honore reſtaurent, & ad poſſe ex ſtipendiis ſubiacentium fideli modo ædificent. Omnis vallis quæ Cirſia dicitur vſque Caroli crucem, vallis quæ dicitur Bigur, vallis quæ Erberua dicitur, vallis quæ Vrſazia dicitur, Bazten item vallem vſque in medio portu Belat, vallem quæ dicitur Larin, terra quæ dicitur Ernania & ſanctum Sebaſtianum de Puſico, vſque ad ſanctam Mariam de Aroſth & vſque ad ſanctam Trianam: has tenemus & poßidemus in dominio ſanctæ Mariæ Laburdenſis Eccleſiæ eo tenore ne vmquam ab Epiſcopo vel Archiepiſcopo fiat vlla contradictio vel proclamatio ſucceſſori noſtro, ſed potius ſit affirmatio. Hæc autem ſtipulatio vel affirmatio facta eſt in præſentiâ dompni Archiepiſcopi Auxienſis Odonis, necnon & aliis viris religioſis, Clericis & Monachis vigente dompno Apoſtolico*

Romano Pontifice Benedicto, regnante Hugone Magno Rege Francorum, imperante Duce Gaſconiæ VVillelmo Sancio S. Arſiui Epiſcopi qui hanc fieri vel confirmari iuſsit Y. S. Archiepiſcopi Auxienſis Odonis † S. Gaſtonis Centulli Vicecomitis S. Lupi Anerij Vicecomitis. S. Ernaldi Lupi Vicecomitis Aquenſis C. S. Saluatoris Abbatis ſancti Seueri. Si quis contradicere voluerit repetitio eius ad nihilum redigatur, & niſi reſipuerit victus canonicali iudicio anathema ſit. Hugonis autem Magni nomen hîc à recentiori aliquo, dum id monumentum Cartulario illi inſerendum curaret, additum exiſtimo.

VASCITANIA proprios olim Principes Duces ſeu Comites habuit, quorum nomina, quæ ex vetuſtis Authoribus eruere licuit, hæc ſunt. *Lupus*, qui Carolo Magno Rege viuebat, anno ſcilicet 769. (falluntur qui hunc *Gaſconiæ Ducem* fuiſſe arbitrantur) *Schiminus* pro quo *Siguuini* vel *Siguiuini* nomen mendosè in illorum authorum libris editum eſſe iam monui. *Garſias Simirus*, qui anno 815 à Vaſcitanis Princeps electus, in eo bello quod Ludouicus Pius aduerſus hanc gentem, anno 818 habuit, interfectus eſt. *Azenarius*, qui anno 836 obiit: *Sancius* denique Azenarij frater, qui cum poſt aliquot annos à *Gaſconibus* quoque in Principem ac Ducem electus fuiſſet, vterque Principatus exinde in vnum coaluiſſe videtur. Non eadem tamen ratio fuit *Inferioris Nauarræ* atque reliquæ *Vaſcitaniæ*: quippe hæc à multis ſæculis ad patrum noſtrorum memoriam Nauarræ Regno annexa manſit & Barones, aliique nobiles & primariæ vrbis (quam *ſancti Ioannis Pedis Portus* vocant) legati, ad conuentus publicos illius Regni perinde ac alij Nauarræ proceres citari ſolebant: conſtituebatque hæc ditio ſextam Nauarræ Præfecturam ſub hoc titulo *Merindad de la*

tierra de Vaſcos, o de vltra puertos. Id eſt Præfectura Vaſcitaniæ ſiue tranſmontanæ regionis: Cur autem ea potiſſimum à reliquâ Vaſcitaniâ reſecta & detruncata Nauarræ Regno acceſſerit, incompertum habeo: tametſi eandem ante quingentos plus minus annos, Aquitaniæ Ducibus fuiſſe ſubditam docere poſſum ex ſingularibus Authoris Chronici MS. Viſeliacenſis & Rogerij Houeden locis, hîc apponendis. Hugo Monachus in Chronico Viſeliacenſis Monaſterij, quod circa annum 1160 ſcribebat. *Hic eſt*, inquit, *Rex Ludouicus, cuius pater Ludouicus vſquequaque dilatauit Regnum ſuum & coniunxit ei in matrimonium filiam Guilielmi Ducis Aquitanorum & Comitis Pictauorum propter quam acquiſiuit omnem Aquitaniam, Gaſconiam, Baſcloniam & Nauarriam vſque ad montes Pyrenæos & vſque ad Crucem Caroli.* Caroli Crux ſita erat, vbi nunc ſacellum ſancti Saluatoris ad Yuainetam, in ſummo Pyrenço. Rogerius Houeden parte poſteriori Annal. ad annum 1177. *Ricardus*, ait, *Comes Pictauiæ fuit in Aquitaniâ, apud ciuitatem Burdegalenſem, qui ſtatim poſt Natale Domini obſedit Akenſem ciuitatem, quam Petrus Vicecomes Aquenſis & Comes Bigorniæ contra eum munierant & infra decem dies cepit. Deinde obſedit Baioniam ciuitatem, quam Ernaldus Bertrandus Vicecomes Baioniæ contra eum munierat, & infra decem dies cepit, & inde promouens exercitum ſuum vſque ad Portus Sizaræ quæ nunc Porta Hiſpaniæ dicitur, obſedit Caſtellum ſancti Petri, & cepit & demolitus eſt illud, & compulit per vim Baſclos & Nauarrenſes iurare quod pacem ab illâ horâ peregrinis & inter ſe ſeruarent in perpetuum, & deſtruxit omnes malas conſuetudines quæ inductæ erant apud Sorges & apud Eſpurim.* Nihilominus ſuperioribus etiam ſæculis Nauarros Reges Inferiore Nauarrâ

potitos eſſe, Nauarræ nomen huic prouinciæ tum à Monacho Vezeliacenſi, cum à Rogerio Houedenio tributum, dictare videtur: eamque tandem à Guillelmo Aquitaniæ Duce, Guidonis Godofredi filio, vendicatam fuiſſe colligi poteſt ex quodam capite Cartularij Sorduenſis; quo, *Datarnaldum Amixæ* in Inferiori Nauarrâ Dynaſtam, ab illo Duce, cum banno ſuo, id eſt cum vaſſallis & clientibus, in poteſtatem redactum fuiſſe traditur. Inſequenti verò ſæculo, Sanctio huius nominis vltimo regnante, Inferior Nauarra in ius veterum dominorum Nauarræ Regum rediit.

SOLENSEM quoque pagum, in eadem olim conditione fuiſſe, arguit formula fœderis, inter *Raimundum VVilielmum Solenſem & Centullum Bearnenſem Vicecomites*, pacti, in veteri Cartulario Bigorræ Comitum perſcripta, quâ Solenſis Bearnenſi opem & auxilium militare contra quoſcunque hoſtes & aduerſarios pollicetur, duobus duntaxat exceptis, *Comite Gaſconiæ & Rege Pompelonenſi.* Hoc amplius vniuerſæ etiam *Vaſcitaniæ* antehac Reges Hiſpaniæ dominium ſibi aſſeruiſſe, à Thomâ VValſingano in hypodigmate Neuſtriæ ad annum 1239, teſtatum lego his verbis. *Simon de Monteforti filius Simonis de Monteforti, qui anno Domini* 1209 *cruce ſignatus eſt contra Albigenſes, Reginam Blancham Regis Francorum matrem ſibi timens offenſam aufugit in Angliam, vbi gratiosè acceptus à Rege, Leiceſtriæ obtinuit Comitatum cum Seneſchalliâ Angliæ, & Regis ſororem quæ prius caſtitatem publicè vouerat in manu Epiſcopi vxorem accepit, qui etiam poſtea Seneſcallus VVaſconiæ factus Regem Angliæ vt terram Baſclorum, cui caput eſt ciuitas Bajonæ & olim Regnum fuerat, recognoſceret de feodo Franciæ Regis, vt ſic Regis Caſtellæ actionem excluderet, qui terram*

illam ad feodum Regni Hiſpaniæ aſſeruit pertinere. Quo loco tamen *Caſtellanus* Rex pro *Nauarro* perperam videtur fuiſſe expreſſus: illum enim in *Gaſconia* duntaxat, hunc verò in *Vaſcitania* ſpeciatim, eo ſæculo, ius ſibi arrogaſſe certò ſcimus.

IN Eccleſiaſticis, ſubeſt *Lapurdenſis* pagus Pontifici Baionenſi, *Solenſis* Olorenſi, olim (ſi quibuſdam monumentis Eccleſiæ Aquenſis fidem habemus) *Aquenſi*. Inferior verò Nauarra partim ab Aquenſi, partim à Baionenſi Antiſtite regitur.

MORIBVS *Vaſci* parùm differunt à *Vaſconibus Ibericis*, & vtriſque eædem ferè virtutes, eadémque vitia inſunt. Literas, inter eos, pauci iique ferè leuiter attingunt. *Lapurdenſes* nauigationi, *Inferiores Nauarri* agriculturæ ac mercaturæ, *Solenſes* verò rei pecuariæ maximè ſtudent. Arma libentius quam artes tractant. Robore corporis atque agilitate præſtant. Habitu cultos ac elegantes, in conuictu hilares & lautos ſe præbent. Manu prompti, atque iracundiæ obnoxij ſunt. Morum & inſtitutorum ſuorum tenaciſſimi. Fide inclyti, quam viri erga ſuos Principes, parentes ac heros, vxores erga maritos, puellæ erga amatores ſuos ſynceriſſimè colunt. Singularis vulgò in muliebri ſexu decor & venuſtas. Innuptis effuſa coma. Eadem collecta virginitatis amiſſæ indicium eſt. Mortuos planctibus proſequuntur, eorum tamen funera conuiuiis celebrant, in quibus carne aſſâ veſci, pleriſque locis, nefas putant. Leuitatis vitium huic populo à quibuſdam Scriptoribus imputatum video, non aliâ de cauſâ, quam quod libertatis priſtinę tenēdę ſtudio, crebrò olim à Francorum Regibus deficerent; ſub quorum tamen ditione conſequutis temporibus conſtantiſſimè perſeuerarunt; eòque immunitates vectigaliũ & alia priuilegia quibus eximiis,

præ

prę cęteris Francię populis, beneficio eorundem Principum vtuntur, conſequi meruere.

De ſitu Gaſconiæ ac Gaſconum moribus, & de Ducibus ſeu Comitibus qui iis vſque ad Caroli Calui tempora præfuerunt.

CAPVT V.

VASCONIAM Aquitanicam Garumnâ fluuio, Pyrenęis montibus, Oceano & Burdegalenſi Seneſchallia ſiue Pręfecturâ definiuit non malè, meâ quidem ſententiâ, Paulus Merula parte 2. Coſmog. lib. 3. cap. 38. licet multò latiores fines ei tribuat Notitia Epiſcopatuum, veteri membranâ, quę penes me eſt, ex libris Cancellarię Romanę, vt videtur deſcripta: Aquitanię enim ſecundę, *Vaſconiæ* nomenclaturam tribuit: tertiam verò, quam hoc loco deſcribimus, *Vaſconiam Curtam* nuncupat. Quinetiam Caroli Martelli & Pipini Regis ętate, vniuerſam Aquitaniam, *Vaſconiæ* quoque nomine comprehenſam fuiſſe, colligi videtur ex antiquis Annalium Francicorum ſcriptoribus, dum *Eudonis*, *Hunaldi* & *Vuaifarij* Ducum Principatum promiſcuè, modò *Aquitaniam*, modò *Vaſconiam* vocitant. Fredegarius cap. 96. Chronici de Ebroino eiuſque tyrannicis facinoribus verba faciens. *Sanctium*, inquit, *Leudegarium Epiſcopum crudeliſſimis tormentis, cæſum gladio perimi iuſſit Girenum germanum eius diuerſo tormento trucidauit. Reliqui viri Franci, eorum ſocij per fugam lapſi, Ligerim tranſgreſſi vſque Vaſcones confugerunt.* Idem cap. 107. *Chilpericus itaque & Raganfredus legationem ad Eudonem Ducem dirigunt, eius auxilium poſtulantes rogant, Regnum & munera*

tradunt : illi quoque hoſte Vuaſconorum *commoto ad eos venientes pariter aduerſus Carolum perrexerunt.* Idem cap. 110. *Interea rebellantibus* Vaſconibus *in regione Aquitaniæ cum Chunoaldo Duce filio Eudone quondam Carlomannus atque Pipinus Principes germani congregato exercitu, Ligeris alueum Aurelianis vrbe tranſeunt Romanos poterunt, ſuburbana ipſius igne comburunt, Chunoaldum Ducem perſequentes fugant.* Et infrà. *Inde reuerſi prædicti Germani ſequente anno prouocato cothurno* Vuaſconorum, *iterum vſque ad Ligerim fluuium pariter adunati venerunt, quod videntes* Vuaſcones *præoccupauerunt pacem petentes & voluntatem Pipini in omnibus exequentes muneratum eum à finibus ſuis vt rediret precibus obtinuerunt.* Idem Fredegarius in ſupplemento illius Chronici. *Dum hæc ageret, nuntius veniens ad præfatum Regem ex partibus Burgundiæ, quod germanus ipſius Regis nomine Gripho qui dudum in* Vuaſconiam *ad Vuaifarium Principem confugium fecerat &c.* Auctor Annalium Breuium vetuſtorum, ab anno 707 vſque ad annum 790, à Frehero editus. *Anno* DCCXXXV *Karlus inuaſit Vuaſconiam.* Per Vuaſconiam autem hic *Aquitaniam primam & ſecundam* deſignari, non autem *Gaſconiam*, ſeu *Nouempopulaniam*, ex Fredegario patet, qui cap. 109. Chronici hanc Caroli Martelli expeditionem his verbis exponit. *Illis quippe diebus Eudo Dux mortuus eſt. Hæc audiens præfatus Princeps Carolus, inito conſilio Procerum ſuorum denuò Ligerim fluuium tranſiit vſque Garumnam vel vrbem Burdegalenſem, vel caſtrum Blauium, veniens occupauit, illamque regionem cepit ac ſubiugauit cum vrbibus ac ſuburbano caſtrorum victor cum pace remeauit.* Idem auctor ad annum 761. *Pipinus Rex fuit in Vuaſconia cum exercitu vſque ad Limodiam ciuitatem:* Per Limodiam autem hic *Lemouices*

intellige, vulgò *Limodies.* Idem auctor ad annum 766. *Rex Pipinus erat cum Francis in Vuaſconia & conquiſiuit Limodiam ciuitatem & alias ciuitates.* Vetus Scriptor aliorum Annalium, ab anno 708 ad annum 800, Ducheſnij operâ nuper excuſus. *Anno* DCCXXXI *quando Karolus fuit in Vuaſconia contra Eudonem & Ragenfridus mortuus eſt.* Idem Scriptor ad annum DCCXLII. *Karlomannus perrexit in Vuaſconiam.* Idem ad annum DCCLX. *Quando domnus Pipinus Rex fuit in Vuaſconia contra Vuaifarium* DCCLXII. *iterum domnus Pipinus cum dilectis filiis ſuis Karlo & Karlomanno perrexit in Vuaſconiam & adquiſiuit ciuitatem Bituricas.* Ad annum DCCLXVII. *Iterum domnus Pipinus fuit in Vuaſconia in menſe Martio, & conquiſiuit Lemouicas ciuitatem.*

IPSE nihilominus *Vaſconiæ* nomen ei regioni, quæ citra Garumnam ad Ligerim tendit, parum competere exiſtimo: cum ex iis authoribus liqueat, proprias Vaſconum ſedes, Caroli Martelli & Pipini æuo, vltra Garnmnam extitiſſe. Fredegarius ad annum 766. *Vuaifarius cum exercitu magno & plurimorum Vuaſconorum qui vltra Garonam commorantur, qui antiquitùs vocati ſunt Vaccei ſuper prædictum Regem venit.* Idem ad annum 767. *Prædictus Rex Pipinus vſque ad Garonam acceſſit vbi* VVASCONES QVI VLTRA GARONAM *commorantur ad eius præſentiam venerunt &c.* Auctor veterum Annalium qui ab anno 708 ad annum 800 conſcripti ſunt. DCCLXIX *eodem anno domnus Karolus Rex primâ vice, poſtquam cœpit regnare, fuit in* VVASCONIA VLTRA FLVMEN GARONNAM. Ideo autem reliquæ Aquitaniæ, *Vaſconiæ* nomenclaturam ab iis auctoribus additam credo, quia Duces illius, Francico bello impliciti, quod Vaſconum virtuti maximè confiderent ex eâ

gente præſidia in præcipuis totius Aquitaniæ oppidis conſtituerunt: Comites etiam ex eiuſdem Proceribus electos iis præfecerunt, quemadmodum ex ſubiectis Fredegarij locis planum fit. Fredegarius ad annum 761 de Claromonte Aruernorum oppido à Ducibus Pipini capto & incenſo agens. *Blandinum*, inquit, *Comitem ipſius vrbis Aruernicæ captum atque ligatum ad præſentiam Regis adduxerunt & multi Vuaſcones in eo prælio capti atque intefecti ſunt.* Idem Author ad annum 762 in narratione expugnatæ à Pipino Biturigum ciuitatis, *Vnibertum Comitem & reliquos Vaſcones quos ibidem inuenit ſacramentis datis ſecum adduxit, vxores eorum ac liberos in Franciam ambulare præcepit, muros ipſius Bituricæ ciuitatis reſtaurare iubet.* Et paulò poſt de incendio Toarcij à Pipino facto loquutus, hæc ſubdit, *Vuaſcones, quos ibidem inuenit, vnà cum ipſo Comite ſecum duxit in Franciam.* Eodem capite: *Hic Mancio, vnà cum multitudine gentis Vuaſconorum ſuper eos irruit fortiter inter ſe dimicantes. Prædictus Galemanius & Auſtraldus ibidem Mancionem & vniuerſos pares ſuos Deo adiuuante interficiunt. Hæc cernentes Vuaſcones terga vertunt omnes equites quos ibidem adduxerunt, amiſerunt &c.* Addit mox, *Dum hu & aliis modis Franci & Vuaſcones inter ſe altercarent Chilpingus Comes Aruernorum collecto vndique exercitu in pago Lugdunenſi in Regno Burgundiæ ad præliandum ambulare nitebatur &c. Statim Chilpingus Comes in eo prælio à ſupraſcriptis Comitibus occiſus eſt, & multi qui cum eo venerant ibidem interfecti ſunt. Hæc videntes Vaſcones terga vertunt &c.*

CVM Gaſcones, qui Garumnam accolunt, peſſundatis per Pipinum Vaifarij rebus, in verba Pipini anno 766 & 767 iuraſſe narret Fredegarius: Poſt mortem etiam

Vuaifarij, Hunaldum Aquitaniæ Principatum affectantem, defectionem Vuaſconum iuxta atque Aquitanorum contra Carolum Magnum ſollicitaſſe affirment, qui res geſtas Caroli ſcripſerunt, mihi veriſimillimum fit, ipſos Vuaifarij & ſuperiorum Aquitaniæ Ducum dominatum pertuliſſe, neque alicuius præterea Ducis aut Comitis imperio obnoxios fuiſſe: Authores autem illos qui circa eadem tempora *Lupum, Vuaſconum Ducem* ſtatuunt, de aliis Vaſconibus, qui procul à Garumna Pyrenaicam regionem habitabant, intelligendos eſſe. Illos denique in errore verſari certum eſt, qui *Lupum Centulli*, cuius Authores vitæ & Annalium Ludouici Pij, ad annum 819 meminere, Vuaſconum Ducem fuiſſe exiſtimant: cum iidem authores, de hoc *Lupo* ex profeſſo verba facientes, Comitis aut Ducis appellatione prorſus abſtineant: atque ipſum non publicam perſonam, Ducis munus ſuſtinentem, ſed priuatum quempiam nobilem fuiſſe ſignificare videatur vox, *quidam*, gentili nomini *Vaſco*, in iis Annalibus adiecta. Solus Sigibertus, qui pluribus ſæculis à Ludouici Pij ætate ſcripſit, *Lupum* hunc *Vaſconum* non *Ducem*, ſed *Regem* nuncupat: cuius in eâ re teſtimonium apud neminem, quod ſciam, hactenus authoritatem habuit. Noſtra autem ſententia ex eo etiam confirmatur, quod conſecutis temporibus Vuaſcones, non Regibus ſolum Aquitaniæ, ſed Comitibus etiam Burdegalenſibus, quibus prouincia Nouempopulania à Regibus delegata fuerat, dicto audientes fuiſſe conſtat. *Siguinum* enim Burdegalenſem & Sanctonenſem Comitem, qui anno 846 à Normanis interfectus eſt, teſte Ademaro Chabanenſi Annalium Francicorum ſcriptore vetuſto manuſcripto, *Vaſconibus* etiam titulo Comitis præfuiſſe, ex Lupi Fer-

rienſis Abbatis epiſtol. 31. colligitur. Erant tamen in variis illius prouinciæ ditionibus & pagis conſtituti alij *minores Comites*, qui Burdegalenſem vt ſuperiorem obſeruabant: in illorum numero fuerunt Comites *Fidentiacenſes, Comuenenſes, Bigorrenſes*, & alij de quibus ſigillatim deinceps agendum erit.

IAM de moribus Gaſconum hoc habeo dicere, nobiles quidem reliquorum Vaſconum indolem atque ingenium magnâ ex parte referre: Vulgi verò viuendi rationem à cultu, humanitate & hilaritate, quæ in plebe Vaſcitanâ maximè emicant, multum recedere. Sed placet, de moribus Gaſconum, teſtimonium & iudicium indigenæ viri, Antonij Montgaillardi Societatis Ieſu Sacerdotis, huic loco attexere: ſic itaque ille in commentario, nondum vulgato, quod de rebus Gaſconicis ſcripſit: *Sunt Vaſcones plerique omnes ingenio acuto, acri, vario, mobili, elato, arroganti, vano, audace, prompto, benigno, liberali, cupidi honoris & opum, vt munificentiam oſtentare queant, & hæc quidem ferè à naturâ, quam ſi tantiſper excolueris facilè à prauo ad rectum deflectes.* Cęterum ea quæ Belleforeſtus in Coſmographiâ & Paul. Merula parte 2. lib. 3. cap. 38. narrant, de eo genere hominum qui Vaſconibus *Cagoti*, nonnullis *Capoti*, Burdegalenſibus *Gaheti*, Vaſcis & Nauarris *Agoti* dicuntur, *ipſos pro leprâ infectis haberi alioſque inficere: in facie & actionibus eorum apparere aliquid, quod eos contemptui, deteſtationique reddat obnoxios, omnibuſque halitum & os graue olere.* Ipſe vera præſtare nolim: vereor enim ne præiudicatis vulgi opinionibus, potius quam certis experimentis, horum fides conſtet. Non abnuerim tamen, illos publico contemptu laborare, & adeò, etiam in propriâ natali humo, peregrinorũ loco haberi,

vt neque ad reipublicæ munera vel honores ipſis aditus pateat, neque rebus inter eiuſdem vici aut pagi incolas promiſcuis vſquequaque vti concedatur. Connubio autem & communi victu cum noſtris non tantum iis interdicitur, ſed inſuper decreto Curiæ Burdigalenſis, in publicum prodire, præterquam calceati & prætexto veſti, perſpicuè, panni rubri ſegmento, interpoſitâ verberum pœnâ, prohibentur. In pleriſque municipiis ſemota à vulgo domicilia, in templis quoque ſegregatas ſtationes, & peculiares aquæ luſtralis hydrias aſſignatas habent. Itaque ſordidis & illiberalibus artibus dediti, vilem & abiectam vitam ducunt: *Chriſtianorum* olim nomine nuncupatos fuiſſe, è compluribus vetuſtis monumentis liquet: neque hactenus apud nos ea nomenclatura obſoleuit: ipſi viciſſim noſtros *pellutos*, hoc eſt, piloſos vel comatos vocant: vnde à nonnullis non ineptè coniicitur, eos Gothorum, qui olim Aquitaniam habuere, reliquias eſſe: & tam graue in Vaſconibus, horum vilium capitum, faſtidium, à veteri iſtius gentis in Gothos, perpetuos ſui nominis hoſtes, odio natum. *Chriſtianorum* etiam appellationem, ab eâdem gente, nondum Chriſtianâ religione imbutâ, Gothis impoſitum, in hac Gothorum veluti fæce, ad noſtram memoriam integram remanſiſſe: *pelluti*, demum, ſiue comati nominis rationem, ad priſcum Aquitanorum comam alendi morem referendam eſſe. Supereſt vt de veteribus Gaſconum Ducibus aliquid dicamus.

GENIALIS Dux à Theudeberto & Theudorico Vuaſconibus à ſe deuictis præpoſitus, circa annum Chriſti 607, fœliciter illam gentem rexit, teſte Fredegario cap. 21. Chronici.

AIGHINANEM circa annum 627 eiuſdem gentis Du-

cem fuiſſe; videtur colligi ex eodem Fredegarij opere cap. 34.

AINANDVS anno 15. Regni Dagoberti, huius nominis primi, Chriſti verò 637 Vaſconum Dux, teſte eodem Fredegario cap. 78.

EVDO, Hunaldus atque Vuaifarius viciſſim tam Vaſconum, quàm Aquitanorum Duces extiterunt, ad annum vſque 768. quo tandem Vuaifarius, cum Pipino Rege bellum gerens, in pago Petragorico à ſuis interfectus eſt, eiuſque morte vterque Principatus, Aquitanorum & Vaſconum, in Pipini ditionem venit.

SIGVINVS anno 778 à Carolo Magno Comes datus Burdigalenſibus, quem etiam Vaſconibus præfuiſſe opinione auguramur.

SIGVINVS 2. Dux Vaſconum & Comes Burdegalenſis ac Sanctonenſis, cum Normannis pedeſtri prœlio inter Burdegalam & Sanctones congreſſus, ab hoſtibus victus & captus interficitur, anno Chriſti 846. vt docent Lupus Abbas Ferrarienſis epiſt. 31. ad Guenilonem, & Ademarus Chabanenſis in Annal. Francic.

ALTERIVS Vaſconum Ducis nomine *Totili* memoriam excitauit, neſcio an è monumentis Eccleſiæ Bigorrenſis, an aliunde, Nicolaus Bertrandus lib. de geſtis Toloſanorum, cuius Scriptoris teſtimonio atque authoritati ſi quid in hac parte tribuendum eſt, ad annum 841 vel 842, ea quæ ibi de vaſtatione Vaſconiæ à Danis factâ, Totilo Duce narrantur, referri poſſe videntur, ex argumento Eclipſis, quæ illam vaſtationẽ præceſſit, nec non indictionis ab eo authore aſcriptæ, cuius verba ſunt. *Dux interea potentiſſimus extitit* Vaſconiæ *nomine* Totilus, *qui ſuper vniuerſam* Vacceorum *gentem, non exiguo tempore ſtrenuiſsimè tenuit Principatum, anno autem ſui Ducatus*

Ducatus 28. Indictione 4. 5. Nonas Maias Sol Eclipſim paſſus, mox futuras eſſe pronunciauit commotiones Regnorum & diſperſiones gentium. Eo tempore Vaſconiæ rura conculcata & exterminata fuerunt. Et paulò poſt, *Huius ſiquidem terræ habitatores (ſicut ſæpius experimento didicimus) eo in tempore ſemper incircunciſis cordibus & auribus permanentes diuinamque legem & Dei timorem à ſe abiicientes more agreſti ferarum beſtiali mente vitam ſuam tranſire omni tempore ſtuduerunt: quorum merita Altiſſimus digna examinatione diſcutiens & inde præmium reddere curans; iam dictos Barbaros ad ſubiiciendam illorum veſaniam & refrenandam impietatis audaciam apud eos direxit.* Pluribus exinde rem geſtam proſequitur, quorum ſumma eſt: Danos tentatâ fruſtra Burdigalâ, *Vaſconiam* irrupiſſe, illiuſque præcipua oppida, *Vaſates, Sotiam, Lactoram, Aquas, Tarbam, Bigorram, Laburdim, Oloronem* & *Laſcurrim*, ea irruptione à Barbarâ gente euerſa & incenſa fuiſſe: *Totilum* Ducem Vaſconum copias duplici prœlio à Danis fuſás cum collegiſſet, Barbaros ab illâ regione decedentes conſectatum, cæde ingéti confeciſſe. Ad extremum his verbis narrationem concludit. *Fuit autem iſta deſolatio Vaſconiæ temporibus præfati Totili & Taurini Auxienſis & Seraldi* (legendum forſan Giraldi) *egregij Præſulis Bigorritanæ vrbis.* Porrò anno 840 menſe Maio inſignem Eclipſim contigiſſe obſeruat Author Annalium Fuldenſium, Indictionem verò 4. in menſem Septembrem proximè conſecutum incidiſſe certum eſt. Itaque Eclipſis & Indictionis ratio, ab Authore illius monumenti, quod ſecutus eſt Bertrandus, annotata, etſi non prorſus Eclipſi atque Indictioni anni 840 conſentanea, parum tamen ab vtraque aberrat. Præterea hanc *Vaſconiæ* vaſtationem, circa ea tem-

pora accidiſſe, confirmat vetus membrana Eccleſiæ Condomienſis his verbis. *Poſt mortem enim Ludouici Pij eius inter ſe diſsidentibus filiis & inteſtinâ clade certantibus gentes perfidæ & cultibus adhuc dæmonum irretitæ* Danorum *videlicet* Normannorum *atque* Vnorum,*occaſione accepta, ſuæ clauſtra habitationis irruperunt, & per interualla temporum ſibimet ſuccedentes nonnullas Galliæ prouincias inuaſerunt cædibus & rapinis ferro & flammis vniuerſa vaſtantes. Porrò Normannorum perfidiam tanto amplius experti ſunt Aquitani & Gaſcones, quantò ſemper Deum ad iracundiam prouocarunt peccantes. Nam vrbes eorum potentiſsimæ tunc deſolatæ ſunt, oppida ſubuerſa ſunt, loca populoſa ad heremum redacta ſunt & habitacula Deo ſacrata iuxta illud Pſalmiſtæ: In pomorum cuſtodiam poſita ſunt. Eodem tempore quo hæc mala ſunt perpetrata Deo permittente Cœnobium iſtud igne ſuccenſum magnâque ex parte eſt dirutum &c.*

Huc etiam pertinere videntur verba illa quæ de Aquitaniâ Inferiori habentur in Chronico de Geſtis Norman. ab anno 833. ad annum 896 nuper à Ducheſnio edito. *Anno Domini* DCCCXLIII *Nortmãni vrbem Namnetum aggreſsi interfectis Epiſcopo & multos Clericorum atque laicorum ſexus promiſcui, deprædata ciuitate, Inferioris Aquitaniæ partes adoriuntur.*

GVILLELMVS Dux Burdigalenſium & Vaſconum Siguino ſucceſſit, quem anno 848. à Normannis, occupatâ noctu ex improuiſo Burdigalenſi ciuitate, captum fuiſſe, author eſt ſcriptor Anonymus Chronici Fontanellenſis, ſiue ſancti VVandreſigilli. Poſt Guillelmum captum, *Gaſcones*, ſeu Francorum Ducum, dominatus pertæſi, ſeu eorum auxilium parum efficax experti aduerſus Normannos, per id tempus Regionem

infeſtantes, proprium Ducem, vel Principem ipſi, ſuo arbitratu ſibi aſciuerunt.

De Sanctio citerioris Vaſconiæ Comite à Gaſconibus in Principem ſeu Ducem electo, déque Mitarræ cognomento illi in quibuſdam monumentis tributo, & de ipſius poſteris, ac in eo Principatu ſucceſſoribus.

CAPVT VI.

SANCTIVM Comitem anno 851 Gaſconiæ imperaſſe innuit D. Eulogius epiſt. ad VVilleſindum Pompelonenſem Epiſcopum, eo ipſo anno ſcriptâ, his verbis. *Ipſa iterum, quæ Pampilonem & Seburicos limitat, Gallia Comata, in excidium prædicti Caroli* (de Carolo Caluo Rege loquitur) *contumaciores ceruices, factionibus Comitis Sanctij-Sanctionis, erigens, contra ius præfati Principis veniens, totum illud obſidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat.* Quod inſuper teſtimonio Authoris libri, de tranſlatione reliquiarum ſanctæ Fauſtæ à territorio Fidentiaco ad Solemniacenſe Monaſterium (cuius excerpta nuper ex MS. Codice Eccleſiæ Lemouicenſis edidit And. Ducheſnius) confirmatur: Hæc enim narrat ad annum 864. *Eo tempore apud Gaſcones, quibus montes Pyrenæi vicini ſunt, Ducatus apicem* Arnaldus *vir illuſter obtinebat: Hic etenim filius cuiuſdam Comitis Petragoricenſis vocabulo* Ymonis *fuerat, & auunculo ſuo* Sanctioni, *qui eiuſdem gentis Dux fuerat, in Principatum ſucceſſerat.* Cum autem Sanctium, iam ante, Vaſconiæ Citerioris Comitatum, inuito Pipino Aquitaniæ Rege, occupaſſe ſuperiori libro in ſtemmate Comitum Aragoniæ docuerimus, & Carolo quoque Caluo rebellem fuiſſe, ex Eulogij verbis mox recitatis appareat: conſequens eſt, vt eum *Gaſconiæ* prouinciam, non tam nutu

Caroli, quàm ſuffragio populi conſecutum fuiſſe dicamus: idque etiam proximis verbis vetuſti monumenti, è Carthulariis tam Auſcenſis, quàm Laſcurrenſis Eccleſiæ deprompti, enunciatum reperitur. *Priſcis temporibus cum Gaſconia eſſet orbata Conſulibus & Francigenæ timentes perfidiam Vaſconiæ militum, Conſules de Franciâ adductos interficere ſolitorum, Conſulatum reſpuerent, maxima pars nobilium virorum Gaſconiæ, Hiſpaniam ad Conſulem Caſtellæ agreſſi ſunt, poſtulantes vt vnum de filiis quos habebat eis in Dominum daret. Hic autem quamuis auditâ perfidiâ eorum ſibi & filiis timeret, ſi quis ex illis venire vellet, conceſſit: Tandem Sancius Mitarra, minimus filiorum, cum illis viris Gaſconiam venit, ibique Conſul effectus, filium qui ſimiliter Mitarra Sanctius vocatus eſt, habuit: Hic autem genuit Garſiam Sanctium Curui qui tres habuit filios &c.* Longo interuallo, ineunte nimirum XII ſeculo, iam penè obliteratâ rei geſtæ memoriâ, hoc monumentum contextum fuit. Itaque minimè mirum ſi maculis aliquot aſperſum compareat, quarum duæ maximè ſunt conſpicuæ: Prima, quòd nobiles Gaſcones, crebro vſurpati, interficiendorum Comitum Regiorum, flagitij inſimulat: Nam id falſum eſſe vel inde conuincitur, quod duo poſtremi Comites ſeu Duces Franci, qui in adminiſtratione Gaſconiæ, Sancium proximè anteceſſerũt, non à Gaſconibus, ſed à Normannis euerſi ac profligati fuere: Altera verò in eo conſiſtit, quod Sanctium Comitem à Gaſconibus electum, *Caſtellæ Comitis* filium fuiſſe, tacito Comitis nomine, narrat Author illius monumenti: neque enim id quoque aliquam veri ſimilitudinem præ ſe fert. *Caſtellæ Comitum*, ante *Ferdinandũ, Gundiſſalui filium*, obſcurum nomen, ac tenues facultates fuere: Nam nec vllis


magnis rebus geſtis celebrabantur, neque amplâ ditione pollebant. Legionenſium quippe Regum clientes, & anguſtæ regionis fiduciarij poſſeſſores erant. Primus *Ferdinandus Gundiſſalui*, labefactatâ in illo tractu Regum potentiâ, propagatis etiam, Maurico bello, patriæ finibus, ſummam apud ſuos authoritatem adeptus, magni Principis famam & exiſtimationem collegit. Annus Chriſti 904 eius dominatus initium fuit. Eâ tempeſtate *Garſias* cognomento *Curuus*, *Sanctij 2. filius*, Gaſconiæ Principatum tenebat, qui ſi (prout ſenſit Author illius monumenti) *Sanctij prioris* nepos fuit, electionem huius *Sanctij* à *Gaſconibus* factam, ad tempora auorum *Ferdinandi Gundiſſalui*, incidere neceſſe eſt. At quis credat, *Gaſcones*, magni & elati animi gentem, denegato Francorum Regibus debito obſequio, ad longinquum, alienigenam & viribus infirmum Satrapam, *Caſtellæ Comitem* præſidij gratiâ confugiſſe, & in eius filij natu minoris fidem & clientelam ſe contuliſſe? Adhæc nominis ratio (quam in vetuſtis familiis dignoſcendis permagni momenti eſſe, nemo niſi antiquitatis expers negauerit) *Sanctium* in familiam Caſtellæ Comitum inſeri minimè patitur: quando in eâ, *Sanctij* appellatio, prorſus inſolens atque inaudita fuit, ad *Ferdinandi* vſque *Gundiſſalui* poſteros: Cuius vxor *Sanctia*, Pompelonenſium Regum genere nata, paternum *Sanctij*, & fraternum *Garſiæ* nomen, in mariti domum intulit: atque hoc filio natu maiori, illud verò nepoti imponi curauit. Denique cum ex Authore vetuſto Chronici ſancti Arnulphi Metenſis liqueat, *Sanctium* iſtum, de quo nobis hic ſermo inſtitutus eſt, *Aznarij* Vaſconiæ Citerioris in Aquitaniâ Comitis fratrem & ſucceſſorem fuiſſe, fruſtra laborant, qui *Sanctij* natale ſolum alibi quam in Vaſ-

coniâ Aquitanicâ quærunt. De morte Sanctij nihil habeo explorati, niſi quod ipſum paulò poſt annum 851, à *Muza Abenkazi* Cæſarauguſtæ, Oſcæ atque Tutelæ Tyranno bello, in gratiam Caroli Calui Regis, vt coniicio, laceſſitum, & cum alio Francorum magno Duce nomine *Eprenione* à Muza fraude interceptum, in vincula coniectum fuiſſe author eſt Sebaſtianus Salmanticenſis Epiſcopus, in Vitâ Ordonij 1. Legionenſis Regis. Hunc Sanctij caſum in annum 852. confert Lud. Marmol. lib. 2. cap. 24. Hiſt. Afric. Quis autem fuerit magnus ille Dux Francorum *Eprenio*, clam me eſt: niſi fortè corruptè vocem *Eprenionis*, eo loco, legi pro *Emenone* credere placet. *Emeno* quippe ſiue *Imino* (vtroque enim modo ſcribitur hoc nomen apud vetuſtos Scriptores) Princeps Aquitanicus fuit, qui poſt *Pipini Aquitaniæ Regis* mortem, ipſius filium *Pipinum*, Regnum illud affectantem, contra Ludouicum Pium & Carolum Caluum auxilio iuuit. Erat is frater *Turpini* Engoliſmenſis Comitis, idemque *Comes Petragoricenſis*, quemadmodum ex Ademaro Chabanenſi & authore Chronici manuſcripti Comitum Engoliſmenſum colligitur: vnde coniectura eſt, hunc ipſum eſſe, quem *Imonem Petragoricenſem Comitem*, Author ille narrationis Tranſlationis reliquiarum beatæ Fauſtæ ſupra à nobis citatus, vocat, cuiuſque filium Arnaldum Sanctio auunculo in Principatu Gaſconiæ ſucceſſiſſe teſtatur, vt inde Sanctij ſororem in matrimonio habuiſſe *Imonem* ſeu *Iminonem*, ideoque vtrumque illorum *Sanctium* & *Iminonem* ſeu *Emenonem*, affinitatis vinculo iunctos, commune bellum contra Muzam geſſiſſe intelligamus.

MITARRÆ cognomen ſiue *Metarræ*, vt in quibuſdam monumentis legitur, ideò forſan Sanctio attribu-

tum fuit, quia antequam ad Gaſconiæ Principatum euocatus eſſet, montanam regionem incolebat. (Ea enim vox, Vaſconicâ linguâ, montanum ſeu montium incolam ſignificat:) Quomodo *Pelagium* Aſturum Regem & *Theobaldum* Grimoaldi filium, eâdem de causâ, *Monteſinos*, Hiſpanicè, hoc eſt, montanos vel montium incolas dictos fuiſſe, docuit nos Amboſius Morales lib. 13. cap. 4. & 16. Chronici Hiſpaniæ. Falſus eſt etiam Author illius monumenti Auſcenſis & Laſcurrenſis Eccleſiæ, in eo quod *Sanctio* 1. poximè in Gaſconiæ dynaſtiâ ſucceſſiſſe *Sanctium* 2. *ipſius filium* affirmat: Nam inter vtrumque, *Arnaldum*, Sanctij prioris ſororis filium, illius regionis dominatum occupaſſe, ab eodem authore narrationis Tranſlationis reliquiarum beatæ Fauſtæ diſcimus. Arnaldi etiam Vaſconum Principis meminit Gaufredus Prior Voſienſis, in hiſtoriâ ſui temporis, nondum typis editâ, & ab hoc fortaſſis nummi illi veteres, ſolidi *Arnaldenſes*, in nonnullis antiquis Gaſconiæ monumentis dicti, nomen & originem habuere. Vixiſſe *Arnaldum* ad annum 864, Author narrationis illius monet. Cui, non ita multò poſt, mortuo ſucceſſit *Sanctius* 2. *Garſiæ-Enneconis Pompelonenſis Regis*, niſi me animus fallit, filius natu minor, *Sanctij* prioris, non quidem filius, vt voluit author illius monumenti, ſed fortè ex filiâ nepos, aut ſaltem propinquus: ſiquidem *Vrracam* Garſiæ Regis vxorem, & Sanctij iſtius poſterioris matrem, *Aznarij* primi Aragonum Comitis, *Sanctij prioris* fratris, genere ortam fuiſſe, conuenit inter omnes ferè Nauarricæ atque Aragonicæ hiſtoriæ ſcriptores: *Galindi* quoque Aragoniæ Comitis filiam, *Aznarij* neptem, in eiuſdem Sanctij coniugio fuiſſe, aliàs oſtendimus. Enimuerò *Sanctium* hunc 2.

eius nominis, Gaſconiæ Ducem , haud alium fuiſſe à *Sanctio., Garſiæ Eneconis* Pompelonenſis Regis filio natu minore , non ſolum probant *Garſiæ* & *Sanctij* nomina , in illius Ducis poſteris & gente , perpetuâ ſerie continuata : ſed etiam confirmant Nauarri ſcriptores , dum *Sanctium-Garſiæ*, primum huius nominis, Pompelonenſem Regem , tranſmiſſo Pyrenæo Aquitaniam petiiſſe; ibiq; *Vaſcones* in ſuam ditionem coëgiſſe cõmemorant. Author Chronici manuſcripti, cui titulus, *Relacion de la deſcendencia de los Reyes de Nauarra* , in Sanctij Regis vitâ. *Y deſpues paſſo los puertos por reducir à ſu obediencia ciertos Señorios de Guiana* : Garibayus quoque lib. 21. Compendij Hiſtorici cap. XI. *Sanctium-Garſiam* Regem, ſcribit, *Gaſcones* clientelam profiteri & in ſua verba iurare coëgiſſe. Superioribus accedit argumentum ſymbolicorum inſignium , quæ formâ hîc depicta, à Pompelonenſibus quondã Regibus diplomatibus ſuis adſcribi ſolita , Gaſconiæ ſimiliter Comitibus ſeu Ducibus vſurpata fuiſſe, in vetuſtis tam lapidibus, quàm tabulis obſeruauimus.



MITARRÆ pariter cognomen huic Sanctio , ab authore illius monumenti , additum , æquè Sanctio I. Pompelonenſi Regi competit , quippe illum montanorum quoque , ſiue mõtanæ regionis Regem ſe inſcripſiſſe ſuperiori libro fuit demonſtratum. Huiuſmodi autem nomenclaturæ aſſumptæ ea cauſa fuit, quod ipſe primùm, expugnato caſtro ſancti Stephani munitiſſimo, montanam regionem illi ſubiectam Mauris eripuit & Pompelonenſi Regno coniunxit. Poſt aliquot annos, cum *Fortunius* , Sanctij frater natu maior , ſe Pompelonenſi Regno abdicaſſet, Sanctius à Nauarræ proceribus

Rex

Rex deſignatus illam regionem repetiit, & Pompelonenſe oppidum, cui Mauri imminebant, aduentu ſuo obſidione liberauit: qua de re ſic Lucas Tudenſis in Chronico Hiſpaniæ. *Rex Sanctius cuius cognomen Auarca, cum Sarraceni tempore hyemali vrbem Pampilonam debellarent & ipſe eſſet in Pyrenæis montibus vltra Alpes Roſcidæ vallis & ingens nix clauderet portum, fecit ſibi & ſuis militibus de coriis crudis & ligneis viminibus ruſticorum more calciamenta, quæ vulgariter auarcas & baraiones vocant, & nocte Alpes Roſcidæ vallis per niues tranſiit & illuceſcente die Agarenos iaculis & gladiis in tantum fortiter inuaſit, vt perpauci Sarracenorum euaderent, qui ſuis facta prælij nunciarent.* Dum autem ad Regnum capeſſendum *Gaſconiâ* proficiſcitur *Sanctius*, Principatum iſtum *Garſiæ filio* natu minori, cognomento *Curuo*, reliquit, qui ex vxore *Amunâ* tres filios procreauit, atque inter eos Principatum tripertitò diuiſit, quâ de re ſic Author illius monumenti Auſcenſis Eccleſiæ. *Hic autem genuit* (loquitur de Sanctio 2.) *Garſiam Sanctium Curui, qui tres habuit filios, per quos Vaſconiam diuiſit. Sanctio Garſiæ dedit maiorem Vaſconiam. VVilielmo Garſiæ Fidentiacum, Arnaldo Garſiæ Aſtaracum. Sanctius-Garſias genuit duos filios manſeres Sanctium-Sanctium & VVilielmum-Sanctium. VVilielmus-Sanctius genuit nobilem Ducem Gaſconiæ Sanctium & fratres & ſorores eius.* In hac narratione illud primum notandum occurrit, quod *Sanctio-Garſiæ, Garſiæ-Sanctij* filio natu maiori, *Maiorem Vaſconiam* à patre in diuiſione futuræ hæreditatis à ſe, inter liberos, factâ, tributam fuiſſe enunciatur. Comparatiuum enim *Maioris*, huic nomini *Vaſconiæ* adiectũ ſignificare videtur, fuiſſe id temporis aliam quoque *Vaſconiam* ſpatio & cognomento, *Minorem*. Vtriuſque fines

deſignare mihi certè arduum & difficile videtur, in tam obſtinato veterum Scriptorum hac de re ſilentio. Si tamen ea quæ de *Vaſcis* à Ludouico Pio annis 816. & 819 domitis, déque *Aznarij* Comitatu, ſupra dixi memoriâ repetantur, obſeruare liceat, tunc quoque Aquitanicam Vaſconiam bipartitò, in citeriorem videlicet, & vlteriorem diſtributam fuiſſe. Citerior (quæ forſan eadem fuit cum minori) *Vaſcitaniam* continebat, paulò ante à nobis deſcriptam, & neſcio annon etiam montanam regionem Principatus Bearnenſis, & Bigorrenſis Comitatus, ac partem aliquam Conuenenſis ditionis. Vlteriori aſcribebatur reſiduum Nouempopulaniæ, Garumnam vſque, & hanc duntaxat, *Sanctium-Garſiæ*, Pompelonenſi ſceptro aſſumpto, *Garſiæ Curuo* filio tradidiſſe exiſtimo: Citeriorem autem tanquam Regno ſuo, (cuius fines cõtingebat) opportunam recepiſſe; quando neque de illâ, neque de ditionibus eâ comprehenſis, in partitione *Gaſconiæ* à *Garſiâ Curuo*, inter liberos factâ vllum verbum extat. Contra verò habitæ quondam à Regibus Pompelonenſibus, in eâ regione, poteſtatis, nonnulla indicia, in priſcis monumentis, emicant: quale eſt illud, quod *Raymundus Bigorrenſis* Comes, in tabulis quibuſdam anno 945 exaratis, quæ conceſſi ab ipſo ſancti Sauini Monaſterij in Leuitaniâ fratribus, beneficij narrationem complectuntur, eas *Ludouico in Franciâ*, *Garſiâ* verò in *Aragoniâ* regnantibus, ſcriptas fuiſſe prædicat, nullâ Gaſconiæ Comitis vel Ducis habitâ mentione. Huc etiam pertinent clientelaris fidei atque officij nexus, quibus ſe Bigorrenſes Comites & Bearnenſes Vicecomites Pompelonenſibus ſeu Aragonenſibus Regibus obſtringebant. Neque alia, vt arbitror, cauſa fuit cur Petrus Rex Aragonenſis, apud Innocentium 3.

Pontificem maximum, in cauſam Bigorrenſis & Conuenenſis Comitum, nec non Vicecomitis Bearnenſis (qui in hæreſis crimen vocabantur) incumbens, ipſos vaſſallos ſuos eſſe prætexeret. In his tamen clientelaribus profeſſionibus, erga Pompelonenſes ſeu Aragonenſes Reges edendis, excipiebatur à Toparchis illis ius vel Regis Franciæ, vel Ducis Aquitaniæ, tanquam ſuperioris domini, vt ex proximo diplomate conſtat, quod Cartularium Comitum Bigorrenſium, Cameræ Rationum Pariſienſi commendatum, ſeruat.

IN *nomine Domini. Hoc eſt ſacramentum quod ego Sanctius Aragonenſium Rex facio tibi Centullo Bigorritano Comiti meo homini, videlicet vt ſim tibi fidelis, ita vt nec ego nec aliquis me conſentiente corpori tuo vel vitæ tuæ aliquod faciam detrimentum, & hoc abſque vllâ conditione in perpetuum. De honore verò quem hodie tenes, vel quem poſt hunc meo conſilio adquiſiturus es, vel quem ſine meo conſilio adquires, per quod ego honorem non perdam fidelitatem tibi tenebo: Si verò contigerit vt tu aliquid iniuſtum contra me facias, te per bis xl dies expectabo, ammonens per me & internuncios per hanc fidelitatem vt inde mihi vel ius & æquum facias, vel meum amorem adquiras: quod ſi potens & volens inde mihi vel ius & æquum non feceris, vel amorem meum non adquiſieris fidelitas honoris frangatur, corporis & vitæ fidelitas, vt ſuperius dictum eſt, teneatur his bis xl diebus peractis, quacumque horâ inde mihi vel ius & æquum feceris, vel amorem meum adquiſieris eandem fidelitatem quam ſuperius tibi promiſi tenebo, ſaluâ fidelitate Domini mei Ildefonſi & Guidonis Comitis Pictauenſis, & filij Guilhermi quibus ego iuraui vnde tu honorem non perdas volens rectum facere. Similiter iuro tibi Gaſtoni filio Centulli Comitis Bigorritani meo homini ſaluâ fidelitate*

Regis Ildefonſi & filij mei & patris tui & Guidonis Comitis Pictauenſis & filij eius Guilhermi quibus ego iuraui vnde tu honorem non perdas volens rectum facere, ſic Deus me adiuuet & hæc ſancta Euangelia & ſacræ reliquiæ. Signum Sanctij. ° ° *Signum Centulli Comitis.*

Certum eſt tamen VVilielmum Sanctium eiuſque liberos, qui in eo Principatu ipſi ſucceſſere, vtraque Vaſconiâ potitos fuiſſe: itaque non ſe *Gaſconiæ* modò, veluti eorum maiores, ſed *totius* vel *cunctæ Gaſconiæ* Comites ſeu Duces profitebantur: cuius facti ratio inde manare potuit, quod Citerior Vaſconia, *Vrracæ*, VVilielmi-Sanctij *vxori*, à patre *Garſiâ* Pompelonenſi Rege doti forſitan dicta fuerat: ideoque in omnibus ferè diplomatibus ipſius *VVilielmi*, *Vrracæ* vxoris nomen aſcribebatur. Sed quoniam in mentionem titulorum horum Principum incidimus, non ab re fuerit notaſſe, ipſos promiſcuè Principum, Ducum, Comitum ac Marchionum nomina aſſumpſiſſe: De tribus primis, tritum eſt ac celebratum in infinitis penè vetuſtis monumentis: at de poſtremo fidem facit antiquus lapis, in æde Cœnobij beatæ Quiteriæ, ſecus *Atyrenſem* ciuitatem, his literis inſcriptus. T.

III. IDVS NOVEMBRIS OBII
GVILELMVS COMES C....) AR
CHIO DVX GVASCONORVM
ET OBITVS GARSIE FRATR
IS EIVS COMITIS
AGENNENSIVM.

Iam ſtemma illorum Principum nobis explicandum reſtat, quod ſequenti ſchemate exequemur.

Garſias-Sanctij Curuus Comes Gaſconiæ: *Vxor* Amuna.

Sanctius-Garſiæ Comes Maioris Vaſconiæ.

VVilielmus-Garſiæ Comes Fidentiacenſis.

Arnaldus-Garſiæ Comes Aſtaracenſis.

De horum progenie ſeparatim agetur.

Sanctius-Sanctij Dux & Comes Gaſconiæ.

VVilielmus-Sanctij Dux totius Gaſconiæ & Comes Burdigalenſis: *Vxor* Vrraca Huius Ducis memoria extat ab anno 961 ad annum vſque 980.

Gombaudus Dux Gaſconiæ cum fratre VVilielmo: *Vxor* N quâ mortuâ fit Epiſcopus Agennenſis & Vaſatenſis.

Hugo Epiſcopus Ageanenſis.

Guilielmus Dux Gaſconiæ.

Garſias Comes Agenenſis.

Bernardus Dux Gaſconiæ & Comes Burdig. *Vxor* Berta.

Sanctius Dux Gaſconiæ & Comes Burdig.

Briſca: *Vxor* Guilielmi Aquitaniæ Ducis.

Garſenda nupta nobili Burgundo.

Tota.

Guilielmus ſeu Arnaldus.

Gauſbertus ſeu Bernardus.

Otho Dux Gaſconiæ & Comes Burdigal.

Sanctia: *Vxor* Berengarij Raimundi Comitis Barcinonenſis.

Alauſia: *Vxor* Alduini 2. Comitis Engoliſmenſis.

Belengerius Dux Gaſconiæ & Comes Burdigal.

SANCTIO Gaſconiæ Duce ac Burdegalenſi Comire, VVilielmi Sanctij filio, abſque maſculâ prole, circa annum 1030, extincto, ſucceſſit in Principatu Gaſconiæ *Sanctius Maior Pompelonenſis Rex.* Poſt cuius mortem *Belengerius* Sanctij Ducis, ſi rectè coniicio, ex filiâ *Sanctiâ* nepos, tam Gaſconiæ ditionem, quàm Burdegalenſem Comitatum tenuit. Huic ſucceſſit *Otho, Briſcæ,* Sanctij ſororis, filius: quo etiam ad annum 1039, in oppidi Mauzæi obſidione, interfecto, *Bernardus* cognomento *Tumas Palerius,* Armeniaci Comes, Gaſconiæ Comitatum aliquot annis geſſit. Poſtea tamen illius poſſeſſione cedere, *Gaufredi,* fratris Guilielmi Ducis

Aquitaniæ, armis coactus, breui ſe monaſticæ vitæ addixit, & Cœnobio *ſancti Montis* ad Aturrim amnem, à ſe conſtructo abdidit. Gaufredus cum paulò poſt, anno nẽpe 1058 fratri ſine liberis mortuo, in adminiſtratione Aquitaniæ ſucceſſiſſet, *Gaſconiam* illi prouinciæ adiecit.

Abſolutâ ſerie Principum, qui vniuerſæ Vaſconiæ Aquitanicæ dominati ſunt, ad ſingulares Comitum & Vicecomitum, qui ſub iis vel eorum ſucceſſoribus Aquitaniæ Ducibus, certis ciuitatibus aut pagis præfuerunt, familias deſcribendas (præmiſſis paucis de Comitibus Burdigal.) deſcendo: quibus Catalogum Pontificum, qui Eccleſias illius prouinciæ rexerunt, addere, ex vſu forſan hiſtoriæ, præſertim Eccleſiaſticæ, ſtudioſorum fuerit.

Series Comitum Burdigalenſium, cum Catalogo Archiepiſcoporum illius ciuitatis, & Epiſcoporum Condomienſium.

CAPVT VII.

BVRDEGALA, licet olim à Gaſconiâ diſtincta eſſet, & vnà cum circumiacente regione proprium Comitatum conſtitueret; quia tamen iam diu illi coniuncta fuit, ipſius pars eſſe creditur & eo nomine cenſetur ab iis qui Vaſconiam Aquitanicam Oceano, Garumnâ fluuio & Pyrenæis montibus circumſcribunt, in quorum numero eſt Ioſephus Scaliger. Eadem fortè ratione, ab Authore Chronici Fontanellenſis, ſub *Nouempopulaniâ* comprehenditur, eiuſque Caput ſtatuitur: quia, eo ſæculo, iidem Duces ac Præfecti vtramque Ditionem regebant, atque in eo oppido Ducum ac Comitum, domicilium erat. Populum illum, qui hunc tra-

ctum incolit *Bituriges Viuiſcos* dixere veteres, *Vbiſcos* legitur apud Plin. lib. 4. cap. 19, item apud Ptolemæum in editione Græcâ manuſcripta Bibliothecæ Regiæ οὐίσκους, *Vuiſcos*: apud Strabonem verò ἰόσκους, *Ioſcos*: Solam hanc gentem in Aquitania, aduenam & peregrinam eſſe monuit idem Strabo. Sarracenorum, in Hiſpaniâ atque in Galliâ Narbonenſi dominantium, ne hæc quidem prouincia expers fuit: A Zamâ quippe illorum Duce ac Præfecto *Vaſconias & Burdigaliam* ſubactas armis & in Ditionem redactas fuiſſe à Roderic. Toletan. cap. 12. Hiſtor. Arabum eſt proditum. Regnante Clothario 2. *Garacharium* Comitem illi ciuitati præfuiſſe author eſt Gregorius Turon. lib. 8. cap. 6: qui procul dubio cum eo, quem Fortunatus lib. 7. cap. 31. & lib. 10. cap. 22. Galactorium nuncupat, idem eſt. Poſteriorum autem Comitum ſeu Ducum nomina, qui à Caroli Magni tempore Burdigalenſem prouinciam adminiſtrarunt, quæ è vetuſtis libris aut monumentis eruere licuit, hæc ſunt.

SIGVINVS à Carolo Magno Burdegalenſis Comes inſtitutus anno 778: *Author vitæ Ludouici Pij.*

SIGVINVS 2. conſerto cum Normannis, inter Burdigalenſem & Sanctonenſem ciuitates, prœlio interfectus, anno 846. *Ademar. Chabanenſis.*

GVILLELMVS, qui anno 848, Burdigalenſi vrbe dolo capta atque oppreſſa, à Nortmannis comprehenſus fuit, teſte Authore Chronici Fontanellenſis. Iudæorum fraude ac proditione, hanc calamitatem illi ciuitati illatam fuiſſe, narratur Chronico de geſtis Normannorum in Francia, nuper inter Hiſtoriæ Francorum Scriptores edito, his verbis. *Anno Domini* DCCCXLVIII. *Northmanni Burdegalam Aquitaniæ Iudæis prodentibus captam,*

depopulatamque incendunt. Deinde Metullium vicum populantes incendio tradunt.

RAIMVNDVS Comes Burdegalenſis, vxor Endregotha.

GVILLELMVS 2. cognomento *Bonus*, Comes Burdigalenſis Raimundi filius. Hic *Monaſterium ſanctæ Crucis* Burdegalenſe inſtituit, vt è tabulis Inſtitutionis patet, quæ in Tabulario Regio illius ciuitatis extant, in quibus *Raimundi* patris & *Endregothæ* eius vxoris, *Aremburgis* quoque Guillelmi ipſius coniugis mentio fit. Huic ab hoſtibus capto & in carcerem miſſo, Guillelmus Sanctius Vaſconiæ Dux auxilio fuit, eumque è cuſtodia eripuit, vt monumentis quibuſdam Eccleſiæ Condomenſis teſtatum reperitur: Cuius beneficij præmium Duci, liberati Comitis hæreditas fuit. *Guillelmo* enim *Bono* vitâ functo, Guillelmum-Sanctij, Váſconiæ Ducem, Burdegalenſi Comitatu potitum fuiſſe ex Aymoino libro de vita ſancti Abbonis Abbatis Floriacenſis cap. 16. diſcimus. Poſt cuius mortem ipſius filij *Bernardus* & *Sanctius*: *Belengerius* pronepos & *Otho* nepos, eiuſdem Dynaſtiæ, ſuo quiſque ordine, poſſeſſionem adepti ſunt, vt quamplurimis vetuſtis monumentis conſtat.

Archiepiſcopi Burdegalenſes.

DIV agitatam, de Primatu Aquitaniæ, inter Archiepiſcopos Bituricenſem & Burdigalenſem, controuerſiam, factum eâ de re à Gregorio IX. Pontifice Maximo, 15. Calend. April. Pontificatus anno v, decretum aliquantum ſedauit; ſed tandem Clemens V., ex Burdegalenſi Antiſtite Pontifex Maximus factus, eam prorſus diremit; Cum Codicillis Lugduni 10. Calend. Decembris Pontificatus anno I. ſcriptis, Burdegalenſem, nulla

in re deinceps iuriſdictioni vel authoritati Bituricenſis obnoxium fore ſanxit.

Sanctus Gilbertus quem primum Archiepiſcopum Burdigalenſem fuiſſe ſenſit Gabriel Lurbeus, in Chronico Burdigalenſi, ad annum Chriſti 70.

Orientalis interfuit Concilio Arelatenſi anno 314.

Auſonius adfuit Concilio Treuerenſi teſte Demochari.

S. Delphinus.

S. Amandus, cum beato Martino ætate coniunctus, pietate inſignis, cum corruptos populi mores emendare fruſtra tentaſſet, enixis precibus à Deo Pontificij muneris abdicationem, alio idoneo ſubſtituto, deprecatus eſt: neque irritæ preces fuere, diuino quippe nutu eô appulit Beatus Seuerinus Archiepiſcopus Colonienſis, vir ſanctitatis eximiæ qui, non annuente ſolum, ſed vrgente etiam Amando, ipſi ſufficitur. Fuiſſe Amandum Burdegalenſis ciuitatis Comitem in quibuſdam monumentis Eccleſiæ B. Seuerini legitur.

Beatus Seuerinus, ſancto Amando ſuperſtite, Pontificium munus fœliciter geſſit. Burdigalenſes enim vitiis deditos, ad meliorem frugem reuocauit: tum demum Beatus Amandus voti compos factus, cum ipſo coniunctiſſimè vixit: *Ex vetuſtis monumentis Eccleſiæ Burdigalenſis.* Hic author fuiſſe creditur antiquiſſimi Monaſterij *ſancti Seuerini*, quod extra pomerium vrbis conditum fuit, conſtatque fuiſſe celebre tempore Ludouici Pij Regis, ex Chartulario Eccleſiæ ipſius: Occupatur iam à Canonicorum Collegio, cui præeſt Decanus.

Gallicinus, cuius meminit Sidonius Apollinaris lib. 8. epiſt. 11.

Amelius.

Cyprianus, qui Concilio Agathenſi ſubſcripſit.

Leontius 1. cuius epitaphium ſcripſit Fortunatus lib. 4. carmine 9.

Leontius 2. ſubſcripſit Concilio Aurelianenſi 4. anno 541. Hunc nobili & claro genere ortum, adoleſcentem in Hiſpaniâ ſub Regiis ſignis meruiſſe, & antequam ſacris initiaretur, vxorem ei *Placidinam* fuiſſe, ſcribit idem Fortunatus lib. 1. carmine 15. vbi etiam ipſum decimumtertium Burdigalenſem Antiſtitem numerat, eiuſque pietatem, & inſigne in reparandis templis ſtudium, eleganti carmine celebrat. Meminit etiam carmine 18 *Placidiæ* matris Leontij.

Heraclius, anno 563: *ex Baronio.*

Bertechrannus interfuit Concilio Matiſconenſi 2. anno 588. frequens illius occurrit mentio *apud Gregorium Turon. & apud Fortunatum.*

Gondegiſillus, *apud eundem Gregorium.*

Sicarius, cui Ludouicus Pius miſit exemplum ſtatutorum Concilij Aquiſgranenſis anno 816.

Frotarius circa annum 866, desertâ ſede Burdegalenſi, ob crebras excurſiones Normannorum, tranſiit in Pictauienſem: *Conciliis Galliæ apud Sirmondum.*

Adelbertus temporibus *Guillelmi* cognomento *Boni* Burdigalenſis Comitis.

Gumbaldus.

Siguinus Monachus anno 1015 & ſequentibus.

Acius anno 1028: *ex Ademaro Chabanen.*

Gotefridus ab anno 1029 vſque ad annum 1042.

Andro.

Goſſelinus aliàs Ioſcelinus. Hic tres, Pontificatu ſuo, Synodos celebrauit. Primam anno 1073: ad Diui Ma-

xentij in Pictonibus contra Berengarianæ hæreſis Fautores, vt refert Ioannes Chenutus: Alteram, Burdegalæ anno 1079. Tertiam, in ciuitate Sanctonenſi anno 1080 menſe Ianuario, Præſidibus Amato Olorenſi & Hugone Dienſi Epiſcopis, ſummi Pontificis Legatis, cui præter ipſum Ioſſelinum interfuerunt Garmundus Vianenſis, Richardus Bituricenſis, & Rodulphus Turonenſis Archiepiſcopi: Ademarus Engoliſmenſis, Hugo Lingonenſis, & Raimundus Vaſatenſis Epiſcopi.

Amatus ex Epiſcopo Olorenſi Archiepiſcopus Burdegalenſis. Huius Pontificatu dedicata fuit Eccleſia Burdigalenſis ab Vrbano II. Pontifice Max. errat enim Chenutus, qui hanc dedicationem in annum 1026 refert. Synodum habuit Burdegalæ, cui interfuerunt VVilielmus-Bernardus Auſcenſis Archiepiſcopus: Simon Agenenſis, Rainaldus Petragoricenſis, Ademarus Engoliſmenſis, Petrus Adurenſis, & Stephanus Vaſatenſis Epiſcopi.

Arnaldus Guiraldus anno 1110 & 1126.

Gofridus vel Gaufredus anno 1137. 1150. & aliis ad annum vſque 1158, quo è vita migrauit.

Raimundus ex Epiſcopo Petragoricenſi Archiepiſcopus eligitur anno 1159 *Ioan. Puteanus lib. de Epiſcopis Petragor.*

Ardouinus ex Decano Cœnomanenſi Archiepiſcopus Burdigalenſis anno 1160.

Bertrandus ex Epiſcopo Lactorẽſi anno 1163 & 1170.

VVilielmus ex Abbate Radingenſi anno 1173. Anno 1176 dedicauit Eccleſiam ſanctæ Eulaliæ Burdigalenſis: Anno 1179 interfuit Concilio Lateranenſi, *Picardus notis in Guilielmum Neubrigenſem.* Vixit vſque ad annum 1181: *ex monumentis Eccleſiæ S. Andreæ Burdigalenſis.*

Elias anno 1182. Anno 1190. coram Pontifice Max reus fit criminis à Collegio Canonicorum: *Rogerius Houeden.* Anno 1202, ſcriptis hac de re Codicillis, decernit ius eſſe Collegio Canonicorum Decanum arbitratu ſuo eligendi: *ex monumentis Eccleſiæ S. Andreæ Burdigal.*

Guillelmus anno 1207, 1210, & aliis vſque ad annum 1227.

Geraldus Malamortenſis ex Decano Burdegalenſi eligitur Archiepiſcopus anno 1227. conſecratur anno 1228, viuebat anno 1256: *ex monumentis Eccl. S. Andreæ.*

Petrus electus circa annum 1262: (anno enim præcedenti ſedes vacabat) obiit anno 1269, nec videtur fuiſſe ſuffectus aliquis in eius locum vſque ad annum 1275. Vacaſſe enim ſedem annis 1273, 74, & 75. pluribus monumentis Eccleſiæ ſancti Andreæ conſtat.

Simon à Rupe Cauardi anno 1275 octauâ die Auguſti & 10. Ianuarij, item anno 1276.

Anno 1284 ſedes vacat.

GG. Archiepiſcopus anno 1285 cum Collegio Canonicorum paciſcitur, vt Decano Burdigalēſi, in ea ciuitate ac in ſuburbiis iuriſdictionem ſuam exercere liceat.

Anno 1287. 14. Februarij vacabat ſedes. Malè itaque hîc interſerunt Chenutus & Robertus, ROBERTVM Regis Angliæ Cancellarium, Lurbeum ſequuti: quem in errorem induxere Tabulæ, de conſtruendo fratrum Auguſtinianorum Burdegalæ Cœnobio, præſente & in eam renſe interponēte eodem ROBERTO conſcriptæ, è quibus tamē mox recitādis apertè elicitur Robertum nihil prorſus nomine Archiepiſcopi Burdegalenſis, in hoc negotio egiſſe: extant autem illæ tabulæ in vno è Chartulariis Eccleſiæ Primariæ Burdigalenſis, hac ſerie verborum.

Frater Henricus de Lobanheio Prior domus Fratrum Heremitarum Ordinis ſancti Auguſtini de Burdegal. & Conuentus eiuſdem loci, Salutem in Domino. Cum venerabile Capitulum Burdegalenſe SEDE VACANTE *nobis dederit & concesſerit licentiam habendi & conſtruendi Eccleſiã ſeu Oratorium & cimiterium in parochiis Eccleſiarum ſuarum ſanctæ Eulaliæ & ſancti Eligij Burdegalenſium in loco appellato apud Mirall. &c.* (Cauent de ſoluendo triginta librarum annuo reditu. Deinde ſic tabulas concludunt) *ſupplicantes reuerendo in Chriſto patri Roberto Dei gratiâ Bathon. & VVellen. Epiſcopo illuſtris Regis Angliæ Cancellario, ad cuius preces & inſtantiam dicta licentia nobis & ſucceſſoribus noſtris data extitit & conceſſa, & eidem Capitulo, vt ipſi ſigilla ſua vnà cum ſigillo noſtro præſentibus apponant. Datum* 12. *Kal. Ianuarij* 1287.

Henricus Archiepiſcopus anno 1294 *: ex Lurbeo.*

Roſinus Salignacus ex Archidiacono Medullenſi Archiepiſcopus eligitur anno 1296.

Bertrandus à Guto ex Epiſcopo Conuenenſi fit Archiepiſcopus Burdigalenſis anno 1300, ac munus illud cum laude adminiſtrauit vſque ad annum 1305, quo à Collegio Cardinalium in Romanum Pontificem aſciſcitur, literis Peruſij 6. Iunij datis, quæ à Lurbeo in Chronico Burdigalenſi recitantur. In quo Pontificatu Clementis V. nomen aſſumpſit.

Arnaldus Faltuerius Cantalupius Clementis V. Pontificis Maximi propinquus ex electo Archiepiſcopo fit Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli & Romanæ Eccleſiæ Camerarius, vt refert Ciacconius ex Clementis V. Regeſto: obiiſſe ipſum anno 1310. apud Almaricum Augerium in actibus Pontificum Romanorum ſcribitur, vbi etiam *Frigerij de S. Lupo* cognomen ei tribuitur : in

quibuſdam tamen monumentis Eccleſiæ Burdegalenſis annotatum obſeruaui, Arnaldum Cantalupium Archiepiſcopum anno 1332 obiiſſe, cum Eccleſiam illam 27 annis adminiſtraſſet. Fuit hic forſan diuerſus ab illo Faltuerio ſiue Frigerio à S. Lupo.

Petrus ſucceſſit Arnaldo & munus Pontificis geſſit vſque ad annum 1345, quo obiit.

Amaneuus de Caſis Petri ſucceſſor. Hic quatuor Eccleſiarum reditus Decani & Canonicornm cenſui adiecit, Eccleſias videlicet ſancti Iuliani de Borno, de Molinis, S. Helenæ & de Liſtraco, vt è tabulis hac de re anno 1347 ſcriptis patet, quæ in tabulario Eccleſiæ ſancti Andreæ ſeruantur. In loco *Bellouidere* dicto mortem oppetiit, & in eodem, ſepulchro corpus eius conditum fuit.

Bernardus anno 1350.

Amaneuus Motanus à Clemente VI. Pont. Max. Archiepiſcopus Burdegalenſis creatur, factis eâ de re Codicillis apud *Villam nouam* Auenionis, quibus dies 4. Kalend. Octob. annus verò 6. Pontificatus eiuſdem Clementis aſcribitur. Obiit v. Calend. Iul. anno 1360. fuitq; ſepultus in æde S. Andreæ ad aram maximam, in eâ parte quæ meridiem ſpectat.

Helias anno 1362 & aliis proximè conſecutis vſque ad annum 1378.

Raimundus Pontificatum Burdegalenſem geſſit ab anno 1380 vſque ad annum 1384, quo è vitâ migrauit: teſtantur id pleraque Eccleſiæ S. Andreæ monumenta: ita vt Vrbano, quem ad annum 1382 in numero horum Pontificum poſuit Lurbeus, hic locus non ſit.

Franciſcus Archiepiſcopus Beneuentanus ad Burdegalenſem Pontificatum tranſlatus eſt ab Vrbano VI.

7. Kal. Septemb. Pontificatus anno 7.

Franciſcus Hugocionius Vrbinas 1389. 1397. & 1041: Ab Innocentio VII. Cardinalis tituli SS. 4. Coronatorum creatur anno 1405. de quo hæc refert Ciacconius, *Franciſcus Hugocionius Vrbinas, Picens Presb. Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, eximius Ciuilis, Pontificiique iuris interpres. Quem Bonifacius IX. Archiepiſcopum Burdegalenſem in Aquitaniâ creatum, Nuntium Apoſtolicæ ſedis ad Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ & Nauarræ Hiſpaniarum Regna, item in Vaſconiâ direxit, vt ſua dexteritate, quæ ſumma erat, eas regiones ad Bonifacij IX. obedientiam eiurato Clementis VII. ſchiſmate reuocaret & prudentiſsime cuncta ex Pontificis voto tranſegit: quamquam contra Reges Caſtellæ & Legionis patrem & filium ſchiſmaticos diris deuotos, Vrbanus VI. & poſtea Bonifacius IX. ſacrum bellum (quod Cruciatam vocant) indixiſſent. Eum Innocentius VII. abſentem in Aquitaniâ & paſcendo gregi ſuo intentum Presbyterum Cardinalem legit; diu à Romana Curia abfuit, Burdegalæ permanens, ad quam non niſi valdè ſenex acceſsit*: hactenus Ciacconius. Poſtea Gregorium deſeruit, vt ait idem author, quamobrem cum ab eo citatus & honore priuatus eſſet, Collectores prouentuum Cameræ Apoſtolicæ in Aquitaniâ, eiuſdem Gregorij iuſſu, vniuerſos Cardinalis reditus in Burdegalenſi prouinciâ interuerterunt, Pontificatu etiam ipſi abrogato: itaque ſuffectus eſt in eius locum.

Ioannes Montferrandus anno 1408.

Guillelmus tempore Alexandri V. Papæ.

Dauid Montferrandus anno 1416. & 1425.

Petrus Fuxius Cardinalis Eccleſiam Burdigalenſem adminiſtrabat anno 1428.

Petrus Berlandus à Martino V. Pont. Max. confirma-

tur in Pontificatu Burdigalenſi 17. Kal. Nouemb. Pontificatus anno 13. Vixit ſummâ ſanctitatis famâ, quam edita poſt mortem, ad illius ſepulchrum, miracula magnoperè auxere. De eo hæc refert Lurbeus lib. de Illuſtribus Aquitaniæ viris. *Petrus Berlandus, agricolæ Berlandi in Medullis filius, cum iam abecedarius eſſet, totum ſe literis ſacris deuouit, quas cum humanitatis ſtudiis, vt ei per facultates licebat, ita coniunxit, vt propter eius pietatem & bonam indolem ex paupere Clerico Canonicus Eccleſiæ Burdigalenſis electus fuerit; in quo munere ita piè, per multos annos verſatus eſt, vt vacante ſede Metropolitanâ, poſt multas contentiones & inter plurimos tanti ſacerdotij competitores, ab Eccleſiæ collegio Archiepiſcopus Burdegalenſis deſignatus ſit, quam prouinciam cum inuitus ſuſcepiſſet, nihil tum ſui officij & tanti muneris prætermiſit, mores Eccleſiæ in tantis bellorum motibus collapſos reſtituit, literas & literatos fouit, authorque fuit Iuratis & Decurionibus Burdigalæ inſtituendæ Academiæ & Vniuerſitatis Burdigalenſis, cuius inſtitutionis diploma Iurati poſtea ab Eugenio ſummo Pontifice impetrarunt: inde Berlandus Collegium ſancti Raphaëlis, Burdigalæ erexit, pluribuſque reditibus pro inſtitutione prioris & duodecim pauperum ditauit. Et vt nominis ſui ac memoriæ aliquot monimentum relinqueret, maiorem turrim campanarum D. Andreæ à fundamentis erexit. Poſtremò cum nomine ordinũ Aquitaniæ in Britanniam profectus Regem Anglum de componendis Aquitaniæ rebus interpellaſſet, nec poſtulatis Anglus ſatisfeciſſet, factum eſt vt Burdigalenſibus ſub imperium Francorum redactis, Berlandus cum toto Clero in verba Caroli ſeptimi iurauerit, quod ſanctè præſtitit. Tandem cum per 25 annos Eccleſiam rexiſſet, pius, beneficus & eleëmoſynarius deceſſit. Obijt anno* 1453.

Blaſius

Blaſius Greſleus poſſeſſionem Pontificatus Burdigalenſis adeptus eſt anno 1456.

Artus Montalbanius, obiit anno 1468, inquit Claud. Robertus.

Andræas Eſpinæus, anno 1480 : hunc Chenutus & Robertus confundunt cum Ludouico Spinæo Archiepiſcopo Arelatenſi primùm, deinde Lugdunenſi, Preſbytero Cardinali SS. Sylueſtri & Martini in montibus: de quo videndus Ciacconius in Innocent. 8. Obiit Andræas 10 Nouembris anno 1500, vt indicat epitaphium illius ſepulchro inſcriptum Pariſiis in æde Celeſtinorum.

Ioannes Fuxius ex illuſtri Candalarum familia, anno 1501 iuſſu Alexandri VI. Pontific. Maximi Pontificatus Burdigalenſis poſſeſſionem apprehendit.

Gabriel Acrimontanus illuſtri & antiqua Acrimontanorum Dynaſtarum ſtirpe genitus anno 1528 Pontificatum Burdegalenſem aſſequitur, fit poſtea Cardinalis.

Carolus Acrimontanus Gabrielis frater anno 1530. Rexit Eccleſiam Burdigalenſem & Aquitaniæ inſuper Prouinciam, Vicario nomine ProRegis, vſque ad annum 1544.

Ioannes Belayus anno 1544.

Franciſcus Mannius anno 1554, quo breui vitâ functo, ad eundem Pontificatum rediit

Ioannes Bellayus anno 1556. *Lurbeus in Chronico Burd.*

Antonius Preuoſtus Sanſacus anno 1560.

Franciſcus Deſcoubleau Sourdiſius Cardinalis anno 1599. obiit anno 16..

Henricus Sourdiſius Franciſci frater nunc illi Eccleſiæ præeſt.

E pluribus Epiſcopatibus qui ſub Archiepiſcopo Bur-

tur in Pontificatu Burdigalenſi 17. Kal. Nouemb. Pontificatus anno 1;. Vixit ſummâ ſanctitatis famâ, quam edita poſt mortem, ad illius ſepulchrum, miracula magnoperè auxere. De eo hæc refert Lurbeus lib. de Illuſtribus Aquitaniæ viris. *Petrus Berlandus, agricolæ Berlandi in Medullis filius, cum iam abecedarius eſſet, totum ſe literis ſacris deuouit, quas cum humanitatis ſtudiis, vt ei per facultates licebat, ita coniunxit, vt propter eius pietatem & bonam indolem ex paupere Clerico Canonicus Eccleſiæ Burdigalenſis electus fuerit; in quo munere ita piè, per multos annos verſatus eſt, vt vacante ſede Metropolitanâ, poſt multas contentiones & inter plurimos tanti ſacerdotij competitores, ab Eccleſiæ collegio Archiepiſcopus Burdegalenſis deſignatus ſit, quam prouinciam cum inuitus ſuſcepiſſet, nihil tum ſui officij & tanti muneris prætermiſit, mores Eccleſiæ in tantis bellorum motibus collapſos reſtituit, literas & literatos fouit, authorque fuit Iuratis & Decurionibus Burdigalæ inſtituendæ Academiæ & Vniuerſitatis Burdigalenſis, cuius inſtitutionis diploma Iurati poſtea ab Eugenio ſummo Pontifice impetrarunt: inde Berlandus Collegium ſancti Raphaëlis, Burdigalæ erexit, pluribuſque reditibus pro inſtitutione prioris & duodecim pauperum ditauit. Et vt nominis ſui ac memoriæ aliquot monimentum relinqueret, maiorem turrim campanarum D. Andreæ à fundamentis erexit. Poſtremò cum nomine ordinũ Aquitaniæ in Britanniam profectus Regem Anglum de componendis Aquitaniæ rebus interpellaſſet, nec poſtulatis Anglus ſatisfeciſſet, factum eſt vt Burdigalenſibus ſub imperium Francorum redactis, Berlandus cum toto Clero in verba Caroli ſeptimi iurauerit, quod ſanctè præſtitit. Tandem cum per 25 annos Eccleſiam rexiſſet, pius, beneficus & eleëmoſynarius deceſſit. Obijt anno 1453.*

Blaſius

Blaſius Greſleus poſſeſſionem Pontificatus Burdigalenſis adeptus eſt anno 1456.

Artus Montalbanius, obiit anno 1468, inquit Claud. Robertus.

Andræas Eſpinæus, anno 1480 : hunc Chenutus & Robertus confundunt cum Ludouico Spinæo Archiepiſcopo Arelatenſi primùm, deinde Lugdunenſi, Preſbytero Cardinali SS. Syluestri & Martini in montibus: de quo videndus Ciacconius in Innocent. 8. Obiit Andræas 10 Nouembris anno 1500, vt indicat epitaphium illius ſepulchro inſcriptum Pariſiis in æde Celeſtinorum.

Ioannes Fuxius ex illuſtri Candalarum familia, anno 1501 iuſſu Alexandri VI. Pontific. Maximi Pontificatus Burdigalenſis poſſeſſionem apprehendit.

Gabriel Acrimontanus illuſtri & antiqua Acrimontanorum Dynaſtarum ſtirpe genitus anno 1528 Pontificatum Burdegalenſem aſſequitur, fit poſtea Cardinalis.

Carolus Acrimontanus Gabrielis frater anno 1530. Rexit Eccleſiam Burdigalenſem & Aquitaniæ inſuper Prouinciam, Vicario nomine ProRegis, vſque ad annum 1544.

Ioannes Belayus anno 1544.

Franciſcus Mannius anno 1554, quo breui vitâ functo, ad eundem Pontificatum rediit

Ioannes Bellayus anno 1556. *Lurbeus in Chronico Burd.*

Antonius Preuoſtus Sanſacus anno 1560.

Franciſcus Deſcoubleau Sourdiſius Cardinalis anno 1599. obiit anno 16..

Henricus Sourdiſius Franciſci frater nunc illi Eccleſiæ præeſt.

E pluribus Epiſcopatibus qui ſub Archiepiſcopo Bur-

degalenſi conſtituti ſunt, ſolus nobis attingendus eſt *Condomienſis*, vltra Garumnam, in *Vaſconia* poſitus. Alij enim, cum citra Garumnam in ſecundâ Aquitaniâ conſiſtant, nihil ad Vaſconiæ notitiam conducunt.

Condomienſis pagus, cum trans Garumnam in Nouempopulania ſitus ſit, eum ad Vaſconiam pertinere minimè dubium eſt: tametſi, à multis ſæculis, territorio Aginnenſi annexum. De hoc enim pago intelligenda exiſtimo hæc verba Aymonij lib. 4. hiſt. Franc. cap. 116. *Ferunt in Regione Vaſconiæ, trans Garumnam fluuium, in pago Aginnenſi, annonam de cœlo pluiſſe.* At illud mihi non parum ſuſpectum eſt, quod primùm à Ioſepho Scaligero traditum, à pleriſque poſtea magno conſenſu receptum video: Pagum illum peculiari nomine *Vaſconiam* appellari, nullus enim vetuſtus Author id dixit, nec Accolæ aut reliqui Aquitani illum tractum aliter quam *Condomeſium* nuncupant; quod autem Seneſcallus Aginnenſis vocat ſe Seneſcallum, Aginnenſium atque *Vaſconiæ* id ita accipiendum eſt, vt nomine *Vaſconiæ*, eam tantummodò illius Regionis partem deſignare velit, quæ territorio Aginnenſi coniuncta fuit, quæque hodie ſolâ *Condomeſij* ditione continetur, licet latius aliquando patuerit. In Eccleſiaſticis, Condomienſes à Pontifice Aginnenſi ius petebant, donec à Ioanne XXII. proprius iis Pontifex datus eſt, Cœnobio antiquo Ordinis ſancti Benedicti Epiſcópatus titulo decorato: Epiſcopos autem, qui ab inſtituto Epiſcopatu huc vſque illi ſedi præfuerunt, hos nouimus, qui proximè ſequuntur.

Raimundus Goulartus anno 1329.

Petrus Golardus vel Galardus ex Priore Neyracenſi fit Epiſcopus Condomienſis 12. Calend. Aprilis anno 1340. Viuebat adhuc anno 1366.

Bernardus Alemainus annò 1371.
Petrus 2. anno 1373.
Hugo Raimbaldus anno 1397 & 1041.
Aimericus anno 1416.
Ioannes anno 1418.
Amaneuus Leomanienſis, ex gente Fimmarconiâ, anno 1428.
Ioannes II. 1450.
Guido Montibrunius 1471.
Antonius, qui anno 1496. v. Idus Octob. obiit.
Ioannes Marreus, eodem anno 1496 electus, viuebat anno 1509.
Antonius Pompadorius anno 1521.
Herardus Gorſolius anno 1527, 30, & 31.
Carolus Piſſeleus anno 1552.
Robertus Guntaldus anno 1568.
Ioannes Molucius anno 1580.
Ioannes Ducheminius anno 1611.
Antonius à Couſio.

Vaſconiæ Aquitanicæ vetus in varios Comitatus & Vicecomitatus diſtributio, & de Regione Gaſconiâ propriè dictâ, cum catalogo Archiepiſcoporum Auſcienſium, & Epiſcoporum Vaſatenſium & Adurenſium.

CAPVT VIII.

VASCONIA Aquitanica in varios olim Comitatus & Vicecomitatus diſtributa fuit. Comitatus erant, *Gaſconia* propriè dicta, aliàs *Vaſconia maior* ſeu *vlterior* nunc *ſuperior.*: *Vaſconia citerior*, nunc *inferior. Fidentiacus* è quo *Armeniacenſis*: & *Aſtaracum*, vnde

Pardiniacenſis Comitatus decerpti fuere, *Bigorra*, *Conuenarum Regio*, *Gaura* & *Manhoacum*. His poſteà acceſſit Dynaſtia Inſulana, à Philippo Valeſio Rege Comitatus titulo decorata. *Gaſconia* propriè dicta terminabatur Garumna fluuio, Oceano, Vaſconiâ citeriori, Armeniacenſi ac Fidentiacẽſi Comitatibus & Dynaſtiâ Inſulanâ. Cõplectebatur hęc Regio Epiſcopatus *Vaſatenſem*, *Aquenſem*, *Adurenſem* & *Lactorenſem*: Vicecomitatus autem *Leomanienſem*, *Gauarretium*, *Martianenſem*, *Aquenſem Tartaſienſem*, *Taurſanenſem*, *Lupanerienſem* & *Iuliacenſem*. *Bruleſium* quoque intra Gaſconiæ fines erat, vtpotè trans Garumnam poſitus: huius tamen ditionis Dynaſtæ, non Gaſconiæ Comitum, ſed Pontificum Agennenſium beneficiarij clientes erant. Viciſſim Gaſconiæ Comitibus parebat *Regulenſis* pagus, citra Garumnam in Agennenſi Comitatu conſtitutus. *Dynaſtia Lebretenſis*, etſi tardè Ducatus dignitatem accepit, inter Vicecomitatus tamen Gaſconiæ veteres cenſeri meretur, cum pleroſque ex iis quos enumerauimus finium amplitudine & numero vrbium ac vicorum antecelleret. Quandoquidem de Comitibus Gaſconiæ ſupra actum eſt, hic locus poſtulat vt illius Regionis Epiſcopos recenſeamus: De Lactorenſibus, quorum diœceſis in Leomaniâ ſita eſt, & de Aquenſibus dicam cum de illorum pagorum Vicecomitibus ſermo fiet: de aliis verò mox, appoſitis tamen priùs Archiepiſcopis Auſcienſibus, quibus vt Metropolitanis, non Gaſconiæ tantum, ſed vniuerſæ Vaſconiæ Aquitanicæ Epiſcopi ſubſunt, Condomienſi excepto.

De Auſciis populis.

Quos poſterioris ſæculi Scriptores *Auxitanos* dixerunt, ij *Auſcij* ſunt Straboni Ptolemæo & vetuſto Au-

thori Notitiæ Ciuitat. Galliæ. Cæſari & Melæ *Auſci*; at Sidonio *Auſcenſes*. Horum ciuitas ſeu oppidum primarium *Auguſta* eſt Ptolemęo *Eluſaberris* Melę, *Auxis* Roderico Toletano in Hiſtoria Arabum, vbi eam Vaſconiarum Metropolim eſſe dicit. *Claræ* etiam nomen ipſi tribuunt quædam monumenta Eccleſię Auſcienſis non contemnendę vetuſtatis. Magnum certè, omni memoria, fuit in Aquitania Auſcorum nomen, *Aquitanorum*, ait, *Mela*, *clariſsimi ſunt Auſci*; Ammianus verò, *Nouempopulos*, inquit, *Auſci commendant & Vaſates*: Ius quoque Latij ipſis à Romanis tributum fuiſſe author eſt Strabo. Illorum fines latè ad Pyrenęos montes & ad proxima Oceano Cantabrico loca patuiſſe fidem facit hæc inſcriptio, in Vicecomitatu Solenſi in Vaſcitania, reperta, in monte editiſſimo, cui ſacellum B. Magdalenæ ſacrum inibi conſtructum *Magdalenæ montis* nomen fecit.

FANO
HERAVS
CORR†SE
H-E SACRVM
G. VAL. VALE
RIANVS

Needum iſthæc appellatio Solenſibus vſquequaque deperiit *Aux-ac* enim adhuc vocantur ſuâ linguâ à Roncalenſibus & aliis viciniis Nauarræ populis, quod ad verbum eſt *Auſci*, vel *Auxi*: ſyllabam enim AC nominibus Vaſcitanis in fine adiectam, articulum eſſe in primo huius operis libro iudicaui. Sub Auſcis hodie comprehenduntur *Eluſates*, quorum oppidum *Eluſa* olim Archiepiſcoporum Nouempulaniæ domicilium fuit. *Sotia* quoque vrbs (vulgò *Sos*) intra diœceſis Auſcenſis fines con-

ſtituta eſt: quam non malè, vt mihi quidem videtur, nonnulli coniiciunt eam ipſam eſſe quæ à P. Craſſo Romanorum temporibus expugnata fuit, & cuius populum *Sontiatum* nomine deſignant vulgatæ Commentariorum Cæſaris editiones: licet veteres Codices manuſcripti *Sotiates* habeant, abſque littera n, vt annotauit Fulu. Vrſinus notis ad lib. 3. Cæſaris de bello Gallico: at in quibuſdam etiam Sottiates cum duplici T, legi teſtatur Caſaubon. animaduerſ. ad Athen. lib. 6. cap. 13. eandemq; vocem litterâ n, deſtitutam in MS. libris Pauli Oroſij ſe reperiſſe monet idem Vrſin; Cum quibus conſentit MS. codex Collegij Nauarrici Pariſienſis, necnon vetus editio Oroſij, quæ Lutetiæ anno 1510 prodiit. Plin. lib. 4. cap. 19, Aquitaniæ populos enumerans poſt Auſcos & Eluſates ſubiicit ſtatim Sottiates. Quò magis miror fuiſſe hoc noſtro ſæculo, qui coniecturam eorum, qui *Sociam*, etiamnum non ignobilem in Nouempopulania vrbem, eandem cum *Sotiâ*, ad quam bellum geſſit P. Craſſus, exiſtimant, tanquam ineptam reiicerent: eorum nos fortè aliàs argumenta diſcutiemus: id interim monere ſufficiat, hoc oppidum vulgò *Sos* nuncupatum in veteribus Tabulis *Sotiam* paſſim, aliquando etiam *Sotium* vel *Soſsium* nominari: eſſéque proximum *Eluſatibus* & *Auſcis* (quibus Plinius *Sociates* ſubiunxit) æquè ac *Taruſatibus* (quos pro hodiernis *Turſanenſibus* accipiunt viri docti) ad quos illico poſt victos Sotiates exercitum mouiſſe Craſſum Cæſar author eſt: quos autem Cæſar & alij Sotiates vocarunt, iidem proculdubio ſunt cum *Sotianis* Aquitaniæ populis, quorum Nicolaus Damaſcenus apud Athen. lib. 6. meminit.

Quo tẽpore Metropolitana ſedes *Eluſâ*, *Auguſtam* Auſciorũ tranſlata fuerit, res eſt obſcura & tenebris tecta ve-

tuſtatis. Falli enim opione eos,qui primo quoq; tempore poſt vaſtationem Nouempopulaniæ ab Euarige Rege Gotho factam,id contigiſſe affirmant,illud arguit,quod Euarigis ſeu Euridici mortem in annum 484.confert Iſidorus;cum tamen diu poſt,Eluſam Epiſcopos habuiſſe, inſcripta poſteriorum Conciliorum actis eorum nomina aperiant: Agathenſi enim Concilio anno 506 *Clarus* Eluſanæ Metropolis Epiſcopus: Aurelianenſi 1. anno 511. *Leontius*: Aurelian̄. 2. 4. & 5. & Aruernenſi 2. annis 533.541.& 549 *Aſpaſius*:Pariſ.4 anno 573 *Labanis* miſſus ſubſcripſere. Senocum pariter Eloſanenſem Epiſcopum Rhemenſi Synodo à Sonnatio Antiſtite habitæ interfuiſſe ſcribit Flodoardus lib. 1. cap. 5. hiſt. Eccleſ. Rhem. Optimũ itaque factu erit, ſi Archiepiſcoporũ Vaſconiæ Aquitanicæ ſeriem ab Eluſanis Pontificibus ordiamur.

Eluſani Archiepiſcopi.

B. Ceratius Eluſanæ Eccleſiæ conditor prçfuit ipſi annis 43: *ex monumentis Eccleſiæ Auſcenſis.*

Paternus,tẽpore Beati Saturnini Tholoſani Antiſtitis Rexit eandem Eccleſiam 48 annis: *ex iiſdem monumentis.*

Mamertinus Epiſcopus & Leontius Diaconus ciuitatis Eloſatium interfuere Concilio Arelatenſi anno 314.

Seruandus annis 23.
Luperculus annis 16.
Taurinus annis 19.

Ex iiſdem Eccleſiæ Auſcenſis monumentis. Alia tamen monumenta hic expuncto Luperculo interſerunt Optatum & Pompidianũ.

Clarus viuebat anno 506.
Leontius, anno 511.
Aſpaſius annis 533, 541. & ſeq.

Ex Sirmondo tom. 1. Concil. Galliç.

Laban 573. obiit anno 586.
Deſiderius ex laico Eluſenſis Epiſcopus.

Ex Greg. Tur. lib. 8. cap. 22.

Senocus circa annum 634. Ex Flodoard. lib. 1. cap. 5. hiſt. Eccleſ. Rhemenſ.

Auctor Catalogi Archiepiſcoporum Auſcienſium, qui in Cartularia Auſcienſis Eccleſiæ relatus eſt, Epiſcopos Eluſanos in Taurino deſiiſſe perſuaſus, ex eo vniuerſos Pontifices Auſcienſes pro Archiepiſcopis ſeu Metropolitanis celebrat. Tutius tamen foret, ipſos ad Audericum vſque, qui VII ſæculo viuebat, non tam pro Metropolitanis, quàm pro Auſcienſis duntaxat Eccleſiæ Antiſtibus habere: De poſterioribus autem, qui ante Airardum (cuius Pontificatus in annum 879 incidit) illi Eccleſiæ præfuerunt, incertum eſt vtrô titulô cenſeri debeant Epiſcoporum an Archiepiſcoporum. Porrò ad Airardum quod ſpectat, cum eũ Ioannes Romanus Pontifex epiſtolâ, illo anno, ad ipſum & alios Epiſcopos ſcriptâ (quam vir erudititiſſimus Iacobus Sirmondus tomo 3. Concil. Galliæ exhibuit) Archiepiſcopum Auſcenſem nominet, certo iure iam Auſcienſium Archiepiſcopum cauſa niti videtur, vt exinde pro Metropolitanis reputentur: ſed nunc ad incœptam Archiepiſcoporum ſeriem proſequendam pergo, hoc tamen præmonitô nomina ipſorum, quæ hinc vſque ad *Auriolum* edam, ſolam habere authoritatem Catalogi illius, Cartulario Auſcenſis Eccleſiæ intexti, neque mihi quicquam ferè, de iis, aliunde conſtare.

Auſcienſes Epiſcopi & Archiepiſcopi.

Citerius.
Anfronius.
Apronculus.
Vrſinianus.
Orientius.

Armentarius.

Armentarius.

Mineruius.

Iuſtinus.

Nicetius, viuebat hic anno 506: *ex actis Concilij Agathenſis apud Sirm. tom. 1. Concil.*

Tetradius, omiſſus ab Authore Catalogi interfuit Concilio Aurelian. 1. anno 511: *Sirmond. Notis ad epiſt. 6. lib. 7. Sidonij.* In actis tamen illius Concilij Nicetius vocatur.

Mineruius.

Alecius.

Amelius.

Saluius.

Porcarius.

Proculeianus.

Pricius.

Proculeianus, interfuit Conciliis Aurelianenſi 2. & Aurel. 4. annis 533. & 541.

Marcellus.

Vigilius.

Polemius.

Alecius.

Comus vel Conius.

Paulinus.

Fauſtus ſubſcripſit Concilio Matiſconenſi anno 585: obiit anno 886 teſte Gregor. Turoñ. lib. 8. cap. 22.

Fabius, omiſſus ab Authore Catalogi, ſucceſſit Fauſto eodem anno: *ex Gregor. Turoñ.*

Citharius.

Tithonius.

Drocoaldus.

Audicius: probo coniecturam Cl. Roberti qui legendum putat Audericus, cuius mentio apud Flodoard.

lib. 1. cap. 5. hiſtor. Eccleſiæ Rhemenſis.

Drocoaldus 2.

Leotadius.

Patricius.

Tontonius.

Anerius.

Ernaldus.

Lupus.

Aſter.

Aſnarius.

Remelius.

Galinus.

Eliſeus.

Ioannes.

Auloinus.

Airardus, anno 879. *Ex Sirmondo tom. 3. Concil. Gall.*

Ardinanus.

Auriolus Vtziandi, regnante Lotario, videtur idem eſſe cum *Odilo*, qui in Catalogo Cartularij Bernardum proximè antecedit.

Bernardus, tempore Agapeti Pontificis Maximi circa annum 950.

Seguinus.

Odo tempore Benedicti 7. Romani Pontificis circa annum 980.

Garſias.

Otto.

Raimundus Copa prætermiſſus ab Authore Catalogi. Hic vnà cum Guilielmo Comite Fidenciacenſi Canonicorum Collegium inſtituit in Eccleſiâ primariâ Auſcienſi B. Mariæ ſacrâ vt proximo monumento oſtenditur, è Cartulario illius Eccleſiæ deprompto, *Pridie Ka-*

lendas Martij, apud Ciuitatem Auxiorum VVillelmus Comes & Raimundus Archiepiſcopus conſtruxerunt Canonicam in ſede Archiepiſcopali per manum Rainardi Presbyteri & Grãmatici per Aquitaniam & Gothiam ad prædicandum à Deo aſciti hæc pro victu ſuo & Canonicorum donantes Archidiaconatus S. Iuliages, Sauanes, Ancles, Armajac, Mannoac, Eccleſias Deſpans, de ſean, medietatem de Odezan &c. Is etiam ſepulchrum primus in templo B. Mariæ inſtituit, quod conſequutis temporibus ſummi inter Cœnobitas S. Orientij, & Canonicos illos diſſidij & longæ litis cauſa fuit. Raimundo poſtea Simoniæ crimiminis conuicto, Pontificatus abrogatus fuit.

Auſtindus vel *Oſtendus* Clericus Burdigalenſis, in Raimundi, è Pontificia ſede deiecti, locum ſurrogatus, viuebat anno 1060 & 1063. crediturque in Diuorum numerum fuiſſe relatus.

V Vilielmus Bernardi, ex genere Baronum Montaltenſium Monachus Cluniacenſis, Prior ſancti Orientij, & Archiepiſcopus anno 1068. præfuit huic Eccleſiæ 30. annis.

Raimundus frater Aſtanouæ Comitis, ex Monacho Cluniacenſi fit Archiepiſcopus tempore Vrbani 2. Pontificis Maximi, vixit vſque ad annum 1118.

Bernardus Monachus, ex Baionenſi Epiſcopo fit Archiepiſcopus anno 1119. Obiit anno 1122. cum vtilem pro Chriſti fide in Hiſpania contra Mauros operam nauaſſet.

Guilielmus, B. Bertrandi Conuenarum Epiſcopi fratris filius, non auunculus vel patruus, vt nonnulli tradidere: materno autem genere, è familia Montaltenſiũ Baronũ, ſorore V Vilielmi Bernardi Archiepiſcopi Auſcenſis genitus: huius virtutem & ſingularem pietatem prędicant;

paſſim Auſcenſis Eccleſiæ monumenta, quæ prorſus prę-terire religio eſt: Vetus Membrana temporibus huius Archiepiſcopi ſcripta: *Succeſſit*, inquit, *Bernardo Archiepiſcopo, Guilielmus qui de proſapia Montaltenſium deſcenderat, homo alti ſanguinis ſumma tam morum quàm parentum nobilitate præpollens, tam in diuinis quàm in forenſibus negotiis ſtrenuiſſimus, in propoſito conſtans, Religionis amator, qui intra fines Gaſconiæ tam Ciſtercienſis, quàm Præmonſtratenſis Ordinis decem Monaſteria & Sanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi in honore omnipotentis Dei fundauit & plantauit, quem proſpera vincere nec aduerſa frangere potuerunt, vir profundi ſenſus & conſilij & ſingularis diſcretionis.* Nec ſuæ tantum Eccleſiæ curam geſſit, ſed vniuersè de Republica Chriſtiana adeò ſollicitus fuit, vt ſacram in Hiſpaniam expeditionem contra Mauros ſuſceperit: in qua quid egerit dicet Alfonſi ſeu Ildefonſi Aragoniæ & Nauarræ Regis proximum diploma.

In Dei nomine & eius diuina clementia Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen. Ego Ildefonſus Dei gratia Rex facio hanc cartam donationis & confirmationis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Auſcienſi, & vobis Domino Archiepiſcopo VVilielmo propter multa & innumerabilia ſeruitia, pericula & labores multos quos Dominus B. Anteceſſor veſter ſuſtinuit, cum me in illa acquiſitione de Hiſpania, & propter multa quæ vos mihi Domine VVilielme Archiepiſcope, & veſtra Eccleſia mihi fecit in Hiſpaniâ ſuper Mauros, & in multis aliis locis vbi mihi opus fuit, dono & concedo Eccleſiæ veſtræ Auſcienſi, & vobis Eccleſiam de Alagon cum omni hæreditate ſua, cum terris & vineis, & cum omnibus poſſeſſionibus ſuis, cum decimis & reditibus omnibus quæ hodie habet & habere debet, & quæ in tempore Sarracenorum

habuit, vt vos in vita veſtra & poſt vos veſtri ſucceſſores Archiepiſcopi de Aus & Eccleſia Auxienſis habeat & poſſideat hoc donum ſicut ſuperius ſcriptum eſt ſaluum & ingenuum liberum & francum ab omni Regali & laicali ſeruitute, perpetua & durabili poſſeſſione per ſæcula cuncta. Amen.

† *Signum Regis Adefonſi facta carta era* M.C LXVIII *in menſe Auguſto, in Roca thallada ſuper Baiona &c.... Comes Rotr. in Tutela, Pejre de Marcan in Tiraſona.*

VVilielmi autem Archiepiſcopi patrem, illius loci, qui nunc *Andobiele* dicitur, Dynaſtam fuiſſe, videtur colligi ex cognomine *Andozilai* ipſi addito in Necrologio Monaſterij Caſæ Dei Comitatus Pardiniacenſis: ſic enim ibi ſcriptum extat: *Guillelmus Dandozile Archiepiſcopus Auxitanus & ſedis Apoſtolicæ Legatus, nepos ſancti Bertrandi, qui eum fecit canonizari, multa bona fecit nobis & multos aduerſarios pacificauit.* Occurrit eius memoria ad annum vſque 1167.

Geraldus Bartanus, è nobili genere Labartarum ortus, fit ex Epiſcopo Toloſano Archiepiſcopus. Ad ſacrum Bellum in Orientem proficiſcitur, copiis eò à Ricardo Rege Angliæ & Duce Aquitaniæ, miſſis Præfectus, anno 1190: *ex Rogerio Houedeno.* Obiit in iis partibus: *ex monumentis Eccleſiæ Marſiliacenſis.*

Bernardus anno 1204, 1208 & 1212. Hunc Innocentius 3. ſummus Pontifex lib. 2. Regiſt. 14. epiſtol. 32. admonet, vt cum ſuſcepto muneri impar, eique gerendo minus idoneus ſit, Pontificatu ſe abdicet; ni pareat, alium ſe in eius locum ſuffecturum denuntiat.

Anno verò 1214 idem Innocentius alia epiſtola, quæ lib. 4. Regiſtro 16. n. 5. habetur, expoſtulante de Archiepiſcopi vita & peruerſis moribus Canonicorum

Collegio, Burdigalenſem atque Agennenſem Pontificem & Claracenſem Cœnobiarcham delegat, qui eâ de re quæſtionem exerceant, Archiepiſcopo interea Pontificiis muniis abſtinere iuſſo.

Garſias Lortius vel ab Horto fuit Archiepiſcopus annis 1216. 1217. & 1222.

Amaneuus, anno 1227. & inde vſque ad annum 1244. Hic vnâ cum G. Epiſcopo Conuenarum & aliis Antiſtitibus ac Proceribus Vaſconiæ, ordinem Militum Pacis inſtituit contra bonorum Eccleſiæ direptores.

Hugo Epiſcopus Bigorrenſis, Amaneuo mortuo, à Collegio Canonicorum Auſcienſis Eccleſiæ, primò in Vicarium ipſius Collegij, deinde in Archiepiſcopum eligitur, eodem anno 1244. fuerit conſecratus necne haud conſtat.

Hiſpanus Maſſacus ab anno 1245 ad annum 1261.

Amaneuus Armeniacus filius Rogerij, & frater Geraldi Comitis Armeniacenſis, ex Canonico Tholoſano fit Archiepiſcopus Auſcienſis anno 1262. Anno 1268 Pacis Ordo collapſus ipſo procurante reſtituitur, & à Clemente IV. Pontifice Maximo confirmatur. Adminiſtrauit Eccleſiam Auſcienſem 57 annis. Ad extremum tamen, ob decrepitam ætatem, ſocium & adiutorem, in eo munere ſibi allegat Guilielmum Cunabienſem Epiſcopum. fato conceſſit anno 1318.

Prolatâ, poſt Amaneui mortem, per aliquot annos, noui Archiepiſcopi electione. Tandem anno 1324 Guilielmus Flauacurtius Rhotomagenſi diœceſi oriundus & iamtum Carcaſſonenſis Antiſtes Canonicorum votis expetitus & ſuffragiis euocatus, Pontificatus poſſeſſionem præſens adipiſcitur, eodemque anno Kal. Maij frequenti Collegio Canonicorum, de Eccleſiæ illius rebus

ex fide procurandis & pro virili promouendis, ſolemne ſacramentum præſtat.

Anno 1337 Vicarij Regij munere in Aquitania ac in Gallia Narbonenſi functus eſt.

Anno 1342 Capellanorum Eccleſiæ ſuæ numerum octo aliis inſtitutis auxit aſſignato vnicuique eorum de ſuo idoneo victu. Curam huius Eccleſię geſſit ad annum vſque 1356: quo demum menſe Decembri ad Rhotomagenſem Pontificatum traductus eſt.

Arnaldus Alberti Lemouix; oriundus vici *Montium* iuxta *Pompadorium*, Innocentij V. Romani Pontificis nepos ac Camerarius, adminiſtratis primò Agathenſi, deinde Carcaſſonenſi Pontificatibus, fit Archiepiſcopus Auſcienſis ad XVII Kal. Febr. anno 1356: Præbendariorum ſtato numero, nouem alios adiunxit. Caſtrum *Baſſoa* in Eccleſię Auſcienſis fundo condidit. Templi primarij inſtaurationem aggreſſus eſt: obiit 3. Idus Iunij anno 1371, *Borbonio* vico, Auenionenſis diœceſis.

Ioannes-Rogerij Lemouicenſis, cum quatuor annis Pontificium munus in hac Eccleſiâ geſſiſſet, à Gregorio XI. Pont. Max. ad Narbonenſem traducitur.

Philippus Alençonius Patriarcha Ieroſolymitanus, profecto Narbonam Ioanne Archiepiſcopo, Auſcienſis Eccleſiæ adminiſtrationem à Gregor. XI. Pont. Max. accepit: ſed mortuô Gregoriô, Clemens VII. à pleriſq; Cardinalibus in eius locum ſuffectus, breui Philippum, quaſi Vrbani VI aduerſarij ſui partibus addictum, ab illa procuratione dimouit.

Ioannes Flandrenſis Viuarienſis diœceſis, Decanus Laudunenſis anno 1379 menſe Maio Archiepiſcopi Auſcienſis dignitatem (ad quam iam ante Canonicorum ſuffragiis accerſitus fuerat) Clemente VII.

concedente aſſequitur; Anno 1383 nouas conſtitutiones promulgauit, rei Eccleſiaſticæ promouendæ, ſi ſeruarentur, opportunas.

Ioannes Armeniacus, Ioannis huius nominis 2. Armeniacenſis Comitis filius naturalis, extincto Ioanne Flandrini, à Clemente VII. procurationem Eccleſiæ Auſcienſis accepit anno 1391. Obiiſſe 8. die Octobris anno 1408 ex argumento quorumdam Eccleſiæ illius monumentorum creditur: in quibus tamen neſcio num per errorem annus 408 pro anno 409 annotatus fuerit. Ciacconius enim *Ioannem Armeniacum*, inter Cardinales, à Benedicto XIII. Clementis VII. in Pontificio munere ſucceſſore, anno 1409 creatos numerat: aitque fuiſſe Archiepiſcopum Rhotomagēſem. Porrò quamuis ipſius nomen in Catalogis Archiepiſcoporum Rhotomagenſium, à Dadreo & Roberto editis, deſideretur, Ciacconij tamen ſententiam confirmat Author Chronici MS. Eccleſiæ B. Andreæ Burdigalenſis, qui eo ſæculo viuebat. Hic enim ſcribit, Gregorio XII. Pontifice Maximo, Rotomagenſi Eccleſiæ fratrem naturalem Comitis Armeniacenſis præfuiſſe. Cum Ioannes in aſſiduo Comitatu Benedicti XIII eſſet, Vicario ipſius nomine Auſcienſem Eccleſiam regebat Berengarius Guilhoti Caſtrenſis diœceſis alumnus.

Berengarius Guilhoti, mortuo *Ioanne Armeniaco*, ex Vicario Pontifex Auſcienſis deſignatur à Canonicis menſe Nouembri eiuſdem anni, confirmaturque proximo menſe Decembri à Benedicto XII, tunc Perpiniani in Hiſpania degente. Delati tamen muneris poſſeſſionem neque vacuam nactus eſt, neque integram habuit: quippe Petrus quidam, Authore Gregorio II, aduerſæ Benedicto factionis Pontifice, idem munus vſurpans,

pans, quicquid in ditione Regis Galliæ, ac Fuxi Comitis ad ius Archiepiſcopi Auſcienſis pertinebat, compendij ſui fecit.

Philippus *Leuius* ex Agathenſi Epiſcopo ad Pontificatum Auſcienſem à Martino V. Pont. Max. 16. Kal. Martij anno 1425 traducitur: indéque rurſus, ni fallor, ad Arelatenſem, anno 1453 transfertur, eiurato prius Auſcienſi in gratiam alterius *Philippi Leuij*, fratris filij, quam eiurationem, eodem anno Pontifex Maximus ratam habuit: Philippo tamen relictam à patruo Pontificatus illius poſſeſſionem vſurpanti interceſſit Collegium Canonicorum, & collatis de integro in *Ioannem* cognomento *Leſcunium* Armeniacenſis Comitis fratrem naturalem ſuffragiis, ipſum in deſertam à Philippo patruo poſſeſſionem inducit: de qua tamen is breui, authoritate Caroli VII. Francorum Regis, qui Philippo fauebat, deiectus fuit. Alter è Philippis fuit Cardin. tit. SS. Petri & Marcellini.

Ioannes Armeniacus aliàs *Leſcunius*, Philippo Leuio, vel mortuo, vel aliam dignitatem adepto, à Canonicis iamdiu, vt dixi, electus à Pont. Max. confirmatur menſe Martio anno 1462. Obiit v. Kal. Septembris anno 1483.

Franciſcus Sabaudius in Ioannis Armeniaci locum eodem anno ſuffectus, obiit v. Non. Octobris anno 1490.

Ioannes Tremollius eodem anno Archiepiſcopi dignitatem aſſequitur: Anno verò 1506 à Iulio II. Pont. Max. in ordinem Cardinalium cooptatur.

Franciſcus Claromontius.

Franciſcus Turonius, ex nobiliſſimâ Comitum Turnoniorum familiâ ortus: anno 1530 Cardinalitio munere tit. SS. Petri & Marcellini, poſtea Epiſcopi Cardinalis Sabini cohoneſtatus fuit à Clemente VII. Pont. Max.

Hoc adnitente & Henrico etiam Francorum Rege Chriſtianiſſimo, ſe interponente, Canonici Auſcienſis Eccleſiæ, Regularis vitæ voto, cui obſtricti erant, exempti & ſeculari vulgarium ſacerdotum lege viuere permiſſi ſunt, datâ etiam eis facultate, de rebus & bonis propriis arbitratu ſuo ſtatuendi ac decernendi, teſtamentique condendi, decreto eâ de re à ſummo Pontifice facto XI. Kal. Aprilis anno 1548. Fuit autem Franciſcus in viros probos doctoſque propensâ ſemper voluntate & iis ingenij, nobilitatis, pietatis, prudentiæ, aliarumque multarum virtutum ornamentis auctus, vt cuiuſlibet honoris faſtigium illius dignitati conuenire, Sadoleti teſtimonio, poſſet, & ipſe Romanæ purpuræ plus lucis attuliſſe, quam ab illâ accepiſſe ſit viſus. Obiit anno 1562.

Hyppolitus Eſtenſis Alfonſi Ferrarienſis Ducis filius, anno 1538 Cardinalis creatus, Auſcienſem Eccleſiam adminiſtrans: obiit Romæ 4. Non. Decemb. anno 1572, teſte Victorello.

Aloyſius Ateſtinus, Herculis 2. Ferrariæ Ducis filius, ſub Paulo 3. Epiſcopus Ferrarienſis, poſtea Archiepiſcopus Auſcienſis, Diaconus Cardinalis SS. Nerei & Achillei, deinde ſanctæ Luciæ in Silice, nec multò poſt, ſancti Angeli foro piſcium, ſanctæ Mariæ in viâ latâ & Diaconorum primus, Galliç protector, Princeps inauditæ liberalitatis, inquit Ciacconius. Pius IV. illum abſentem, non quærentem, ſed pœnè inuitum in Cardinalium cœtum allegit. Obiiſſe eum Romæ anno 1583. III. Kal. Ianuarij refert Petramellarius, vixiſſe tamen vſque ad annum 1593 quibuſdam monumentis Eccleſiæ Auſcienſis proditum eſt: cor eius in Auſcienſe templum ſepeliendum delatum fuiſſe author eſt idem Ciac-

conius, poſt eius mortem manſit Eccleſia illa aliquot annis Pontifice deſtituta.

Leonardus Trapius anno 1597.

Dominicus Vicus, Merici Vici Franciæ Procancellarij filius, paternæ virtutis ac integritatis hæres, ſub quo tanto Antiſtite Auſcienſi Eccleſiæ omnia proſpera, & tranquillum ſtatum ſperare licet.

Pontifices Vaſatenſes.

Vaſatum oppido *Ceßio* olim nomen erat. Vaſates verò dicebantur vniuerſæ illæ gentes, quæ totum illum tractum, oppido huic circumiacentem, incolebant; poſtea, obſoleto *Coſsionis* vocabulo, primario huic oppido totius populi nomen hæſit: De cuius antiquitate nequaquam dubitauerit, qui apud vetuſtos Authores *Coßionis* & *Vaſatum* nomen legerit: apud Ptolemæum tamen mendosè, pro nomine *Vaſatum*, poſitam eſſe vocem *Vaſſariorum*, iamdiu obſeruarunt viri docti. Sita eſt in arenosâ illâ Aquitaniç maritimç Regione, quam *Landas* vocant: fertili tamen ſolo. Eundem olim ſitum habuiſſe, hæc verba Sidonij Apollin. epiſt. ad Trigretium declarant, *Tantumne te Vaſatium ciuitas non ceſpiti impoſita, ſed pulueri: tantum ſyrticus ager, ac vagum ſolum & volatiles ventis altercantibus arenæ ſibi poſſident: vt te magnis flagitatum precibus, paruis ſeparatum ſpatiis, multis expectatum diebus attrahere Burdigalam, non poteſtates, non amicitiæ, non opimata viuariis oſtrea queant?* Ammiani tempore ſecundum hæc ciuitas in Nouempopulona Regione locum obtinebat, *Nouempopulos*, inquit lib. 15. *Auſci commendant & Vaſatos*, vnius tantum diei itinere à Burdigala diſtat, huius ciuitatis Epiſcopos, Vaſconenſium etiam Epiſcoporum nomine dictos fuiſſe, ſignifi-

care videntur antiquæ Tabulæ Monaſterij Regulenſis ad Garumnam:in iis enim Gumbaldus,VVilielmi Sanctij Vaſconiæ Ducis frater, modò *Vaſatenſis*, modò *Vaſconenſis* Epiſcopus nuncupatur, pro ius tamen mihi ad fidem videtur, *Vaſconenſium* nomine *Aturenſes* ſiue *Atyrenſes* Epiſcopos deſignatos fuiſſe, in aliis enim tabulis eiuſdem VVilielmi Sanctij Ducis, quibus inſtituti ab eo ſancti Seueri Monaſterij narratio habetur, Vaſconenſis & Vaſatenſis Epiſcopi ſeorſim, tamquam diuerſi nominantur. Epiſcopi autem Vaſatenſes, quorum memoriam veteres libri aut monumenta ſeruant,hi ſunt.

Sextilius tempore Concilij Agathenſis anno 506 habiti. Celebratur etiam in actis Concilij Aurelianenſis 1.

Rufus interfuit Concilio Aurelianenſi 4. anno 545 & 5° anno 52.

Oreſtes Concilio Matiſconenſi 2. anno 588, meminit etiam iſtius Gregor. Turon.

Gombaldus Vaſconiæ Dux & Epiſcopus Vaſatenſis anno 977.

Hugo Gombaldi filius Epiſcopatum Vaſatenſem aliquamdiu tenuit.

Raymundus hic præter Vaſatenſem alios etiam ferè omnes Epiſcopatus Vaſconię tenuit,excepta Metropoli, viuebat anno 1050.

Raymundus 2. ſuperioris nepos vel fratris filius anno 1070, & 1080.

Stephanus 1096 & 1103.

Fortis.

Garſias 1174 & 1179 in Concilio Lateranenſi.

Gualardus anno 1204.

Raymundus anno 1249.

Guilielmus annis 1270 & 1276.
Hugo Rupifortius annis 1277, 79, 83 & 90.
Theobaldus Caſtillonius anno 1317.
Pictauinus Monteſquiuius 1334. poſtea Epiſcopus Albiēſis fit Cardinalis anno 1350. obiit anno 1356. teſte Ciac.
Giraldus de Podio 1359 fit Cardinalis à Gregorio XI. anno 1375.
Guilielmus.
Ioannes.
Arnaldus Puchius.
Petrus Salpinius.
Henricus Cauerius.
Bertrandus Iueſtus.
Raymundus.
Bernardus Roſſergius.
Petrus Bonaldus anno 1459.
Raymundus Truillius anno 1481.
Ioannes Goualus.
Amaneus Lebretius.
Symphorianus.
Focaldus Bonauallius.
Ioannes Planiſius.
Aymetus Planiſius.
Baptiſta Alemanius.
Amaneus Fuxius.
Franciſcus Balagnerius.
Arnaldus Pontacus.
Ioannes Iaubertus Barrautius traductus ad Archiepiſcopatum Arelatenſem.
Nicolaus Grilletus traductus ad Epiſcopatum Vzetienſem.
Henricus Loſtolſius Maronius.

In Vaſatenſi Diœceſi eſt Monaſterium *Regulæ*, antiquiſſimum, citra Garumnam in ſecundâ Aquitaniâ ſitum. Pagus autem, in quo conſtructum eſt, *Alliardenſe* vocatur in Tabulis inſtaurationis ipſius, à *Gumbaldo* Epiſcopo Vaſatenſi, eiuſque fratre, *VVilielmo Sanctio* Vaſconiæ Duce factæ indicibus; quæ inſuper Cœnobium illud antea *Squirs* vocatum, & à Carolo Magno Floriacenſibus Monachis donatum fuiſſe teſtantur.

Adurenſes Epiſcopi.

ATVRRES Sidonio dicti ſunt lib. 2. epiſt. 1. ij populi qui nunc *Ayrenſes* vocantur, vt obſeruauit I. Sauaro notis in illam epiſt. *Aturres* autem nomen populi olim, non autem oppidi fuiſſe ſenſit Iacob. Sirmond. ſuis ad Sidonium obſeruationibus; cuius ſententiâ veteri Notitiâ Prouinciarum Galliæ, Bibliothecæ Viri Illuſtris Franciſci Thuani, confirmatur: in eâ enim inter Ciuitates Prouinciæ Nouempopulaniæ, ponitur. *Ciuitas Adtorenſium Vicoiuli*, ipſius autem antiquitatis argumentum non leue accipimus ex vetuſtis nummis & ruderibus, in confini Ayræ vrbi agro, non ita pridem effoſſis. Ab *Aturro* amne, quo pagus ille alluitur, *Aturrenſis populus* nomen accepit. *Aturrenſis* Epiſcopus, vulgò *Airenſis*, *Martianenſis* etiam dicitur in nonnullis Tabulis, à Martiano pago vicino, quo olim comprehenſus fuiſſe videtur. *Vaſconenſem* etiam dictum fuiſſe inde coniicio, quia in priſcis Tabulis, quæ inſtitutum à VVilielmo Sanctio Vaſconiæ Duce, victis acie in planitie *Taleyras* dictâ, Normannis, ſancti Seueri Cœnobium celebrant, inter alios Vaſconiæ Pontifices, nominatur *Vaſconenſis* Epiſcopus, nullâ *Adurenſis* mentione factâ; cuius tamen, præ cæteris omnibus, huic negotio vaca-

re intererat; quando locus inſtituti Cœnobij ad ipſius diœceſim ſpectabat: *Vaſconenſis* autem appellatio à Vico nomine *Vaſcons*, in Adurenſi diœceſi, pago verò Martiano condito manare potuit: vbi forſan Epiſcopi illi, poſt euerſam à Normannis Vicoiulij Ciuitatem, domicilium elegerant: idem enim ab aliis etiam Vaſconiæ Pontificibus factum, vt, deſtructis ſuæ habitationis vrbibus, ad ſuburbana vel agros recederent, teſtatur Vetus Membrana Auſcienſis Eccleſiæ de inſtauratione huius Ciuitatis, verba faciens in hunc modum. *Et Ciuitas* (Auſcorum) *quæ tunc à longis temporibus, ſicut cæteræ Ciuitates Vaſconiæ deſtructa erat & Pontificales Eccleſiæ deſtitutæ (Epiſcopi enim non in ſedibus ſuis, ſed in ſuburbiis, in Monaſteriis vel in Eccleſiis aliis habitabant) interim verò miſit Apoſtolica ſedes à latere ſuo Legatum V. qui dictus eſt* Albus, *& ille apud Tholoſam Concilia celebrauit, vbi audito, quod in Vaſconia ſedes Epiſcopales eſſent deſolatæ: præcepit authoritate Apoſtolicâ, quatenus Epiſcopi redirent ad Ciuitates & repararent Eccleſias ſuas: ex illo itaque præcepto tam aliæ quàm Metropolis Auxitana & Ciuitas ceperunt habitari & reſtitui.* Huius diœceſis præcipuum oppidum, eſt nunc *Sanctus Seuerus, Caput Gaſconiæ* ideò dictum, quia huius Regionis Metropolis olim erat. His præmiſſis, ad Catalogum Epiſcoporum aggredior.

Marcellus Epiſcopus Ciuitatis Vicoiulij, temporibus Agathenſis Concilij anno 506.

Ruſticus Epiſcopus Vicoiulienſis Concilio Matiſconenſi 2. interfuit anno 585. Meminit etiam illius Gregor. Turonenſis lib. 7. cap. 31.

Philibaudus, ſancti Philiberti pater, ex laico fit Epiſcopus Vicoiulienſis, cum bonâ Regis veniâ, ciuium illius

loci votis expetitus, vixit ſub Rege Dagoberto: *Author vitæ ſancti Philiberti Abbatis.*

Gumbaldus, filius Ducis Vuaſconiæ Sanctij, Epiſcopus Vaſconenſis ſeu Adurenſis anno 977.

Arſiuus Racha Præſul Gaſconiæ.

Raimundus Epiſcopus Vaſconenſis tempore Sanctij Vaſconiæ Comitis, circa annum 1025.

Petrus Epiſcopus Adurenſis 1063 & 1095.

Bonus homo Epiſcopus Adurenſis anno 1140: obiit anno 1147.

Odo Arbeyſſanenſis anno 1170: obiit anno 1179.

VVilielmus Bernardi anno 1188.

Martinus Epiſcopus Adurenſis & Abbas ſancti Ioannis Caſtellæ 1194.

Vitalis, anno 1211.

Iordanus 1216.

Raymundus à ſancto Martino anno 1205: ſancti Ioannis Caſtellæ Cœnobium ex voto ingreſſus eſt anno 1266.

Petrus electus fuit anno 1267 eius memoria occurrit vſque ad annum 1295.

Martinus anno 1300 & 1306.

B. hoc eſt Bernardus anno 1314.

G. anno 1321.

Aneſſancius anno 1324.

Garſias Faber 1330 & 1331.

Dalfinus ex familiâ, vt puto, Marquafaberia anno 1354.

Bernardus anno 1355 & 1359.

Ioannes 1378.

Robertus Valdebryus Anglus 1388.

Guichardus 1390.

Bernardus

Bernardus Bruni 1399. 1409. 1410. & 1416.

Arnaldus Guilielmus Leſcunij electus anno 1417.

Rogerius electus anno 1418. præerat huic Eccleſiæ anno 1426.

Ludouicus Lebretius Protonotarius Apoſtolicus Prior Pontonenſis, & adminiſtrator perpetuus Eccleſię Adurenſis XVIII. die Ianuarij 1453: hic poſtea in Collegium Cardinalium cooptatus fuit à Pio II. Pontifice Maximo XV. Ianuarij die, anno 1461. Obiit Romæ die quarta menſis Septembris anno 1465. eius ſepulchro in Eccleſia Aracælitanâ inſcriptum eſt hoc Epitaphium.

Ludouicus Tituli Sanctorum Petri & Marcellini Preſbyter Cardinalis natione Gallus, gente de Alebreto, Regio Francorum ſanguine natus, moribus & vitâ clarus hîc in pace quieſcit. Vixit annos XLII. *menſes* VIII. *dies duodecim. Obijt Romæ anno* M. C. DLXV. *die quartâ menſis Septembris.*

De eodem ſic Ciacconius ad annum 1461. *Ludouicus de Aleberto, Gallus, Regio ſanguine oriundus Epiſcopus . . . Presbyter Cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri: inſignes litteras ſortitus, verum dotatus animo nobili & ſyncero, moribus erat honeſtiſsimis, & grauibus, quæ illum reddebant vnicuique gratiſsimum: à Collegio Cardinalium & à tota Curia adeo vnicè diligebatur, vt amor & deliciæ vrbis vocaretur, nobilitas namque ſanguinis certabat cum candore animi, plenus religione & modeſtiâ: nunquam prodijt verbum ab ore eius arrogans vel inhoneſtum, conuerſatione ſe oſtendit vrbanum & ciuilem, & moriens reliquit deſiderium ſui cunctis & mæſtitiam ſuæ mortis.*

Triſtandus Auranus, Pontificis Maximi Referendarius, dimiſſo, in ſui gratiam, à Ludouico Lebretio Adurenſis Antiſtitis munere, fungitur anno 1461. & aliis

conſequutis vſque ad annum 1472.

Antonius 1495.

Bernardus Ambaſius aliàs Aubiiouſius anno 1500. & 1508.

Antonius 2. anno 1515.

Arnaldus Guilielmus Aydius 1516.

Carolus Acrimontanus anno 1524.

Petrus Biaxius Henrici Nauarræ Regis Cancellarius, electus Epiſcopus Adurenſis anno....

Gabriel Saluſſius electus anno 1535, nec tamen conſecratus.

Iacobus San-Iulianus annis 1550 & 57.

Chriſtophorus Fuxius Candalius.

Franciſcus Fuxius Candalius æquè generis nobilitate, ac ingenij fœlicitate & ſingulari doctrinâ, præſertim in rebus Mathematicis, clarus: obiit anno 1594. corpus eius, inſigne ſepulchrum, in Choro ædis Auguſtinianorum fratrum conſpicuum, ſeruat.

Philippus Coſpeanus anno 1618: Anno 1621 tranſlatus fuit ad Epiſcopatum Nannetenſem.

Sebaſtianus Boutillerius anno 1623: obiit anno 1624.

Ægidius ſeu Gillius Boutaudus.

De Aquis Tarbellicis, ac de Aquitaniæ nomine, cum ſerie Vicecomitum Aquenſium & Tartaſſienſium & Catalogo Epiſcoporum Aquenſium.

CAPVT IX.

AQVAS Tarbellicas Authori Itinerarij Antonino inſcripti, eam ciuitatem eſſe, quæ hodie Gallis *Acs*, Gaſconibus *Dacs* dicitur, rectè obſeruauit Scaliger

lib. 1. Auſon. lect. cap. 6. *Aquæ Auguſtæ* ſunt Ptolemæo, *Tarbella* Vibio Sequeſtro, *Aquis* Authori Itinerariæ Tabulæ Peutingeri, Vaſcitanâ etiam linguâ hactenus *Aquiſe* nuncupatur. Ab aquis calidis eo loco ſcaturientibus id nomen inuenit, quas temporibus Romanorum celebres fuiſſe, argumento ſunt antiqua ſolia marmorea in margine fontis conſpicua, vt iamdiu monuit Vinetus in Auſon. Epigr. 106. A nomine iſtius oppidi Aquitaniæ nomenclaturam deriuatam eſſe ſenſit idem Vinetus in 24. Carmen Parental. eiuſdem Authoris. *Ab hac*, inquit, *ciuitate Aquis, à quocunque Auguſto ante Ptolemaeum cognomen inuenerit, qui Gregorio Turonenſi aliiſq; Aquenſes ſunt appellati, Epiſcopus diœceſis & ciues, eos Aquitanos fuiſſe dictos arbitror, quâ forma Græca Auſcitani, Emporitani, Calaguritani, Neapolitani, aliique à ſuis vrbibus dicti fuerint: atque ſic* ſtirpis Aquitanæ *Auſonio dictam eſſe Paulini matrem, quæ* Aquenſis *fuiſſet, id eſt*, ex Aquis Auguſtis. *Alioqui pater illius etiam Aquitanus, qui Vaſatenſis erat.* Et quia Iulij Cæſaris æuo, nondum Galliâ ditionis Romanorum factâ, eam appellationem receptam fuiſſe conſtat ex ipſius Cõment. illius rei hanc rationem reddit Vinetus. *In eo medio (*loquitur de ciuitate *Aquarum) fons calidus, perpetuò feruens, aquam multam in propinquum Aturrum emittens. Ex quibus aquis calidis, Latini homines qui eas frequentabant, non dubito, quin locum illum iam tum* Aquas *appellare cœperint.* Verumtamen frequens hæc Romanorum in eas Aquas peregrinatio, mihi nequaquam idonea cauſa fuiſſe videtur antiquæ illius oppidi appellationis commutandæ ac peruertendæ, & nouæ inde in vniuerſam Regionem inducendæ: quinimò illud ex eo profectum exiſtimo, quod Romani, occupatâ armis eâ Regione, oppidum illud condiderint

& illius tractus Metropolim eſſe ſtatuerint: fuiſſe enim Romanorum opus, præter rationem Latini nominis ei impoſiti, perſuadet argumentum ſtructuræ, vetuſtatem, vt ait Vinetus, in mœnibus non paruam oſtentans, aliaq; antiquitatis veſtigia hactenus extantia: ſuperſunt enim in ſuburbano trans Aturrum amnem (quà ad D. Pauli Baſilicam itur) reliquiæ veteris aquæductus, nec procul inde, in quodam ſacello, antiquus lapis, Romanis litteris inſcriptus. In ipſa etiam vrbe, in margine fontis aquarum callidarũ ſolia marmorea. At hæc ante aduentum Cæſaris in Galliam, bellum Aquitanis illatum fuiſſe à Romanis Ducibus, teſtis eſt Cæſar ipſe lib. 3. de Bello Gallico cap. 20. his verbis. *P. Craſſus cum in Aquitaniam perueniſſet, quæ pars, vt ante dictum eſt, & regionum latitudine & multitudine hominum ex tertiâ parte Galliæ eſt æſtimanda, cum intelligeret in iis locis ſibi bellum gerendum, vbi paucis ante annis L. Valerius Præconinus Legatus exercitu pulſo interfectus eſſet, atque vnde Manilius Proconſul impedimentis amiſsis profugiſſet, non mediocrem ſibi diligentiam adhibendam intelligebat, itaque re frumentariâ prouisâ &c.* Sed & hanc Galliæ oram multis annis, antequam reliquam Galliam armis ſubigeret Cæſar, in Romanorum poteſtate fuiſſe indicare videtur hic epitomes Liuianæ locus lib. 93. *Reſque à Pompeio & Metello aduerſum Sertorium, qui omnibus belli militiæque artibus par fuit, & ab obſidione Calagurri oppidi depulſos coëgit diuerſas regiones petere Metellum vlteriorem Hiſpaniam, Pompeium Galliam.* Niſi hæc de Aquitaniâ, Hiſpaniæ, & præcipuè Vaſconum finibus, vbi *Calagurris* ſita erat, viçinâ & confini intelligantur, neſcio quam Galliæ regionem, Calagurri depulſus, cum exercitu petere potuerit Pompeius: neque enim hoc de Narbonenſi interpretari

licet, quippe quæ id temporis haudquaquam Galliæ nomine comprehendebatur, quemadmodum à Scaligero in eleg. 8. lib. 1. Tibulli & in Notitia Galliæ fuit obſeruatum. De Aquitanis pariter accipienda puto ea quæ de Galliscommemorat Cic. in orat. pro legeManil. vbi Pompeij prçclarè geſta recenſens, *Teſtis eſt*, inquit, *Gallia, per quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter, Gallorum internecione patefactum eſt.* Neque adeò difficile fuit Romanis, iam Narbonenſis Galliæ & citerioris Hiſpaniç dominis, hoc tractu, vtrique prouinciç vicino, potiri: *Aquitani*, inquit Ammianus lib. 15. *ad quorum littora vt proxima placidaque merces aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapſis facilè in ditionem venere Romanam.* Conſtat itaque, priuſquam Gallias Iulius Cçſar ſub Romanorum ius imperiumque cogeret, hanc Regionem, quç Garumna fluuio, Oceano & Pyrençis montibus terminatur, aut ſaltem eius partem, quç maximè ad Oceanum & Pyrenem vergit, ab iis domitam fuiſſe, Aquitaniçque nomen tum primùm accepiſſe. Principio enim Aquitaniç nomen illi tantum tractui datum fuit, qui Aquas Tarbellicas attingit, vbi hodiè eſt Prçfectura Aquenſis *Seneſcallia Landarum* dicta, indéque poſtea in vniuerſam Tranſgarumnanam Prouinciam manauit, vt docet Plinius lib. 4. cap. 19. vbi Aquitaniæ populos enumerans, poſt *Santones & Vbiſcos*, hoc eſt Burdigalenſes, *Aquitanos* ſtatim collocat, *vnde nomen*, inquit, *Prouinciæ*. Hçc autem antequam Aquitaniç appellationem à Romanis acciperet Arecomica dicebatur, teſte eodem Plin. cap. 17. lib. 4. *Gallia*, inquit, *omnis Comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maximè diſtincta, à Scaldi ad Sequanam* Belgica, *ab ea ad Garumnam* Celtica

eademque Lugdunenſis: *indéque ad Pyrenæi montis excurſum Aquitania, Arecomica ante dicta.* Neque tamen Arecomicam olim, Galliæ partem propriam & à Celticâ diſtinctam conſtituiſſe, perinde ac Cęſaris æuo crediderim, cum illius populos ſub Celtis comprehenſos reperiam apud graues Authores Diodor. Sicul. lib. 5. Bibliothecæ. *Qui interiora*, inquit, *ſupra Maſſyliam tenent*, & qui circum Alpes ac ad Pyrenęos montes habitant *hos Celtas nominant.* ἔτι δὲ τοὺς ἐπὶ τάδε τῶν πυρηναίων ὀρῶν κελτοὺς ὀνομάζουσι. Appian. Alexand. de bello Hiſpan. *Pyrenæi montes è mari Thyrreno ad Borealem Oceanum procurrũt. Horum partem quæ Orientem ſpectat incolunt Celtæ, qui nunc Galli appellantur. Ad occaſum verò ſunt Iberi & Celtiberi.* Ptolem. quoque lib. 2. cap. 7. Geographiæ Aquitaniam, *in Celtogalatiâ* ponit.

Hodie *Aquarum Tarbellicarum* ciuitas, caput eſt totius Præfecturæ ſeu *Seneſcalliæ Landarum*, ibique Seneſcallus ille ſedem primariam habet; Curiæ quoque Pręſidialis Tribunal in eâ conſtitutum eſt, ad quam ex vniuerſis Landarum regionis iuridicis appellari ſolet. Paulus Merula parte 2. lib. 3. cap. 34. Coſmographiæ *Aquas Tarbellicas*, eiuſque diœceſim ſub Seneſcalliâ Lapurdenſi ponit, in quo à vero aberrat quamplurimum, cum contra Lapurdenſis ditio Præfecturæ Aquenſis, ſiue Landarum Seneſcalliæ pars ſit.

Francorum primæ familiæ Regum tempore Aquenſi ciuitati præerat proprius Comes, meminit quippe Gregor. Turon. lib. 7. cap. 31. *Nicetij* Comitis ciuitatis Aquenſis, quem fratrem fuiſſe, ait, germanum Ruſtici Vicoiulienſis Epiſcopi: Sub tertiâ autem familiâ ipſam obtinuerunt Vicecomites, Aquenſes dicti, ad tempora vſque Ricardi Pictonum Comitis & Aquitaniæ Ducis.

Hic enim anno 1177. Petrum Vicecomitem ſibi rebellem bello aggreſſus, ciuitatem obſeſſam expugnauit, illiuſque dominio Vicecomitem multauit. Ager verò Aquenſis, cum reliquâ ditione in poteſtate Vicecomitis manſit. Huius Vicecomitis memoriam ſeruabant patrum memoria hi duo verſus Eccleſiæ primariæ huius ciuitatis lapidi inſcripti.

Vrbis magnificæ Petrus Proconſul Aquenſis
Moribus & ſenſu maturus obijt tener annis.

Hanc inſcriptionem ſuſpectam fecit Franciſco Belleforeſto *Proconſulis* mentio, quam de Vicario Conſulis, ex antiquo Latinæ linguæ vſu, interpretandam cenſuit, ſed parum attendit ad vſitatam poſterioribus ſeculis ſcribendi formam, quâ vox *Proconſulis* pro Vicecomite, perinde ac *Conſulis* nomen pro Comite, vſurpata fuit.

Series Vicecomitum Aquenſium.

Ernaldus Lupi, temporibus VVilielmi-Sanctij Vaſconiæ Ducis, circa annum 980.

Arnaldus, Sanctij-Guilielmi Ducis æuo, circa annum 1025.

Garſias Arnaldi, ſub Bernardo Tumâ Palerio Vaſconiæ Comite, circa annum 1050. habuit filium nomine Leofrancum, de quo non conſtat an patri ſucceſſerit.

Arnaldus Vicecomes Aquenſis, tempore Centulli Comitis Bigorrenſis & Vicecomitis Bearnenſis, circa annum 1070, duos reliquit filios, Raimundum Arnaldi & Garſiam Arnaldi.

Raimundus Arnaldi Vicecomes annis 1077 & 1080. *liberi*, Nauarrus & Nauarra.

Nauarrus Vicecomes Aquenſi, è Vicecomitatu armis

deiectu:. *Liberi* Petrus, Griſetus, eques militiæ templi Hieroſolymitani, & Guiralda.

Gaſto Vicecomes Bearnenſis, occupabat Vicecomitatum Aquenſem, anno 1102. pulſo inde Nauarro.

Petrus Vicecomes Aquenſis, Nauarri filius, gladio confoſſus, obiit ſine liberis.

Guiralda Petri ſoror, Vicecomitiſſa Aquenſis poſt mortem fratris, filium reliquit Raimundum Arnaldi.

Raimundus Arnaldi Guiraldæ filius, Vicecomitatum regebat annis 1147 & 1156: *Vxor* 1. N. è qua habuit filium Petrum qui ei in Vicecomitatu ſucceſſit. *Vxor poſterior*, Stephania Comitiſſa Bigorrę *Centulli* filia, è qua ſuſcepit Nauarrum qui è Canonico Aquenſi factus eſt Abbas Combelongę & Epiſcopus Coſeranenſis.

Petrus Vicecomes dominabatur annis 1167 & 1177. vnicam reliquit filiam *Nauarram*, qua Raimundo Arnaldi Vicecomiti Tartaſſienſi nupſit, & Vicecomitatum Aquenſem in Tartaſſienſem familiam attulit.

Vicecomites Tartaßienſes.

Tartaſſium vrbs eſt 20 circiter milliar. A quis Tarbellicis diſtans; ſpatio quidem anguſta, ſed culta & ſitu amœna; *Midorio* amni imminet, qui ad 1. inde milliare *Aturro* fluuio miſcetur; à Vaſconibus, nouas ſedes in Aquitaniâ capientibus, conditam fuiſſe odorari poſſumus ex notione nominis accuratiùs indagatâ: Vaſconicâ enim linguâ *Tarta*, genus quoddam roboris ſeu quercus ſignificat, humile ac durum, quali ſuburbanum Tartaſſij abundare ſciunt quicumque regionem illam peragrarunt, à *Tartâ* verò deducitur, eadem linguâ vox *Tartaſſu*, quâ locus huiuſmodi arboribus conſitus deſignatur. Huius vrbis Vicecomitum familia inter antiquiſ-

ſimas

ſimas totus Vaſconię Aquitanicę meritò cenſetur, vt ex ſubiectâ ipſorum ſeriê patebit.

Rex Tortus Vicecomes Tartaſſienſis, circa annum Chriſti 960.

Raimundus Regis Torti nepos ſucceſſit auo in Vicecomitatu Tartaſſienſi.

Robertus frater Raimundi, Vicecomes Tartaſſienſis filios habuit Raimundum Roberti ſucceſſorem in Vicecomitatu, Eliam & Moyſem Sacerdotio initiatos.

Raimundus-Roberti Vicecomes Tartaſſienſis, circa annum 1080: *liberi* Arnaldus Raimundi & Garſendis.

Arnaldus-Raimundi Vicecomes tempore Philippi I. Regis & Guilielmi Aquitanię Ducis, circa annum 1100.

Raimundus Vicecomes, habebat fratrem nomine Rollandum.

Robertus-Raimundi Vicecomes anno 1168.

Raimundus-Roberti annis 1170 & 1180.

Arnaldus-Raimundi annis 1194, 96 & 1204. huius filiam fuiſſe reor, *Aſſalidam* Amaneui Lebretenſis Dynaſtæ vxorem.

Raimundus-Arnaldi Vicecomes Tartaſſienſis: *Vxor Nauarra* Aquenſis Vicecomitiſſa: *liberi* Petrus, Raimundus-Roberti, Raimundus-Arnaldi, & Clarmonda nupta Gaillardo Solerio nobili Aquitano Ruſtani domini filio. Ipſius filiorumq; Petri & Raimundi-Roberti mentio extat ad annum 1249.

Petrus Vicecomes Tartaſſ. & Aquenſis anno 1263.

Ioannes Vicecomes Tartaſſ. & Aquenſis anno 1275.

Raimundus-Roberti Vicecomes, Petri patruus, ſucceſſit Ioanni, dominabatur anno 1292: *Vxor* N. *Genſaci* domina, è qua natus eſt ei Arnaldus-Raimundi: obiit circa annum 1294.

OOo

Arnaldus-Raimundi, patri Raimundo-Roberti ſucceſſit impubes, tutore Raimundo-Arnaldi patruo: quo authore etiam ſibi vxorem anno 1295 deſpondit Condoriam Inſulanam, Iordani Inſulani Dynaſtæ, eiuſque vxoris Guilielmæ filiam; quâ præmortuâ alteram rurſus duxit vxorem anno 1308 Matham Lebretiam, Amaneui Lebreti Dynaſtæ filiam: obiit anno 1312 duobus relictis filiis Roberto & Guiraldo, legitimis, an tantum naturalibus incertum. Neuter in Vicecomitatu Tartaſſienſi vel Aquenſi ipſi ſucceſſit, ambos enim viuus parens Lebretenſi Dynaſtæ certo pretio mancipauerat. Cuius ſubinde filius Guitardus, & longo interuallo Ioannes Lebretius Alani pater Vicecomites Tartaſſienſes dici voluerunt.

Pontifices Aquenſes.

Epiſcopatus Aquenſis, licet à Gregorio Turonenſi lib. 7. cap. 31. & lib. 8. cap. 2. Metropoli Burdigalenſi ſubiici videatur: nihilominus ab omni memoria, ſub Auſcienſi Archiepiſcopatu conſtitutus reperitur. Oppidum etiam *Aquarum* Tarbellicarum, in vetuſtis Notitiis Prouinciarum Galliæ inter Nouempopulaniæ ciuitates recenſetur. Huius Antiſtites, qui ab obliuione vindicari potuerunt, hi ſunt.

B. Vincentius martyr, creditur fuiſſe primus huius ciuitatis Epiſcopus, eius Baſilica extat adhuc in ſuburbano, maximâ ſuperioribus ſeculis religione culta.

Carterius Epiſcopus Aquenſis ſubſcripſit Concilio Aurelianenſi 4. anno 541.

Liberius ſubſcripſit Aurelian̄. 5. anno 549.

Nicetius Comes Aquēſis mortuo N. Epiſcopo Aquenſi ſucceſſor deſignatur à Chilperico Rege, circa annum 584, confirmaturque in eo, anno 585, deiecto *Fauſtiano*

qui authoritate Gundoaldi inſtitutus fuerat: *Greg. Tur. lib. 7. cap. 31. & lib. 8. cap. 2.*

Raimundus Vaſatenſis & Aquenſis Epiſcopus, circa annum Chriſti 1050.

Raimundus Vaſatenſis 2. ſuperioris Raimundi fratris filius, anno 1070 & 1080. Hic vnà cum Guidone Aquitaniæ Duce Pontificiam ſedem è Baſilicâ ſancti Vincentij, in ſuburbano ſitâ, in vrbem tranſtulit: ibique Collegium Sacerdotum inſtituit (quod poſtea in celebre corpus Canonicorum creuit) præpoſito illis, Decani nomine, Arnaldo Bolio.

Macarius, duobus tantum annis hanc Eccleſiam adminiſtrauit.

Bernardus Mucronius: annis 24. Eccleſiam rexit.

Raimundus Senteus anno 1102. 18 annis Pontificium munus geſſit.

Guilielmus Felgarienſis anno 1135: obiit 9. Kal. Aug. anno.... cum Româ rediret, in vico ſeu oppido *Aquæ pendentis.*

Arnaldus Sortenſis, idem, niſi fallor, cum eo, qui *Arnaldus VVilielmi* in quibuſdam monumentis nuncupatur, Pontificatum adeptus eſt anno 1143. Viuebat anno 1167. obiitque non ita multò poſt.

VVilielmus Bertrandi, filius Bertrandi Baionenſis Vicecomitis, cœpit adminiſtrare Eccleſiam Aquenſem anno 1168. interfuit Concilio Lateranenſi anno 1179: viuebat anno 1193.

Fortanerius Mauleonius anno 1200, 1209 & 1212.

Gualardus anno 1220.

Guillielmus Salinius 1221 & 1234.

Arnaldus Raimundi electus eodem anno 1234.

Nauarrus Milleſanctius anno 1243. & inſequentibus

vſque ad annum 1272, quo teſtamentum condidit die Dominica ante feſtum Omnium Sanctorum, poſt huius mortem manſit aliquot annis Eccleſia Aquenſis Pontifice deſtituta, nemine in eius locum ſuffecto.

Arnaldus Villanus anno 1278. Anno 1283 Conſtitutiones Synodales promulgat.

Arnaldus Caupenus anno 1295.

Garſias Arnaldi Caupenus 1301. & inde vſque ad annum 1320. nouas Conſtitutiones Eccleſiaſticas promulgauit anno 1301.

Bernardus anno 1328. & inde ad annum 1355.

Hic quoque nouas Conſtitutiones Eccleſiaſticas edidit anno 1351.

Petrus-Iterij, anno 1360. Conſtitutionibus, à ſuperioribus Pontificibus factis, nouas addidit. Anno 1361 ab Innocentio VI. Cardinalis creatur. De eo hæc Ciaccon. in Innoc. VI. *Petrus Iterij Aquenſis, Aquitanus, Gallus, ex Epiſcopo Aquenſi in Vaſconia Presbyter Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum, poſtea Epiſcopus Albanus ab Vrbano V. creatus, egregius legum peritus, obijt anno 1367. Sepultus ad Prædicatores in ſacello ab ſe conſtructo.*

Ioannes, annis 1366, 68, 69.

Ioannes Bauffeſius, fortaſſis idem cum præcedenti, fuit poſtea Epiſcopus Oſcenſis.

Ioannes, traductus ad Epiſcopatum Vlyſipponenſem.

Petrus Boſcus, anno 1397, & inde ad annũ vſque 1409. Anno 1398 nomine Legati Pontificis Maximi Angliæ Regem adiit: *Ex Vualſingano in Ricard.* 2. huius elogium edidit Lurbeus libello de illuſtribus Aquit. viris hoc ſtylo. *Petrus de Boſco Aquitanus Burdigalenſis Eccleſiæ Canonicus fuit, vt tempora ferebant, humanitatis ſtudiis deditus & litterarum ſacrarum non ignarus, & ob eam rem*

in Epiſcopum Aquenſem electus eſt : quo in munere ita ſe geßit, vt pauperum alumnus vocitatus ſit. Eccleſiam Burdigalenſem maximè coluit , quam & dominatu Vertullij in medullis & pluribus aliis muneribus donauit. Illiuſque nomen extat hodie inſculptum inſignibus vitriariis , quibus eiuſdem Eccleſiæ delubrum ornauit. Moriens inſigne pietatis & ſanctimoniæ exemplum ſucceſſoribus reliquit. Hic forſan eſt quem *Petrum de la Colta* Epiſcopum Aquenſem vocatum legi in quibuſdam Eccleſiæ Burdigalenſis monumentis.

Frater Nicolaus annis 1415. 20. & 21.

Bernardus Laplanhins Monachus Ordinis ſancti Benedicti. Anno 1427 electus & confirmatus. Anno 1440 IV. Id. Octobris fit Cardinalis Presbyter tituli SS. Nerei & Achillei à Felice IV. Pſeudo-Pontifice.

Guilielmus-Arnaldus, vel *Garſias-Arnaldus*, annis 1445 & 1447.

Petrus Fuxius Cardinalis Albanenſis Epiſcopus, adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ Aquenſis anno 1455.

Ioannes Fuxius annis 1460. & 1464.

Bertrandus Boirianus , è nobili *Podienſium*, in eadem diœceſi, familiâ : anno 1486. & inde ad annum 1497.

Arnaldus, anno 1506. & inde ad annum 1514.

Ioannes Martonianus, anno 1516, & 1517.

Gaſto Martonianus, ab anno 1519 ad annum 1555, quo è vita migrauit ineunte menſe Octobri.

Franciſcus Noallius, anno 1568.

Ægidius Noallius, anno 1590.

Ioannes Iacobus Saltanus, anno 1599. obiit anno 1623.

Philibertus Saltanus, Ioannis Iacobi fratris filius.

Series Vicecomitum Leomanienſium, cum Catalogo Epiſcoporum Lactorenſium & Epilogo reliquorum Gaſconiæ Vicecomitum, ac Dynaſtarum Lebretenſium.

CAPVT X.

VICECOMITES Leomaniæ *Lactorenſes* etiam nuncupantur in nonnullis antiquis monumentis, à *Lactorâ* vrbe, totius Vaſconiæ Aquitanicæ munitiſſimâ, quæ ſemper *Leomanenſis* pagi caput fuit, nec vlli regionis illius oppido antiquitate concedit: quippe eius nomen non apud vetuſtos tantum Authores Itinerarij Antonini, Tabulæ Peutingeri & Notitiæ Prouinciarum Galliæ, ſed in pleriſque etiam lapidibus Romanorum temporibus inſcriptis, expreſſum reperitur: in nonnullis per E *Lectora*, & *Lectorium*, in aliis verò per A *Lactora* & *Lactorium*, vnicam hic ex iis inſcriptionibus apponam, cæteras qui videre ſatagit Goltzium, Gruterum, Scalig. in Auſon. lect. & Merulam in Coſmog. conſulat.

Vetus lapis in aulâ domus Ciuicæ Lactorenſis poſitus.

PRO SALVTE
ET INCOLVMI-
TATE DOMVS
DIVINÆ R. P.
LACTORAT. TAV-
ROPOL. FECIT.

De Tauropolio (quod non iſtius Vrbis antiquum nomen, vt ſenſit Belleforeſtus, ſed ſacrificij genus erat) extant in eâ quamplurimæ aliæ inſcriptiones quarum duas aut tres hic tantum exhibere ſufficiet.

S. M. D.
GIVL. SECVN-
DVS TAVROPO-
LIVM ACCEPIT
HOSTIS SVIS
SACERDOT. TRA-
IANIO NVN-
DINIO D. N.
GORDIANO II.
ET POMPEIANO
COS VI. ID. DECEMB.

Huic lapidi diſci libatorij figura inſculpta eſt, reliquorum autem nonnullis ſeceſpitæ, aliis capitis arietini effigies.

CAL. LISTE L. PIISSIMÆ
VIATOR
SABINI FIL.
VIRES TAVRI
QVO PROPRIE
PER TAVROPO-
LIVM PVB. FACT.
FECERAT
CONSACRAVIT.

SEVERVS
IVLLII F. II.
VIR. ES TAVR.
QVO PROPR.
PER TAVROPO
LIVM PVB. FAC-
TVM FECERAT
CONSACRAVIT.

Iam ad propoſitam Viecenmitum Leomanenſium enumerationem redeo.

Vicecomites Leomanienſes.

Odoatus, tempore VVilielmi Sanctij Vaſconiæ Comitis, circa annum 960.

Raimundus-Arnaldus, tempore Guilielmi Comitis Vaſconiæ, circa annum 990.

Arnaldus, tempore Garciæ Archiepiſcopi Auſcienſis. item anno 1011.

Arnaldus 2. Arnaldi primi filius, habuit filiam nomine Adaleſam.

Odo, temporibus Bernardi Tumapalerij Comitis Armeniacenſis & Guilielmi Auſcienſis Archiepiſcopi, circa annum 1063. Hic habuit filiam Azelinam quæ fuit vxor Bernardi Forceſij domini.

Vibianus, anno 1103.

**

Vibianus 2. Hic cum Ricardo Comite Pictauienſi bellum habuit: ſed tandem, Lactoræ obſidionem diebus aliquot paſſus, ſe imperata facturum pollicetur, atque eius fidei permittit; à quo menſe Aug. proximè conſequuto in oppido ſancti Seueri militare cingulum honoris cauſa accipit. Viuebat anno 1221.

Hiſpanus Vibiani filius.

Arnaldus-Othonis, hic duas habuit vxores: Prior erat Bernardi Comitis Armeniacenſis filia, è qua nata eſt ei vnica filia *Maſcaroſa: Altera vxor* fuit Maria, filia Petri Bernardi Saluеſij domini & Cõnſtantiæ, Raimundi Toloſani Comitis ſororis, vnde nati Viuianus & Philippa: Viuebat Atho Arnaldus annis 1238 & 1256.

Maſcaroſa Vicecomitiſſa Leomaniæ poſt mortem patris.

Vibianus

Vibianus, ſucceſſit ſorori ſine liberis mortuæ.

Philippa, vxor Eliæ Talayrandi filij Archambaldi Comitis Petragoricenſis, ſucceſſit Vibiano fratri, potiebatur Vicecomitatu anno 1280. Duas peperit filias Marcheſiam, quæ regulam, virginibus ſub ſanctæ Claræ patrocinio Deo dicatis præſcriptam amplexa eſt, & Hayremburgiam quæ paucos dies vixit.

Philippâ mortuâ, *Elias Talayrandi*, ipſius vir nihilominus Vicecomitatũ Leomaniæ, ſibi donationis titulo tam ab vxore, quàm à filiâ Marcheſiâ relictum, retinuit, quem poſtea *Philippo* cognomẽto *pulchro* Francorum Regi, acceptis in ſolutum vicis ac ditionibus aliis, mancipauit. Philippus verò, non ita multò poſt, Arnaldo Garſiæ Gutto, Clementis V. Pontif. Maximi fratri, ipſius gratiam fecit.

Arnaldus-Garſiæ Guttus, Vicecomes Leomaniæ, anno 1310: *Vxor* Miramonda Mauleonia, è genere Vicecomitum Mauleoſolenſium: *liberi*, *Bertrandus* qui ipſi ſucceſſit in Vicecomitatu, *Elipdis* vxor Amaneui Motani: *Regina*, nupta Bertrando Durofortio Clarimontis Dynaſtæ.

Bertrandus Vicecomes Leomaniæ: *Vxor* Beatrix. *Filia* Regina, Ioanni Comiti Armeniacenſi in matrimonium collocata, patris ex aſſe hæres & Brayda vxor Renaudi Vicecomitis Bruniquelli.

Regina Gutta, obiit nullis relictis liberis, Ioanne Armeniacenſi Comite marito hærede inſtituto, qui tandem hunc Vicecomitatum Comitatui Armeniacenſi annexuit.

Pontifices Lactorenſes.

Heuterius, temporibus ſancti Genij ſeu Higini.

Vigilius, Concilio Agathenſi anno 506.

Aletius, Concilio Aurelian. 5. anno 549.

Bernardus, ſub Guilielmo Duce Vaſconiæ, circa annum 990.

Ioannes, anno 1060.

Raimundus, anno 1068.

VVilielmus Dandozile, è genere B. Bertrandi & Baronum Montaltenſium, anno 1120: poſtea euectus ad Archiepiſcopatum Auſcienſem.

Vidianus, ſeu *Viuianus*, circa annum 1130, item anno 1148.

Arnaldus, anno 1217 & 1221.

Guilielmus, anno 1244.

Geraldus Moulezunius: anno 1273. & anno 1308.

Guilielmus, annis 1315 & 1320.

Rogerius Armaniacus, anno 1325.

Guilielmus Bordanus, 1326 & 1330.

Arnaldus Guilielmus Labartanus, 1347 & 1349.

Petrus-*Anzelerij*, ab anno 1350 vſque ad annum 1364.

Hugo, obiit anno 1370.

Vignerius, anno 1372.

Berengarius Manhautius, obiit anno 1383.

Renerius à Malento.

Odo, anno 1384.

Ramundus, anno 1406.

Arnaldus Peyratus, obiit anno 1416.

Geraldus Podianus, obiit tertio Kal. Aug. anno 1425.

Raimundus, viuebat anno 1432 menſe Martio.

Martinus Quiteria Pampilonenſis, obiit 24. Maij anno 1449.

Bernardus Andræas, obiit 7. Martij 1452.

Amalaricus, obiit anno 1479.

Hugo Orſauus, obiit anno 1496.

Petrus Abſacus, Monachus Auguſtinianus, ex Epiſcopo Riuenſi fit Pontifex Lactorenſis, deinde Archiepiſcopus Narbonenſis. Regebat Lactorenſem Eccleſiam anno 1494.

Ludouicus Potus, obiit anno 1505.

Petrus Faber, obiit anno 1508.

Bernardus Luſtracus, obiit anno 1510.

Renatus Bricus Preſbyter Cardinalis tit. S. Luciæ in ſeptiſolio, ac poſtea tituli ſancti Vitalis: à Iulio II. Pont. Max. dignitate Cardinalis priuatur, in odium Concilij Piſani, cui Renatus intererat, poſtea tamen in eam reſtitutus fuit à Leone X. Iulij ſucceſſore. *Ciacconius.*

Ioannes Barthoſius Mombaſius, anno 1514.

Guilielmus Barthonus Mombaſius, interfuit Concilio Tridentino.

Carolus Borbonius, filius naturalis Antonij Regis Nauarræ, obiit anno 1589: exinde Eccleſia Lactorenſis manſit Rectore & Antiſtite orbata vſque ad annum 1600.

Legierius Plaſius, ad Pontificiam dignitatem euectus anno 1600.: nuper ſocium & adiutorem, in eo munere, ſibi allegit Ioannem Deſdreſſeum fratris filium, Epiſcopum Laodicenum.

Lactoren. Epiſcopi incertæ ætatis.

Ioannes Peyratus.

Raimundus Cambarelha.

Arnaldus Ramafortius.

Vicecomites Martianenſes.

Lobanerius Vicecomes Martianenſis & Guilielmus Lupus eius filius, temporibus Bernardi Guilielmi Ducis

Vaſconiæ, circa annum 1000.

Guilhermus-Lupi, tẽpore Sanctij Ducis, circa annũ 1125.

Lupus Anerius, anno 1103.

Petrus, filius Lupi Anerij, anno 1118. Hic condidit Oppidum montis Martiani ad *Midorium* amnem, toto illo *Landarum* tractu, quas Burdegalenſes vocant, celebre. Vxorem duxit *Beatricem*, Bigorræ Comitiſſam, Centulli filiam, eoque matrimonio Martiani Vicecomitatus Comitatui illi coniunctus fuit. De eius liberis dicam in ſtemmate Comitum Bigorræ.

Vicecomites Gauarreti.

Rogerius Gauarreti Vicecomes, temporibus Guilielmi Aſtanouæ Comitis Fidentiacenſis, circa annum 1050, duos habuit filios Petrum, & Arnaldum Rogerij.

Petrus Vicecomes Gauarreti: *Vxor* Agnes, è quâ filium reliquit Petrum. Obiit anno 1097.

Petrus 2. Vxorem duxit Guiſcardam Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis filiam, quæ Centullo fratri, abſque liberis mortuô, in eo Vicecomitatu ſucceſſit: itaque in liberis atque hæredibus Petri & Guiſcardę Ambo Vicecomitatus Gauaretius & Bearnenſis coaluere: quinimò *Brulesij* quoque ditionem hinc acceſſiſſe crediderim Bearnenſibus Regulis, vtpotè iam tum Gauarretio Vicecomitatui annexam. Liberorum Petri & Guiſcardæ nomina edet Bearnenſium Principum ſtemma, infra ſubiiciendum.

Iuliacenſium ac *Taurſanenſium* Vicecomitum, vt ditiones auguſtæ, ſic nomina obſcura ſunt, & adeò perpauca ad noſtram notitiam peruenerunt, vt aſcribere pigeat. At de *Lupanerienſibus* contra eſt: Hi enim nobiliſſimas *Leſcuniorum* Baronum *Lautrecorum*

Principum, *Andoinſiorum* Dynaſtarum & *Acrimontanorum* Comitum familias affinitatibus amplexi, vſque adeò celebre nomen iſtius Vicecomitatus fecere, vt à Carolo IX. Rege Comitatus titulo decorari meruerit: illorum itaque ſtemma hîc prætermitti non debuit. Omiſſis tamen vetuſtioribus Vicecomitibus, quorum ſeries æquè incerta eſt, à Leſcunienſibus Baronibus (à quibus hæc ditio, à quadringentis circiter annis poſſeſſa fuit) initium faciam.

Lupanerienſes Vicecomites, Leſcuni Dynaſtæ.

Fortanerius Leſcunius, Arnaldi filius, Fortanerij nepos, Bernardi pronepos Fortanerij & Condoræ Gabaſtoniæ abnepos, Lupanerienſis Vicecomes & Martiani dominus anno 1176. Vxorem duxit *Sibyllam* Nauallienſis Baronis filiam. Obiit anno 1297, vnicâ relictâ filiâ, quæ Arnaldo Guilielmo Bearnio nupſit.

Arnaldus Guillielmus Bearnius, Leſcunij & Fagetimali Baro, Vicecomes Lupanerij, ex N. Leſcuniâ vxore filium reliquit *Fortanerium* & filiam *Clarmondam*, quæ Raimundi Arnaldi Caudarraſij toro iuncta eſt.

Fortanerius 2. anno 1323. *Mathidim*, Caudarraſij Baronis filiam, ſibi matrrimonio iunxit, vnde nata filia vnica *Margareta*, quæ virum habuit Ioannem Pomerium.

Ioannes Pomerius & Margareta Leſcunia, huic Vicecomitatui dominabantur anno 1350. Liberos reliquere *Fortanerium* hęredem, & *Ioanetam*, nuptam Guilielmo Arnaldo Morlannæ domino.

Fortanerius 3. Ex vxore N. ſuſcepit *Fortanerium*, in Vicecomitatu Lupanerenſi ſucceſſorem, *Catharinam* vxorem Guillielmi Arnautoni Meritenhij domini, & *Margaretam*, quę anno 1407 nuptias cum Ioanne An-

doinſio Barone celebrauit, ad cuius poſteros, longâ ſtirpis ſeriê, Vicecómitatus Lupanerienſis, deſitâ Fortanerij fratris progenie, peruenit, vt ex dicendis conſtabit.

Fortanerius 4. *Ioannam Caſtillioniam*, Pontij Caſtillionij Dynaſtæ ſororem atque hæredem, in matrimonio habuit, ex quâ liberos reliquit *Mathæum* & *Arcambaldum*. Obiit anno 1439.

Mathæus qui patri Fortanerio ſucceſſit, vxorem habuit *Dianam Bearniam*, è qua natæ ſunt ei filiæ *Maria* & *Bertranda*: Hæc anno 1467 *Rogerij Fuxij Rabati* domini coniugium adepta eſt Obiit Mathæus anno 1572.

Maria, Mathæi filia natu maior & hæres, confectis anno 1457 cum *Odeto Aydio* nuptiis, ipſum Leſcuniæ Dynaſtiæ & Lupanerienſis Vicecomitatus conſortem fecit. Fuit Odetus vir ſtrenuus, & magnis rebus geſtis clarus; Itaque ſub Ludouico XI. Rege ſummis in Gallia honoribus ac dignitatibus functus eſt & Comitatu Conuenarum donatus, quem moriens liberis tranſcripſit: Ex Mariâ vxore binas procreauit filias *Ioannam* Ioanni Fuxij Lautrecij vxorem, & *Magdalenam*, quæ Ludouici Acrimontani nuptias adepta, Vicecomitatum Caſtillionium ei dotem dixit.

Ioanna Odeti & Mariæ hæres, *Ioanni Fuxio Lautreco* marito liberos peperit *Odetum*, vtriuſque parentis hæredem, *Thomam* qui Franciæ Mareſcalli dignitatem geſſit, & *Andræam* Sparroſij Dynaſtam.

Odetus Fuxius Lautrecus nominis celebritate vbique terrarum notus, cum *Germanam Fuxiam* propinquam ſuam ſibi vxorem deſpondiſſet, nuptias tamen mutauit, ductâ in matrimonium *Carlotâ Lebretiâ*, quæ ei tres peperit filios *Franciſcum*, qui patre ſuperſtite obiit, *Gaſtonem* ac *Henricum*, & filiam *Claudiam* N. Lauallo Ca-

ſtribriandi domino nuptam. His omnibus ſine prole extinctis, Leſcuni Dynaſtia & Lupanerienſis Vicecomitatus, iure Gentilitio, ad poſteros *Margaretæ*, Fortanerij 3. filiæ, *Ioannis Andoinſij vxori* (de quâ ſuprà) rediit, ad *Paulum* ſcilicet *Andoinſium*, qui vtramque ditionem *Dianæ* Andoinſiæ filiæ vnicæ, quam ex *Margarita Cannana* priori coniuge procreauerat, tranſcripſit. Hæc pariter *Antoninum Acrimontanum* Comitem, filium, ex Philiberto Acrimontano marito ſuſceptum, in iis ditionibus hæredem reliquit.

Dynaſtæ Lebretenſes.

Lebreti vicus, vnde Lebretiorum cognomen his Principibus inditum, in deſertâ illâ & arenoſâ Lãdarum, Burdigalenſium Regione, quę à Martianenſi Vicecomitatu Oceanum verſus porrigitur, conditus fuit: Hęc licet de reliquo ſterilis & frugum inops, leporum tamen ferax eſt & ex eo forſan nomen *Leporeti* vel *Lepreti*, (ſic enim in quibuſdam vetuſtis monumentis illud ſcriptum reperio) vico illi acceſſit, quod poſtea, longâ ſęculorum ſerie, corruptum in *Labritum* vel *Albretum* (vt hodie effertur) deflexit. Horum Principum originem ab Aquitaniæ Regis cuiuſpiam, Carolo Magno antiquioris, ſecundo filio repetit Renatus Chopin. lib. 2. de Doman. tit. 4. num. 13: Alij autem à Sanctione Ducis Gaſconiæ filio: Peſſimè omnium Andr. Fauynus lib. XI. hiſt. Nauarricæ, à Vicecomitibus Tartaſſienſibus, ſeu à Bigorræ Comitibus. *Amaneui* nominis, quod in eorum familiâ, ad auorum noſtrorum memoriam, veluti gentilitium manſit, veſtigium agnoſcere mihi videor in vno è Principibus illis Vaſconibus, qui Vaifario Aquitaniæ Duci, contra Pipinum Regem bellum gerenti,

fidem atque operam ſuam probarunt, inter eos enim Fredegarius *Amanugum* nominat Pictauienſem Comitem, in appendice Chronici ad annum 762. Vt vt eſt, antiquiſſimam eſſe Lebretenſium Dynaſtarum familiam non ambigitur: Horum ſoboles ab *Amaneuo Lebretio*, qui circa annum 1050 viuebat, ad *Arnaldum* vſque *Amaneui*, qui *Margaritam Borboniam*, Caroli V. Francorum Regis propinquam, vxorem duxit, maſculâ ſeriê perpetuâ propagata eſt. Fuit *Arnaldus Amaneui* Alani Lebretij Dynaſtæ abauus, qui ex *Franciſca* filiâ & hęrede Guilielmi Britanni Comitis Petrocorij & Vicecomitis Lemouicenſis plurimos liberos ſuſcepit: Horum natu maximus Ioannes Catharinam Fuxiam Nauarrę Reginam in matrimonio habuit vtriuſque progeniem ſubiecta tabula exhibet.

Ioannes Lebretius Nauarræ Rex. —— Catharina Fuxia Nauarræ Regina.

Ioannes. Andręas. Phœbus. Martin⁹. Phœbus. Bonauentura. Obiere infantes.	Henricus Rex Nauarræ Princeps Bearnij, Lebretij Dux primus: *Vxor* Margareta, ſoror Franciſci I. Francorum Regis.	Carolus obiit in obſidione Neapolitana anno 1528.	Anna deſponſa Comiti Candalæ, obiit anno 1532.	Iſabella nupta Renato Vicecomiti Roani.	Catharina deſponſa Brunſuicenſi Duci.	Quiteria Magdalena Moniales.

Ioanna, Nauarræ Regina Bearni & Lebreti domina nupſit Antonio Borbonio.	Ioannes obiit infans.

Henricus Rex Franciæ & Nauarræ.	Catharina nupta Henrico Lotharingo Barri Duci.

Integrum ſtemma gentis Lebretię lector expectare debet ab Andręa Ducheſnio, viro in omni hiſtorię parte conſummatiſſimo, vt eius ſcripta teſtantur, & norunt qui eius conſuetudine familiariter vtuntur.

Series

Series Comitum Fidentiacenſium, Armaniacenſium, Aſtaracenſium, Pardiniacenſiũ, & Vicecomitum Feſenſaguelli. Item de Comitatibus Gauræ & Magnoaci.

CAPVT XI.

FIDENTIACENSIS Comitatus (qui Armaniacenſem etiam pagum olim ambitu ſuo complectebatur) terminabatur ab ortu Dynaſtiâ Inſulanâ & Vicecomitatu Gimoëſij, à Meridie Comitatu Conuenarum & Aſtaracenſi, ab occaſu verò & à Septentrionibus Bigorrenſi Comitatu & Regione *Gaſconia* proprie dictâ. Vrbes in ea primariæ *Auſci* & *Fidentiacus* vicus, hodie *Vicfeſenſac*: quamuis autem vniuerſus pagus Auſcienſis in ditione Fidentiacenſium Comitum eſſet, ideòque etiam Auſcienſium Comitum nomen eis in vetuſtis monumentis ſæpè tribuatur, quia tamen oppidum ipſum *Auſcorum* olim ad dominium Archiepiſcopi pleno iure ſpectabat, Comites domicilium Fidentiaco vico elegerunt, primariâ arce illius Dynaſtiæ ibi conſtitutâ, quæ iamdiu bellis ciuilibus (vt pleræque aliæ totius Vaſconiæ) corruit. Cæterum pagus hic etiam tempore Caroli Magni Comitatus titulo inſignitus erat: Nam *Burgundionis* ac *Liutardi* Comitum Fidentiaci meminit vetuſtus Author vitæ Ludouici Pij ad annũ 802. Poſteriorum verò Comitum, qui è genere *Garſiæ-Sanctij* Vaſconiæ Comitis fluxere, ſeries hęc eſt.

Guilielmus-Garſiæ Comes Fidentiacenſis (qui, Carolo Simplici Rege, viuebat) tres reliquit filios *Othonem* ſiue *Odonem*, *Bernardum* (cui cognomentum *Luſci* tribuunt) & *Fredelonem* : quos omnes *Comitum* titulo inſignitos

QQq

comperio in vetuſtis tabulis, Lothario Rege, exaratis. Si Authori veteris monumenti Cartularij Auſcienſis, ſupra à nobis recitati, credimus, *Otho* Comitatum Fidentiacenſem, *Bernardus* verò *Luſcus* Armaniacenſem à patre accepere: ſed, vt de *Odone* verum ſit ipſum Comitem Fidentiacenſem fuiſſe, in eo certè quod *Bernardum* cognométo *Luſcum* Armaniacenſem Comitem facit author ille, hęreo; Cum *Luſcum* Fidentiacenſem Comitem fuiſſe, aliis monumentis antiquioribus mihi conſtet: itaque parùm abeſt, quin cognomentum *Luſci*, *Odonis* fratri detractum, ipſius filio nomine pariter *Bernardo* adiudicem.

Otho Comes Fidentiacenſis filium reliquit *Bernardum-Othonis*, qui à nonnullis cognomine *Mancus-tinea* dicitur, licet veriùs fortaſſe *Luſcus* diceretur: eòque author & conditor Monaſterij ſanctiOrentij in Auſcienſi ciuitate.

Bernardus-Othonis Comes Fidentiacenſis filium habuit *Aimericum* in Comitatu ſucceſſorem, & filiam pręterea, quę primùm *Arnaldo Pradueronenſi*: deinde eo mortuo, *Arnaldo-Guilielmo Trembledio* nupſit.

Aimericus Comes Fidentiacenſis duos procreauit filios, *Guilielmum* cognométo *Aſtanouam* & *Raimundum-Aimerici*, qui ex *Aurianâ Motanâ* vxore filium ſuſcepit *Arſiuum*, *Monteſquiui* Dynaſtam, caput ſtirpis *Baronum Monteſquiuenſium*.

Guilielmus cognomento *Aſtanoua* duas duxit vxores; quippe priori repudiatâ, *Conſtantiam* in matrimonium accepit. Filios reliquit *Aimericum* cognomento *Fortonem*, & *Bernardum*. In quibuſdam Auſcienſis Eccleſię Tabulis, Raimundus Archiepiſcopus Auſcienſis auunculus Guilielmi Comitis dicitur: ſed vtrius, patris ſcilicet,

an verò matris frater eſſet, non liquet : nam etiam pro patruo, eo ſęculo, *auunculi* vocem vſurpatam fuiſſe, pauci in his litteris verſati ignorant.

Aimericus, aliàs *Forto*, Comes Fidentiacenſis, ex *Biuernâ* vxore (quę iam ex alio marito filium ſuſceperat *Raimundum*, qui Archiepiſcopus Auſcienſis fuit,) liberos habuit *Aſtanouam* & *Arnaldum-Aimerici*, Prępoſitum Auſcienſis Eccleſiæ. Viuebat Aimericus annis 1088 & 1094.

Aſtanoua, *Aimerici-Fortonis* filius, Comes Fidentiacenſis, tempore belli ſacri Hieroſolymam petiit, filiam reliquit hęredem nomine *Azalmus*.

Azalmus Comitiſſa Fidentiacenſis, cui viro nupſerit incompertum eſt. Obiit ſuperſtite filiâ *Benetrice* ſeu *Beatrice*, quę ipſi ſucceſſit.

Benetrix ſeu *Beatrix* Fidentiacenſis Comitiſſa, nupſit, vt arbitror, *Gaſtoni Vicecomiti Bearnenſi*, Petri Gauarreti & Guiſcardæ filio. Obiit ſine liberis, ſucceſſitque ei, in Comitatu Fidentiacenſi *Geraldus* Comes Armaniacenſis, nomine (quantum coniectura colligere poſſum) liberorum, ex vxore, ſorore, vel materterâ Benetricis procreatorum.

Comites Armaniacenſes.

ARMANIACI Comitatus partem illam veteris Fidentiacenſis Pręfecturæ occupat, quæ Septentriones ſpectat. Vrbes notiſſimę in eo *Nogaroliũ* & *Baſtita*, ab hinc CCCL. circiter annos condita. Alię inter ignobiles *Anianum*, *Riſcla*, *Barcelona*. *Eluſanus* quoque pagus ad Armaniacenſem ditionem pertinet, cuius oppidum *Eluſa* & vicus *Mantietum*, ſola ſunt quę referre conueniat; A Guilielmo-Garſię Fidentiacenſi Comite hanc ditionem

à reliquo corpore abſciſſam, Bernardo filio natu minori traditam fuiſſe, ante indicatum eſt: id modò reſtat, vt Bernardi progeniem & poſteros explicemus.

Bernardus 1. Comes Armaniaci dominabatur huic regioni ſub Rege Lothario & Bernardo Auſcienſi Archiepiſcopo, circa annum 960. Filium reliquit Geraldum, cognomento Trencaleonem.

Geraldus 1. cognomento *Trencaleon* Comes Armaniacenſis. Liberos reliquit Bernardum, cognomento Tumam Palerium, & Bracheutam nuptam N. Forceſij domino.

Bernardus 2. Geraldi filius, vulgò *Tumas Palerius*, fuit Arman. Comes ſub Sanctio Duce Vaſconiæ, circa annũ 1025. Fuit etiam Dux Gaſconiæ: Cuius tamen Prouinciæ poſſeſſione cedere, à Guidone Pictauienſis Comitis filio, armis coactus eſt. Dum in Gaſconiâ rerum potiretur, religionis ſtudio Comitatum Armaniaci Eccleſiæ Auſcienſis beneficiarium & vectigalem fecit. Ingraueſcente ætate Monaſterium *Sancti montis*, ad Aturrum amnem à ſe constructum ingreſſus, Cœnobiticæ vitæ ſe, in eo, addixit. *Vxorem* habuit *Ermengardim* atque ex ea filios Geraldum & Arnaldum Bernardum. Ad annum 1063 & vltra vita eius peruenit.

Geraldus 2. Tumæ Palerij filius, Comes Armaniaci, anno 1070. De huius vxore nihil habeo explorati, niſi quod Hiſpanam fuiſſe ex eo coniicio, quod in quibuſdam tabulis à *Maiorâ Muniâ* Sanctij Maioris Nauarræ Regis vxore, erâ 1103 confectis, dominæ *Geluiræ* Comitiſſæ de *Nogare* teſtis nomen adſcriptum lego. *Nogarolium* autem oppidum (vulgò *Nogaro*) Armaniaci Caput eſſe iam dixi. Filios reliquit Geraldus *Bernardum* & *Guiraldum*.

Bernardus 3. Comes Armaniaci anno 1103. *Vxor* Alpaſia filia *Boſonis Turenæ* Vicecomitis, ex Gerbergâ vxore. *Liberi* Giraldus & Otho & filiæ N. N.

Geraldus 3. Bernardi filius Comes Arman. anno 1140: *Vxor*, è genere, niſi fallor, Comitum Fidentiacenſium. Liberi *Bernardus*; & *Otho*. Hic etiam Comitatum Fidentiacenſem, mortuâ *Benetrice* ſeu *Beatrice* Comitiſſa, conſequutus eſt.

Bernaldus 4. Geraldi filius, Comes Arman. & Fident. annis 1167, 1175 & 1188. Huius vxorem fuiſſe arbitror *Stephaniam*, matrem *Mariæ* Monaſterij Carrizienſis authoris, quæ in diuarum numerum relata creditur: de ea hæc narrat Philippus Seguinus Chaliſius Monachus Prior Monaſterij Caroli loci in Burgundiâ tit. de ſancta Maria in Carrizo Abbatiſsâ apud Chryſoſtomũ Henriques in Menologio Ciſtercienſi. *Maria virgo ex Regio ſanguine ſata, filia fuit dominæ Stephaniæ Armigniaci Comitiſſæ, quæ ſolitariam deſiderans vitam Monaſterio Beatæ Mariæ de Carrizo ſe incluſit: cuius etiam imitatione multæ Principiſſæ ſeſe puriori vitæ addixerunt, Multæ denique fœminæ ipſius exemplum ſequutæ ſanctimoniæ laudes apud poſteros meruerunt: quanta verò cum perfectione ad ſummum virtutum culmen euecta fuerit, & in ſuas pro viribus præclaram morum reformationem transfuderit, ieiunia aſſidua, vigiliæ, orationes & alia rectæ vitæ inſtituta, quæ omnibus dum Abbatiſſæ munus obiret reliquit, ſatis fidem faciunt. Sepulta eſt cum Stephana matre ſua in medio Chori eiuſdem Eccleſiæ. Hoc Monaſterium ipſa proprijs ſumptibus extruxerat.* Filios reliquit Bernardus *Giraldum, Arnaldum Bernardum*, & *Rogerium*. Hujus inſuper filium fuiſſe veriſimile eſt *Petrum Giraldum* qui, Giraldo & Arnaldo Bernardo vitâ functis, pro Arma-

QQq iij

niacenſi Comite ſe geſſit.

Geraldus 4. Bernardi filius Comes Arm. & Fident. anno 1203 & inde vſque ad annum 1219, quo mortem oppetiit. Huius, vt puto, vxor fuit *Maſcaroſa*, cuius mentio extat in Necrologio Monaſterij ſancti Montis, filium reliquit Bernardum tenerâ ætate, & filiam, quæ Arnaldo Othonis Vicecomiti Leomaniæ nupſit.

Arnaldus Bernardus, ſucceſſit fratri Geraldo, excluſo Bernardo, fratris filio, potiebatur vtroque Comitatu Arm. & Fident. anno 1222.

Petrus Geraldus, ſucceſſit Arnaldo Bernardo, poſſidebatque Comitatum Arman. anno 1226.

Bernardus 5. Geraldi 4. filius tandem, extinctis patruis, paternas ditiones conſequitur: *Vxor*, vt puto, *Agneſia* Aragoniæ regno oriunda. Moritur ſine liberis anno 1245.

Bernardo mortuo, inter Arnaldum Othonis Vicecomité Leomaniæ, nomine filię *Maſcaroſæ* (quam ex vxore, Bernardi forore ſuſceperat) ius ſibi in hæreditate ipſius vendicantem, & *Geraldum* Bernardi patruelem, vtrumque Comitatum iure cognationis occupantem, non lis ſolum, verum graue & diuturnum bellum exarſit: ſed tandem pace inter eos, per Gaſtonem Vicecomitem Bearnenſem, conciliatâ, certa exinde & ſtabilis illorum Comitatuum poſſeſſio Geraldo permanſit. Fuit Geraldus filius *Rogerij* Vicecomitis Feſenſaguelli, fratris *Geraldi* huius nominis 4. Armaniacenſis Comitis, qui præter hunc Geraldum natu maximum filios habuit ex vxore, filia (niſi coniecturâ fallor) Amaneui Lebretenſis Dynaſtæ, *Amaneuum* Archiepiſcopum Auſcienſem & *Arnaldum-Bernardum*.

Geraldus 5. huius nominis Armaniacenſis & Fiden-

tiacenſis Comes(vterque Comitatus deinceps pro vnico reputabitur) vxorem habuit *Matham* filiam Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis, ex qua liberos ſuſcepit *Bernardum* in Comitatu ſucceſſorem, *Gaſtonem* Feſenſaguelli Vicecomitem, *Rogerium* Baronem Mauleonenſem, *Maſcaroſam*, quæ Arnaldo Guilielmo Barrano, N. quæ Bernardo Conuenarum Comitis filio, & *Matham* quæ Bernardo Trenqualeonis, filio Odonis Fimmarconij Dynaſtæ, nupſere. Obiit Geraldus anno 1285.

Bernardus 6. Comes Arman. Geraldi 5. filius: Duas habuit coniuges *Iſabellam* Lebreti dominam, Bernardi Ezij huius nominis 1. Lebreti Dynaſtæ, ex vxore Ioannâ Marchiâ, filiam atque hæredem: quâ ſine liberis mortuâ, *Ceciliam* Ruthenam in matrimonium accepit, quæ *Ioannem* peperit, & *Matham* Bernardo Eyzij, Amaneui Lebretij Dynaſtæ filio, nuptui collocatam. Habuit præterea Bernardus, filium naturalem *Ioannem*, qui è militiâ in Sacerdotium veniens, Patriarchæ Alexandrini dignitatem & Ruthenenſis Eccleſiæ procurationem à Romano Pontifice impetrauit. Obiit Bernardus annô 1319. die Veneris quæ diem feſtum Pentecoſtes proximè conſequuta eſt.

Ioannes 1. Comes Arm. Reginam Guttam Leomaniæ Vicecomitiſſam coniugem habuit, ſterilem: quâ vitâ functâ, nuptias cum Beatrice Claromontia iterauit, è quâ filium ſuſcepit cognominem, & filiam *Ioannam* quam Ioanni Biturigum & Aruernorum Duci collocauit, & *Matham*, quæ in Ioannis Girondæ Ducis, Aragonum Regis filij natu maximi, matrimonio fuit. Obiit anno 1373.

Ioannes 2. Ioannis 1. filius, ex vxore *Ioanna*, Rogerij Bernardi Petragoricenſis Comitis filiâ, liberos reliquit,

Ioannem, *Bernardum*, & *Beatricem*. Hæc primùm *Gaſtoni*, Gaſtonis Phœbi Fuxenſis Comitis filio, deinde eo mortuo, Carolo Vicecomiti, Barnabæ Mediolanenſis Principis filio nupſit. Filium inſuper reliquit naturalem *Ioannem* qui Archiepiſcopus primò Auſcienſis, deinde Rothomagenſis fuit. Obiit anno 1381.

Ioannes 3. Ioannis 2. filius *Margaritam* Conuenarum Comitiſſam matrimonio tenuit, quæ in eius toro duas filias enixa eſt. Altera illarum *Ioanna*, Guilielmi Amaneui Leſparræ & Roaſani Toparchæ. Altera *Margarita* Guilielmi 3. Narbonenſis Vicecomitis connubium ſortita eſt. Obiit in Italia (quò Galeatio Mediolanenſi Principi bellum illaturus cum copiis traiecerat) 8. Kal. Aug. anno 1391.

Bernardus Ioannis 4. frater, fratre mortuo Armaniacenſem Comitatũ accepit, Franciæ etiam conſtabularij dignitate auctus. Ex vxore *Bona* Ioannis Bituricenſis Ducis filiâ procreauit *Ioannem* in Comitatu hæredem, *Bernardum* Pardiniacenſem Comitem, *Bonam* Caroli Aurelianenſis Ducis, & *Annam* Caroli 2. Lebretenſis Dynaſtæ vxores. Obiit Bernardus Lutetiæ Pariſiorum anno 1418. nefaria ſeditioſorum factione ſublatus.

Ioannes 4. Bernardi 7. filius, ex vxore *Iſabella*, Caroli Nauaaræ Regis huius nominis vltimi filiâ, liberos habuit *Ioannem*, *Carolum* (quorum vterque viciſſim, patre mortuo, Comitatu Armauiacenſi potitus eſt) *Mariam* Ioanni Alençonio Duci, & *Alienoram* Ludouico Cabilonio Principi Auriaco nuptas, *Iſabellam* denique, quæ inceſto Ioannis fratris matrimonio, Pij II. Pontificis Maximi decreto abire iuſſa, cœlibem exinde vitam duxit. Duos ad hæc reliquit Ioannes 4. filios naturales, *Ioannem* cognomento *Leſcunium*, qui Archiepiſcopatum

patum Auſcienſem geſſit, & *Ioannem* Comitem Conuenarum, Franciæ Mareſcallum & Aquitaniæ Proregem. Obiit circa annum 1451.

Ioannes 5. ex vxore *Ioanna*, Gaſtonis Fuxéſis Comitis, & Eleonoræ Nauarræ Principis filiâ, nullis ſuſceptis, liberis, anno 1472 Lactoræ à militib⁹ exercit⁹ Regij interficitur.

Carolus Ioannis 5. frater eiuſque hæres in Comitatu Armaniacenſi, Catharinam Fuxiam vxorem, ſterilem nactus eſt. Filium reliquit naturalem *Petrum*, quem *Cauſſadæ* Baronem inſtituit, fuitque pater Georgij Carnalis tit. ſancti Nicolai in carcere.

Gauræ Comitatus.

GAVRA Fidentiacenſis Comitatus, (cui ab ortu adhæret) pars olim fuiſſe videtur, eſtque inter ipſum, Vicecomitatus Leomanienſem & Gimoëſium, atque agrum Condomienſem interpoſita. Fortè hoc titulo poſſidenda conceſſa fuerat *Fredoloni*, Othonis 1. Fidentiacenſis & Bernardi 1. Armaniacenſis Comitum fratri: Cui ęquè Comitis appellationem aſcribit Vetus monumentum, Lothario Rege, exaratum. Poſterioribus ètiam ſæculis, ipſam *Comitatus* nomine & prçrogatiuâ tenuerũt, *Geraldus Caſalibonus, Ioannes Armaniacus* & *Carolus Lebretius:* Oppida in eâ *Florentia*, ab Euſtachio Bellomarcheſio, Præfecto Tholoſano, condita, *Simpodium* & *Saluitas.*

Vicecomites Feſenſaguelli.

Vicecomitatus Feſenſaguelli Caput *Malueſinum* oppidum eſt. Quicquid huius ditionis, ad diœceſim Epiſcopi Tholoſani ſpectat, id totũ Comites Tholoſani ſuo imperio vendicabant, cogebantque Vicecomites Feſenſaguelli, eo nominẽ ſe clientes ipſorum pfiteri. De

reſiduo autem, hi fidem ſuam Fidentiacenſibus ac Armaniacenſibus Comitibus obſtringebant. Illorum Vicecomitum ſtemma à *Rogerio*, Bernardi 4. Comitis Fidentiacenſis & Armaniacenſis filio, duntaxat ordiri poſſumus.

Rogerius, Bernardi 4. Comitis Armaniacenſis filius natu minor Vicecomes Feſenſaguelli, anno 1220. *Vxor*, vt coniicio, filia Amaneui Lebretenſis Dynaſtæ. *Liberi* Geraldus, Amaneuus Archiepiſcopus Auſcienſis & Arnaldus Bernardus, qui vxoris *Veronicæ Bartanæ* nomine Auræ & Magnoaci ditiones in poteſtate habuit, fuitque interſectus ad Sũmum Podium anno 1272.

Geraldus Vicecomes Feſenſaguelli anno 1244, poſtea Comes Armaniacenſis & Fidentiacenſis. *Vxor* Matha Bearnia, è quâ plures ſuſcepit liberos. Horum *Gaſtoni* ſecundo genito Vicecomitatum Feſenſaguelli tradidit.

Gaſto Vicecomes Feſenſaguelli: dimiſſâ *Marquesâ*, Vicecomitiſſæ Leomaniæ filiâ, quam ſibi deſponderat, duxit *Valpurguim* Rutenam, quę ei Geraldum peperit & Maſcaroſam, Guitardo Lebretio Vicecomiti Tartaſſienſi poſtea nuptam. Valpurgui mortuâ, aliam quoque vxorem habuiſſe videtur Gaſto, Indiam Caumontiam, nullâ tamen ex ea ſuſceptâ prole, obiit anno 1320.

Geraldus 2. Vicecomes Feſenſaguelli: *Vxor* Ioanna filia P. Raymundi 1. huius nominis Comitis Conuenarum. *Liberi* Ioannes, & filia N. nupta Centullo Comiti Aſtaracenſi. Obiit circa annum 1339.

Ioannes, Geraldi filius & hæres: *Vxor* Margarita Caramania. *Liberi* Geraldus hæres, Ioanna nupta Ioanni Leuio Mirapiſcio Lagardano, & Matha vxor Vicecomitis Valerniæ. Obiit paulò pòſt annum 1390.

Geraldus 3. Vicecomes Feſenſaguelli: *Vxor* Anna Monlezunia Comitiſſa Pardiaci. *Liberi* Ioannes, & Arnaldus-Guilielmus. Ioannes cum Margaritâ Conuenarum Comitiſsâ infauſtas celebrauit nuptias: orto enim inter coniuges diſſidio, ſequutum eſt mox exitiabile bellum, quod Ioanni eiuſque parenti Geraldo & fratri Arnaldo Guilielmo extremam perniciem attulit. Obiere tam Geraldus pater, quàm ambo filij, circa annum 1403, in carcere Bernardi 6. Armaniacenſis Comitis, qui ſubinde Feſenſaguellum ſuæ ditioni applicuit.

Aſtaracenſes & Pardiniacenſes Comites.

ASTARACI ditio Armaniacenſi, Fidentiacenſi, Bigorrenſi & Cóuenenſi Comitatibus cingitur. Vrbs illius primaria *Miranda*, Philippo Pulchro Rege, Euſtachij Bellomarcheſij Seneſcalli Tholoſani, Centulli Comitis Aſtaracenſis, & Abbatis ac fratrum Cœnobij Verdonarum auſpiciis, circa annum 1289 condita; Aliæ item non ignobiles *Caſtrumnouum Barbarenſij*, *Maſſylua*, *Simorra*. Comitum huius Dynaſtiæ originem à Garſia Sanctij curuo, Vaſconiæ Comite, pendere in eius ſtemmate indicatum eſt. Is enim filio poſthumo Arnaldo (cui eò quod ex vtero matris mortuæ exſecto auulſus eſſet *Nonnati* cognomen attributum fuit) ipſam hæreditario iure poſſidendam dedit, Arnaldi autem progenies hac ſeriê procedit.

Arnaldus-Garſiæ, cognomento *Nonnatus*, primus Comes Aſtaracenſis. *Liberi* Guilielmus, Garſias-Arnaldi. Arnaldus & Faquileno vxor Ramundi Dati.

Garſias-Arnaldi Comes Aſtaracenſis, filium reliquit Arnaldum.

Arnaldus 2. Comes Aſtaracenſis. *Liberi*, Guilielmus

Bernardus cognomento Pelagos, cui *Pardiniacus* ſeu *Pardiacus* pagus, Comitatus titulo, à patre conceſſus fuit. *Garſias-Arnaldi* (qui forſan Ricardæ Comitiſſæ Bigorrenſis maritus, eòque nomine Comes Bigorrenſis extitit) & Raimundus.

Guilielmus Comes Aſtaracenſis, *Vxorem* duxit conſanguineam, mulierem nobilem, quam tamen, Garſiæ Archiepiſcopi Auſcienſis execrationibus deuinctus, poſtea dimiſit. Filium reliquit Sanctium.

Sanctius Comes Aſtaracenſis. *Filius* Bernardus.

Bernardus Comes Aſtar. pater Sanctij 2.

Sanctius 2. Comes Aſtarac. Viuebat anno 1155.

Boamundus Comes Aſtarac. *Vxor* Rubea. *Filiæ*, Maria & Marcheſia, anno 1174.

Guibertus Comes Aſtar. circa annum 1200.

Centullus Comes Aſtarac. Hic anno 1212. interfuit prœlio illi memorando, quod à Regibus Hiſpaniæ contra Mauros ad *Nauas Tholoſæ* factum eſt. *Vxor* Siguis. *Liberi* Centullus & Bernardus. Viuebat etiam anno 1233.

Centullus 2. Comes Aſtar. anno 1244. *Vxor* Petrona, filia Bernardi Comitis Conuenarum, ex Maria Montiſpeſſulani domina. Caruit prole.

Bernardus 2, Centulli 2. frater, Comes Aſtar. anno 1258. *Vxor* N. è qua natus eſt ei filius Centullus 3.

Centullus 3. Comes Aſtaracenſis anno 1280: *Vxor* Aſſalida, *Amaneui* Lebretenſis Dynaſtæ, ex vxore *Matha Burdigalæâ* filia. *Filius* Bernardus 3.

Bernardus 3. Comes Aſtaracenſis, anno 1300: *Vxor* Matha filia Rogerij Bernardi Comitis Fuxenſis & Vicecomitis Bearnenſis, ac Margaritæ Bearniæ eius vxoris. *Filius* Bernardus.

Bernardus 4. anno 1324 duxit vxorem *Agnetem*, fi-

liam Galterij Baroſſæ domini & Tyburgis Inſulanæ eius vxoris: deinde eâ mortuâ, matrimonio ſecum iunxit *Ceciliam* Bernardi Conuenarum Comitis filiam, è qua natus eſt Centullus.

Centullus 4. Comes Aſtarac. anno 1331, *Ceciliâ* matre ipſius tutelâ fungente: *Vxor* N. filia Geraldi Comitis Feſenſaguelli. *Liberi* Ioannes, Cecilia (vxor 1. Raimundi Bernardi Durofortij, deinde Iordani, Inſulæ Comitis) & alia nupta Bertrando Motano Bruchij Domino.

Ioannes Centulli 4. filius Comes Aſtar. anno 1374. *Vxor* 1. Maſcaroſia Bartana. *Altera* Philippa, è qua naſcitur Ioannes 2.

Ioannes 2. Comes Aſtarac. anno 1430: *Vxor prior* Ioanna Barbazana, Arnaldi Guilielmi Barbazani & Sibillæ Montaltiæ filia, quæ filiam peperit Catharinam, Petro Fuxio, Lautreci Domino nuptui collocatam. *Vxor poſterior* Ioanna Caudarraſia, Raimundi Arnaldi Caudarraſij Baronis, ex vxore Iſabellâ Caſtronobâ Bretenouſia filia natu minor. *Liberi* ex eâ Ioannes 3. & Maria vxor Caroli Lebretij Sanbaſilienſis Toparchæ.

Ioannes 3. Comes Aſtar. 1470: *Vxor* Maria Chambeſia; *Filiæ* ex eâ, Matha vxor Gaſtonis Fuxij Candalæ Comitis, quæ patri ſucceſſit in comitatu Aſtaracenſi, Iaquelina vxor Antonij Mallini nobilis Picardi, & Magdalena nupta Franciſco comiti Vertuſio Auaugurij Dynaſtæ.

Matha Aſtaracenſis Comitiſſa, in matrimonio Gaſtonis Fuxij Candali, plures habuit liberos, quorum deſignatio, ad ſtemma Gentis Candaleæ pertinet.

Comites Pardiacenſes.

PARDINIACENSES pagus, vulgò *Pardiacum*, in occiduâ parte Comitatus Aſtaracenſis (cuius portio olim

fuit) intrà ipſum Fidentiacenſem & Bigorrenſem Comitatus iacet. Huius vrbes *Bellomarcheſium* & *Marciacum*, ab E. Bellomarcheſio & H. Marciaco, Præfectis quondam Tholoſanis, ipſarum conditoribus, nomen accepere. Pardiacum, princeps cum Comitatus titulo obtinuit *Bernardus* cognomento *Pelagos*, Arnaldi-Garſiæ 2. huius nominis Aſtaracenſis Comitis filius, natu minor, eumque ſuis poſteris tranſcripſit hoc ordine.

Bernardus cognomento *Pelagos* 1. Comes Pardiacenſis viuebat ſub *Sanctio* Vaſconiæ Duce, circa annum 1025. Filium reliquit Otgerium.

Otgerius, Comes Pardiacenſis, viuebat anno 1088. *Liberi* Vrſetus, Arnaldus, VVilielmus & Aimericus.

Guilielmus, Otgerij filius, Comes Pardiacenſis, filium reliquit Boamundum.

Boamundus Comes Pardiacenſis. Hic ſi idem eſt cum Boamundo Aſtaracenſi Comite, *Vxorem* habuit Rubeam filias Mariam ac Marcheſiam: at ſi diuerſus ab eo, nihilominus vix longiùs proceſſiſſe ipſius virilem ſtirpem indicio eſt *Monlezunij* ſeu *Montelugdunij* cognomen, à poſterioribus Comitibus adſcitum, quod ipſos à Monlezunia in Pardiacenſem familiam tranſiiſſe arguit.

Augerius à Montelugduno Comes Pardiacenſis, circa annum 1200.

Arnaldus VVilielmi à Montelugduno, Comes Pardiaci. Obiit anno 1225.

Arnaldus VVilielmi 2. Monlezunius Comes Pardiaci, anno 1280. Ad annum 1290 fit mentio eius filij Arnaldi VVilielmi iam puberis, cuius matre vitâ functâ, aliam vxorem duxiſſe videtur pater, *Agnetem* filiam & hęre-

dem Odonis Virani & Ordani domini, quæ anno 1314 obiit.

Arnaldus VVilielmi 3. Monlezunius: *Vxor* Guiralda filia & hæres Odonis Virani & Ordani domini & Agnetis ſoror, quæ anno 1329, coniux verò Arnaldus VVilielmus anno 1340 obiere: *Liberi* è Guiralda, Arnaldus VVilielmus & Mabilia, quam pater Arnaldo Guilielmo, Barbazani Dynaſtæ connubio iunxit, anno 1326.

Arnaldus VVilielmus 4. Monlezunius Comes Pardiaci. *Vxor* 1. N. Durofortia, Indiæ Durofortiæ Clarimontis dominæ ſoror, ſterili coniugio, marito præmortua. *Vxor* 2. Alienor Peraltana ſumo in Aragoniâ loco nata. *Liberi* ex eâ *Ioannes*, immatura morte prereptus, *Anna* patris hęres, & *Gaillarda* Fimmarconio Dynaſtæ coniugio iuncta. *Vxor* 3. Mabilia Lebretia, Amanєui Lebretij, Vertulli Dynaſtæ, ex vxore Mabilia Langoiranâ filia, ex quâ nulli liberi. Obiit Arnaldus VVilielmus XVII. Kal. Septemb. anno 1377.

Anna Monlezunia Comitiſſa Pardiaci, virum ſortita eſt Geraldum Feſenſaguelli Vicecomitem, in cuius thalamo duos enixa eſt filios *Ioannem* & *Arnaldum Guilielmum*: ambos vnà cum parte *Geraldo*, poſt *Annæ* mortem. *Bernardus* 7. Armaniaci Comes, bello ſociali captos, tametſi neceſſitudine ſibi coniunctos, carceri incluſit, ibique morte conſumi paſſus, ipſorum bona iure vel iniuria inuaſit. *Pardiaci* Comitatus, poſt Bernardi mortem, ipſius filio, natu minori, patri cognomini, pro ratâ portione hæreditatis paternæ obuenit: vnde noua rurſus Pardiacenſium Comitum propago emerſit.

Altera ſeries Comitum Pardiacenſium è genere Bernardi 7. Armaniacenſis Comitis.

Bernardus, Bernardi 7. Comitis Armaniacenſis, Franciæ Conſtabularij, ex vxore *Bonâ Bituricâ* filius natu minor, Comes Pardiacenſis anno 1420. *Vxor* Eleonor Borbonia, Marchię Comitiſſa. *Liberi* Iacobus, hęres vtriuſque parentis & Ioannes Epiſcopus Caſtrenſis.

Iacobus Armagnacus Nemoroſi Dux, Comes Pardiacenſis & Marchię. *Vxor* Aloyſia filia Caroli Andegaui Cenomanenſis Comitis *Liberi, Iacobus*, mortuus impubes, *Ioannes* Dux Nemoroſius, qui ex *Iolandâ Hayanâ* vxore nullos edidit liberos, *Ludouicus* Comes Guiſius, qui cœlebs vixit atque in regno Neapolitano dum Galliæ Regis Vicarij munere fungitur, occubuit. *Filiæ, Margarita* Petro Rohanio Giæo Franciæ Mareſcallo, *Catharina* Ioanni Borbonio Duci, & *Carlota* Carolo Rohanio Giæo, Petri Giæi Mareſcalli filio, nupta.

De Magnoaci Pago.

Magnoacensis pagus, qui in nonnullis priſcis monumentis *Maiennacenſis* dicitur, Aſtaracenſis regionis, cuius lateri à Meridie adiacet, pars quondam fuiſſe videtur: ad Septentriones Comitatui Conuenarum oppoſitus eſt, ab ortu eodem Conuenarum Comitatu, ab occaſu verò Bigerronum Regione terminatur. Comitatus nomen alias ideò forſan tulit, quod eo titulo alicui liberorum minori natu Arnaldi 1. ſeu Arnaldi 2. vel alterius Aſtaracenſis Comitis, in diuiſione communis patrimonij, obtigerit. Vrbes in eâ ſeu veriùs vici *Caſtrum nouum* & *Monleonum*. Illud in ditione Bartanorum Auræ Dynaſtarum, à multis ſæculis, fuit: At Monleonum cum

cum circumiacenti agro, Armaniacenſes Comitis, iam inde à Geraldo 4, Toparchas habuit. In Eccleſiaſticis ſubeſt *Magnoacum* Archiepiſcopo Auſcienſi.

De Comitatibus Bigorræ & Conuenarum & de Gaſconiâ Tholoſanâ, cum Catalogis Comitum, Vicecomitum, atque Pontificum illarum Ditionum.

CAPVT XII.

BIGORRÆ regio (cuius populos *Bigerriones* vocat Cæſar, Plinius *Begerros*, Auſonius *Bigerros*) à Pyrenæis montibus, qui Aragoniæ fines attingunt, incipit: indéq; per lætam & frugiferam conuallem, verſus Septentriones ad propinqua Confluentis Aturri & Arroſij amnium loca deſcendit. Ab altero latere, ad Occidentem, Bearnenſem Vicecomitatum habet obiectum: ab altero verò, ad ortum (quà collibus exſurgit neque aſperis, neque infœcundis) Conuenarum Comitatui & Magnoacenſi Pago continens eſt. Hâc autem Bigorræ deſcriptione continentur etiam Pagus *Riparia inferior*, vulgò *Riuiere baſſe* dictus, & Vicariatus *Maliuicini*, qui ab omni memoriâ illi cohærentes, ante trecentos circiter annos diſtracti ſunt. Illum *Guilielma* Bearnia, Philippo Pulchro regnante, pro ratâ portione hæreditatis matris *Mathæ* Bigorrenſis, abſtulit & ſorori *Mathæ* Armaniacenſi Comitiſſæ eiuſque hæredibus moriens reliquit; *Malumuicinum* verò, & quicquid hodie ipſius Vicariæ nomine cenſetur, Rogerius-Bernardus Fuxenſis, Vicecomes Caſtriboni, à Philippo Valeſio Rege, in præmium rei contra Anglos benè geſtæ, extorſit. Continet Bigor-

SSſ

ra duos Vicecomitatus veteres, *Leuitanenſem* & *Aſterienſem*, vtrumque in radicibus Pyrenæi ſitum. Montanerenſis autem Vicecomitatus, qui pariter ad hunc olim Comitatum pertinebat, nunc Principatus Bearnenſis portio eſt. Oppida inſignia Bigerronum *Tarba*, Caput gentis, vbi vetus caſtrum, *Bigorra* (nunc la *ſede*, à ſede Epiſcopi ibi conſtitutâ, nuncupatur:) *Vicus Bigerronum*, vulgò *Vic Bigorre*; & *Vicus Aquenſis*, hodie *Bagneres*, à Thermis ſeu Aquis ſalubribus, quas ſinu ſuo emittit, id nomen adepta. Harum vſus non recens, ſed antiquus & Romanis etiam, illa Regione potientibus, cognitus atque vſurpatus fuit, vt ex Aquenſium cognomine eiuſdem vrbis ciuibus in veteri inſcriptione attributo, & ex votis Nymphis, pro ſalute accepta redditaque, ſolutis elicitur.

Vetus lapis domus cuiuſdam Bagneriarum vrbis parieti, iuxta portam ſalariam, affixus.

I. NYMPHIS
PRO SALV-
TE SVA SE
VER. SERA-
NVS V.S.L.M.

Alia etiam venerandæ vetuſtatis veſtigia, vicinus iſti vrbi ager oſtentat: *Poſaco* monte, inter veteris Columnæ rudera, iacet lapis his litteris notatus.

II. MARTI
INVICTO
CAIVS
MINICIVS
POTITVS
V.S.L.M.

At bina marmora, quæ Campeſtri vico, *Aſcâ*, in Vicecomitatu Aſterienſi, non procul Bagneriis, proſtant, Numinis cuiuſdam, Bigerronibus culti, nomen hactenus ignoratum aperiunt: alterique eorum diſci atque vrcei figura inſculpta eſt.

			DEO
III.	AGHONI	IIII.	..GHONI
	DEO		..AVLINI
	LABVSIVS		..AVRINI
	V.S.L.M.		V.S.L. M.

In confini præterea Bagneriis monte, nummi aurei nuper reperti ſunt, Alterâ parte *Tiberij* capitis effigiem geſtantes, In ambitu vero hæc verba TI. CÆSAR. DIVI AVG. F. AVGVSTVS: in auersâ verò, Pontificis figuram ſellę inſidentis, Pontificium pedum manu dextrâ, ſiniſtrâ verò virgam tenentis, aſcriptis his verbis PONTIFEX MAXIMVS.

Comites Bigorrenſes.

DONATVS LVPI, Comes Bigorræ, ſub Ludouico Pio Rege.

Faquileno, Comitiſſa Bigorræ.

Dato Donati, Comes Bigorræ, Carolo Caluo Rege.

Lupus Donati.

Raymundus, anno 945 & 955.

Ludouicus, Raymundi filius: *Vxor* Amerna ipſius cognata, viuebat anno 1109.

Garſiarnaldus, Comes, ſub Sanctio Vaſconiæ Duce, circa annum 1025. Proprio an *Ricardæ Comitiſſæ* vxoris iure, incertum.

Bernardus-Rogerij, anno 1036: *Vxor* Garſendis. *Filia* Gerberga, quæ Ramiri I. Aragonenſis Regis coniugium adepta eſt.

Bernardus 2. Hic vnà cum vxore *Clementiâ*, anno 1062 ſe ſuoſque poſteros Bigorræ Comites, erga Eccleſiam Anicienſem, clientelaris officij nexu deuinxit.

Beatrix, Comitiſſa Bigorræ, Centulli Bearnenſis Vicecomitis coniugium iniit, duoſque in eius toro liberos edidit, *Bernardum Centulli* & *Centullum*. Centullo marito circa annum 1077 mortuo, Beatrix aliquot annis ſuperſtes fuit: viuebatque temporibus *Vrbani* 2. P. M. qui anno 1088 Eccleſiam Catholicam adminiſtrare cœpit.

Bernardus-Centulli, Beatrici matri ſucceſſit, viuebat circiter annum 1100.

Centullus, poſt fratrem *Bernardum Centulli*, Bigorræ Comes, anno 1120.

Beatrix, Centulli filia, Comitiſſa Bigorrẽſis anno 1140, nupſit *Petro Martianenſi* Vicecomiti & filiũ peperit *Centullum* 2. Petri & Beatricis ætate inſtitutum fuit Cœnobium *Scalæ Dei* in loco Bigorræ, *Cabatur* dicto, vnde poſtea, anno ſcilicet 1147, in eum ſitum, quem modo occupat tranſlatum fuit. Ex huius Cœnobij radice pullularunt pleraque alia tam in Gaſconia, quàm in Hiſpania, longè celeberrima, *Sacræ meniæ*, nimirum, *ſancti Prudentij*, *Fiterij*, *Oliuæ*, *Berolæ*, *Ferrariæ*, *Buxeti*, *Floratzi Portæ gloriæ* & *montis ſalutis*. Eiuſdem verò fratres, magnis beneficiis ornarunt Petrus & Beatrix: ibique deinceps fuit conſtitutum Bigorræ Comitum ſepulchretum. In Martianenſi inſuper pago Petrus, Præmonſtratenſis Ordinis Fratribus, Monaſterij *Gratiæ Dei* (quod nunc *Sancti Ioannis Caſtellæ* dicitur) fundamenta iacientibus, ſingularem adiutorem atque authorem ſe præbuit, conceſſo per beneficium fundo, in quo Monaſterium conſtructum fuit, aliiſque non paucis. Vita vtriuſque con-

iugis ad annum 1261. & longiùs perducta eſt.

Centullus, Petri & Beatricis filius, Comes Bigorræ anno 1175: *Vxor* Matella, Alfonſi 2. Aragoniæ Regis conſanguinea.

Stephania, Centulli & Matellæ filia ac hæres, duobus viris nupſit: 1° *Raimundo Arnaldi* Vicecomiti Aquenſi; vnde natus eſt *Nauarrus* Epiſcopus Coſeranenſis: deinde *Bernardo* Comiti Conuenarum, quicum dominabatur Bigorræ anno 1189: vnicam habuere filiam *Petronillam*.

Petronilla, filia Bernardi Conuenarum Comitis & Stephaniæ Bigorræ Comitiſſæ, multarum nuptiarum mulier fuit. Primas, cum *Gaſtone Vicecomite Bearnenſi* celebrauit, circiter annum 1190. Alteras, cum *Nunione* Sanctij Comite Cerretaniæ: Eôque ſuperſtite tertias, anno 1216, cum *Guidone Montfortio* Simonis Narbonę Ducis, Comitis Tholoſ. & Montisfortis Domini filio. *Liberi* ex hoc matrimonio *Alix* quę *Radulphi Teſſonij* coniux fuit, & *Perona*, ſiue *Peronella*, quę *Iordano* Chabaneſij Dynaſtę, *VVilielmi* filio, *Eſquibati* nepoti, & *VVilielmi Maſtaſij*, ac N. Chabaneſij Dominę pronepoti nupſit. *Aimericus Ranconius* quartus Petronillę vir fuit. Poſtremus verò, *Boſius Maſtaſius*, quæ Petronillam *Mathæ* filiæ matrem fecit. Hęc nubilis facta, alterius Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis, toro ſociata fuit. Obiit Petronilla anno 1250, filiâ *Mathâ* & duobus ex alterâ filiâ natu maximâ *Elide, Iordani Chabaneſij* vxore, nepotibus & totidem neptibus ſuperſtitibus, *Eſquibato*, *Iordano*, *Lorâ* Vicecomitis Turenæ & *Matildi* Philippi Flandri *Thierræ* Comitis vxoribus.

Eſquibatus, Petronillæ auiæ ſucceſſit in Comitatu Bigorræ: Cum tamen Gaſto Vicecomes Bearnenſis, Mathæ vir, aſſiduis bellis & ambitioſis ſeditioſorum coitio-

nibus incertam poſſeſſionem faceret, ad opem Simonis Monfortij Leyceſtriæ Comitis neceſſarij ſui confugere coactus fuit, cui poſtea, gratiam lati auxilij redditurus, Comitatum mortis cauſa donauit. Hic autem poſt aliquot annos ius ſuum Theobaldo Nauarræ Regi tranſcripſit. Obiit Eſquiuatus circa annum 1276. nullis ex vxore *Agnete*, Rogerij Fuxenſis Comitis & Bruniſſendis Cardoniæ eius coniugis filiâ, relictis liberis.

Conſtantia Gaſtonis Bearnenſis & Mathæ Bigorrenſis filia natu maxima, Eſquibatô mortuô, ipſius hæreditatem adiit, quam tamen non diu retinuit, *Ioannâ* Nauarræ Reginâ, quæ Philippo Pulchro Regi nupſit, poſſeſſionem Bigorræ ſibi vendicante, titulo donationis à Simone Leyceſtriæ Comite quondam Theobaldo Nauarræ Regi, Ioannæ patruo, factæ. Poſt obitum Ioannæ, illius Dynaſtiæ poſſeſſionem tenuerunt ipſius liberi Ludouicus Hutinus & Carolus Marchiæ Comes, deinde Ducatui Aquitaniæ cōiuncta māſit, ad annū vſque 1369, quo Eduardus Aquitaniæ Princeps eam Ioanni Graillio beneficij gratiæque causâ conceſſit: ſed breui inde, Caroli V. Franciæ Regis armis deiectus fuit, cuius nepos Carolus VII. anno 1425 Ioanni Comiti Fuxenſi, qui ex *Petronilla* Comitiſſa Bigorræ genus ducebat, ipſam reſtituit.

Vicecomites Leuitanenſes.

LEVITANIÆ Vicecomitatus Caput eſt *Lorda*, veteri arce munitiſſima inſignis. Huius ditionis Vicecomitum familiam antiquiſſimam eſſe declarat ſubiecta ſeries.

Anermanus, & *Anerilius* Vicecomites Leuitanenſes, ætate Raimundi Bigorræ Comitis, circa annum 950.

Fortanerius Vicecomes Leuitanenſis, temporibus Lu-

douici Comitis Bigorrenſis, circa annum 1000. & anno 1020: *Vxor* Vuiſola (niſi corruptum ſit nomen) *Filij* Garſias Fortonis & Guilielmus Fortonis.

Garſias Fortonis & Guilielmus Fortonis, tempore Bernardi Rogerij Comitis Bigorrenſis, anno 1040. Obiit Garſias ante fratrem Guilielmum, pluribus relictis liberis, Raimundo Garſiæ, Garſiâ, Theobaldo & Stephano.

Guilielmus Vicecomes Leuitanenſis cum fratris filiis *Raimundo-Garſiâ* & *Garſia* tempore Bernardi Comitis & Heraclei Epiſcopi Bigorrenſis, circa annum 1056.

Arnaldus Vicecomes Leuitanenſis. Anno 1114 Hiſpaniam ad bellum ſacrum contendit. Interfuit obſidioni Cæſarauguſtæ ſub Alfonſo 1. Rege Aragoniæ. *Vxorem* duxit *Oriam* Palliarienſem Comitiſſam è qua ſuſcepit Raimundum Rogerium. Alium etiam habuit filium (forſan ex aliâ vxore) Raimundum-Garſiam.

Raimundus-Garſias Leuitanus Vicecomes. *Vxor* Cornelia, Arnaldi Barbaſani filia.

Peregrinus Vicecomes Leuitanus. *Vxor.* Tigborſt. Odo ipſorum filius Cœnobiticam vitam amplexus eſt.

Raimundus-Guil. Leuitanus, anno 1253 & 1257. & *Raimundus-Garſias* Leuitanus, Caſtriloboni Dominus. Ex hoc fortaſſe proceſſere Caſtriloboni Dynaſtę, quorum ſtirps etiamnũ durat. Hi quoq; Vicecomites Leuitanenſes appellari ſolent, extinctâ iamdiu & deſitâ veterum Vicecomitum Leuitanię rectâ lineâ, aut ſaltem ceſſante ipſorum in Leuitania dominio, eoque Vicecomitatu cum Comitatu Bigorræ confuſo. Itaque, qui proximè ſequuntur Leuitanenſes Dynaſtæ, Caſtriloboni Domini cenſendi ſunt potius quam Leuitaniæ Vicecomites, licet ex horum genere orti.

Arnaldus Leuitanus, anno 1300.

Raimundus-Garſiæ Leuitaniæ Dominus, anno 1329.

Arnaldus Leuitanus, Dominus Caſtriloboni anno 1366 & 1392. *Vxor* N. liberi Arnautonus, & Bertranda vxor Ioannis Vicecomitis Aſterienſis.

Arnautonus Leuitanus, Caſtriloboni Dominus. In hoc, niſi fallor, maſcula ſeries Leuitanenſium Procerum defecit, tranſiitque Caſtriloboni Dynaſtia in gentem Lyoniam & Borboniam, cuius ſtemma luculentè à Scæuolâ & Ludouico Sammarthanis fratribus libro 16. cap. 32 & 33. Genealogiæ Regiæ Frãcicæ deſcriptum eſt.

Aſterienſes Vicecomites.

ASTERIENSIVM Vicecomitum familia, nulli alij totius Aquitaniæ, antiquitate generis, conceſſerit: conſtat quippe fuiſſe claram, iam tempore Caroli Calui Regis, ex vetuſtis tabulis, è re Monaſterij ſancti Orientij, in pago Leuitano conſtructi, factis, in quibus *Sanctij Aſterienſis*, Bigorrenſis Comitis *miſſi*, hoc eſt, Vicarij ſeu Legati, memoria extat. Aliis tabulis à Bernardo Comite Bigorrenſi & eius vxore Clementiâ, in vſum Eccleſiæ Anicienſis anno 1062 ſcriptis, *Guilielmi Aſterienſis* nomen adſcriptum legitur. Huic ordine ſucceſſere Arnaldus-Guilielmi, eius filius Augerius & Iſpanus nepos, in cuius poſteris, maſculis liberis non extantibus, Vicecomitatus Aſterienſis Agneti puellæ obuenit, quæ cum Sanctio-Garſiæ Aurano, qui è Guidone Bernardi Conuenarum Comitis filio natu minore genus ducebat, matrimonium cõtraxit. Ab hac ſtirpe recto ordine & maſculâ ſerie manant hodierni Aſterienſes Vicecomites: iidemq; ex alio capite Acrimontani Dynaſtæ, Lupanerij & Guiſſuni Comites. Nunc ad inceptam ſeriem redeo.

Arnaldus Vicecomes Aſterienſis, viuebat anno 1238.

Garſiarnaldus

Garſiarnaldus Vicecomes Aſterienſis, anno 1264.

Bernardus Vicecomes Aſterienſis anno 1283. *Vxor* N. *Liberi* Bernardus, & Agneſia *Hinſij* Domina.

Bernardus 2. Vicecomes Aſterienſis anno 1312. *Vxor* Sabarina Iuxana. *Liberi* Arnaldus, Bernardus, Arnaldus-Guilielmi.

Arnaldus, Vicecomes Aſterienſis, ex *vxore* N. reliquit *filium* Ioannem.

Ioannes Vicecomes Aſterienſis: *Vxor* Maſcaroſa Orbeſania. *Liberi* Garſiarnaldus, Braida.

Garſiarnaldus 2. Vicecom. Aſter. *Vxor* Agneſia, Guilielmi Garſiæ Aſterienſis, Baronis Hinſij filia. *Liberi* Ioannes 2. Bruniſſendis, Agneta.

Ioannes 2. Vicecomes Aſterienſis: *Vxor* Bertranda, filia Raimundi Garſiæ Vicecomitis Leuitanenſis ſeu Caſtriloboni. *Liberi* Ioannes 3. & Agneſia, *vxor* Bertrandi Hiſpani, Romifortij Domini. Obiit circa annum 1297.

Ioannes 3. Vicecomes Aſter. *Vxor* Maria Caupenia. *Filius* Sanctius-Garſias.

Sanctius-Garſias Vicecomes Aſter. *Vxor* Agneta Larbuſtia. *Liberi* Ioannes 4. & Menaldus Epiſcopus Tarbienſis. Periit in obſidione Garruzij Caſtri, in inferiori Nauarrâ, quo *Gaſtonem* Fuxium Bearni Regulum ſequutus fuerat, circa annum 1358.

Ioannes 4. Vicecomes Aſter. *Vxor* Ioanna, Gaſtonis Fuxij Comitis filia. *Liberi* Ioannes 5, Menaldus, Catharina, Franciſca, Agneta.

Ioannes 5. Vicecomes Aſter. Obiit cœlebs.

Menaldus Vicecomes Aſter. Ioannis 5. frater. *Vxor* Clara Acrimontana, Ioannis Acrimontani Dynaſtæ ſoror: quæ fratri ſine liberis mortuo ſucceſſit. *Liberi* Antonius, & Catharina, nupta Franciſco Baroni Mau-

leonio. Obiit Menaldus anno 1534, ſepultus Bañeriis in Cœnobio Dominicanorum Fratrum, à Maioribus ſuis inſtituto.

Antonius Vicecomes Aſterienſis, Dynaſta Acrimontanus & Giſſunij Comes: *Vxor* Helena Claromontiâ Trauana. *Liberi* Philibertus, Ioannes-Antonius, qui adoleſcens obiit, Theophilus Comes Tolonionius, Margarita *vxor* N. Durofortij Baronis Duracij & Suſanna nupta Marchioni Mompeſatio. Obiit anno 1576.

Philibertus, Comes Aſteriẽſis, Dynaſta Acrimontanus: *Vxor* Diana Andoinſia Leſcuni & Hagetimali Domina, Lupanerienſis Comitiſſa. *Liberi* Antonius & Catharina N. Caumontio Lauſunio Comiti nupta. Obiit anno 1580.

Antonius Vicecomes Aſterienſis, Dynaſta Acrimontanus, Comes *Lupanerij* & *Guiſſuni. Duas habuit vxores.* 1. Aloyſia Rocalauræa. *Liberi* ex eâ, Antonius Comes *Guiſſuni*, Rogerius Comes Lupanerienſis, qui ante patrem obiit. *Vxor altera* Claudia Momorantiaca Bouteuillæa. *Liberi* ex eâ Henricus Comes Tolonionius, Philibertus Abbas Sorduenſis & Leunſius, & filiæ Carlota N. & N.

Pontifices Bigorrenſes ſeu Tarbienſes.

ANTOMARIVS.

Fauſtus.

B. Licerius Fauſti Diſcipulus.

Aprus vel *Aper*, tempore Concilij Agathenſis anno 506.

Iulianus, ſubſcripſit Concilio Aurelianenſi 4, anno 541.

Amelius Matiſconenſi 2. anno 585.

Sarſtonus, anno 879.

Amelius, tempore Ludouici Comitis Bigorrenſis, circa annum 1000.

Bernardus, ſub eodem Ludouico Comite, circa annum 1009.

Ricardus, anno 1036.

Heraclius, annis 1056 & 1060.

Pontius, annis 1076 & 1088.

Bernardus Iſcraſcus, circa annum 1090.

Odo aliàs *Dodo*, circa annum 1096.

VVilielmus, tempore Bernardi Centulli Comitis, circa annum 1110. item anno 1142.

Bernardus Lobatus Monteſquiuius 1152 & 1164. tempore Alexandri 3. Pontif. Max.

Arnaldus Guilielmns Oſonus, tempore Centulli Comitis, circa annum 1176, & in Concilio Lateranenſi anno 1179.

Arnaldus Guilielmus Biranus, *Gaſtonis* Comitis Bigorrenſis & Vicecomitis Bearnenſis ætate, circa annum 1200, item annis 1216 & 1222.

Hugo Pardaillanus anno 1227. & inde ad annũ 1244, quo Archiepiſcopus Auſcienſis deſignatus fuit.

Arnaldus Raimundi Caudarraſus anno 1250. 1256 & 1257.

Arnaldus Milleſanctius, anno 1264.

Raimundus Arnaldi Caudarraſus, annis 1280, 83 & 1302

Geraldus Dulcetus, annis 1309 & 1313.

Anno 1314. vacat ſedes Pontificia.

Guilielmus Vnaldi Lantarius, anno 1316. & inde ad annum 1339.

Petrus Raimundus Montbrunus, anno 1340, 42 & 50.

Guilielmus, anno 1359.

Anno 1362. Eccleſia Pontifice deſtituta.

Bernardus, annis 1366 & 1372.

Gaillardus, annis 1366 & ſequentibus, vſque ad annum 1392.

Petrus Archiepiſcopus Auſcienſis à Gregorio XII. inſtitutus, adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ Bigorrenſis annis 1406 & 1407.

Bernardus, annis 1408, 1410 & 1416.

Bonus Homo, anno 1422.

Raimundus-Bernardi, anno 1428.

Ioannes, annis 1432 & 1434.

Rogerius, è genere *Gaſtonis* Comitis Fuxenſis & Bigorrenſis, anno 1144, & inde ad annum 1453.

Petrus Fuxius Cardinalis, adminiſtrator Eccleſiæ Tarbienſis.

Arnaldus-Raimundus Palatzius, anno 1472.

Menaldus Auranus, Aſterienſis Vicecomitis filius, ab anno 1481 ad annum 1496.

Thomas Fuxius, cuius tamen poſſeſſionem anno 1505 interpellauit *Rogerius Montaltus*, ius ſibi in Tarbienſi Pontificatu aſſerens, nihilominus hanc Eccleſiam rexit Thomas ad annum vſque 1512.

Menaldus Martorius, ab anno 1514 ad annum 1518. Fuit poſtea traductus ad Eccleſiam Coſeranenſem.

Gabriel Acrimontanus. Anno 1530 XIV. Kal. Ian. fit à Clemente VII. Pont. Max. Cardinalis Preſbyter tit. S. Ceciliæ. A Pontificatu Tarbienſi ad Pictauienſem, & inde ad Tholoſanum traducitur. Moritur VII. Kal. Iunij anno 1534, errant enim qui annum 1554 eius morti aſſignant.

Antonius Caſtronouanus.

Ludouicus Caſtronouanus.

Gentianus Belinus cognomento *Ambaſius*.

Saluatus Iharſius.

Saluatus Iharſius, ſuperioris Saluati fratris filius, hoc anno 1637.

Conuenarum Ciuitas & Comitatus.

CONVENAS dixerunt Latini eos, qui è diuerſis locis, in vna mœnia habitaturi conueniebant. Inde nomen Conuenarum in Gaſconiâ Ciuitati datum, è quâ Comitatus eiuſdem nominis appellationem traxit. *Cnæus* enim *Pompeius* (inquit B. Hieronymus cap. 2. libri aduerſ. Vigilant.) *edomitâ Hiſpaniâ ad triumphum ire feſtinans, Latrones & Conuenas de Pyrenæi iugis depoſuit & in vnum oppidum congregauit, vnde & Conuenarum Vrbs nomen accepit*. Plin. lib. 4. cap. 19. Aquitaniæ populos enumerans. *Aquitani*, ait, (*vnde nomen Prouinciæ*) *Sedibonates, mox in oppidum contributi Conuenæ.* Conuenarum vrbem *Lugdunum* vocant Strabo & Ptolem. Hanc ipſam *Lugduni* nomine deſignare voluit Auctor Itinerarij, cum iter ab Aquis Tarbellicis Tholoſam, per Lugdunum, & ab Aginno Lugdunum deſcripſit, quemadmodum obſeruauit Iacob. Sirmond. Notis ad Sidon. Nec opinione fallitur vir doctus, dum Lugduni ſitum in eo colle fuiſſe ſibi perſuadet, in quo nunc conſtituta eſt Ciuitas S. Bertrandi; Illud enim verum eſſe arguunt pleraque rudera, & murorum antiquæ ſtructuræ fundamenta, quæ in ſubiectis colli campis hodie viſuntur, & multò maioris, quam quæ nunc anguſtum ſummi collis ſpatium occupat, Ciuitatis veſtigia oſtendunt: Veteres item lapidum inſcriptiones ibi paſſim obuiæ, è quibus hîc pauculas exhibere libet.

Vetus Lapis muro Templi B. Mariæ vrbis S. Bertrandi Conuenarum affixus.

D. M.
PAVLAE
MATRI
PRIMVLA
ET PAVLVS
ET PAVLINVS.

Alius Lapis ibidem.

D. M.
ANDOS SIC
SALI. S. IVS
FIL. PIEN-
TISSIMO.

Alius Lapis nunc in ædem Franciſcanorum vallis Caprariæ illatus.

I. O. M.
L. POMPEIVS
MASCLINVS
V. S. L. M.

Alius in templo B. Iuſtæ columnæ lapideæ appoſitus.

P. LICINIO MOAV
IANI L. RVFIONI
HAVIENSONI.
HAL. SCOTARIS
FILIAE.

Alius pro foribus ſepulchreti eiuſdem Templi B. IVSTÆ.

V C. IVLIVS EROTIS
L. ATTICVS
Θ IVLIA EROTIS LIBERTE
SALVIOLA
Θ C. IVLIVS ATTIC. F VICTOR
AN. XVIII.

In iiſdem Campis Ciuitatis ſancti Bertrandi, ſeu vici vallis Caprariæ, qui illi continens eſt, effoſſus fuit, non ita pridem, alius lapis, magnâ ex parte rudis & impolitus, in cuius ſummô inſculpta eſt effigies vultus muliebris, torquem collo geſtantis, ſubtus autem figura ſeu lupi ſeu canis, cum hac Epigraphê Barbarâ.

ALFIA
LOHISI:I
BVLLVCA.

Cæterum non eſt audiendus Papyr. Maſſonus, dum in Notitia Epiſcopatuum Galliæ, aliam inſcriptionem, quæ in Ponte lapideo *Salato* amni impoſito, conſpicitur, Conuenarum oppido aſſerit: neque enim *Salato*, ſed *Garumna* fluuio alluitur Conuenarum ager, & *Salati* flumen, VII. Vaſconicis leucis ab hoc oppido remotum, Coſeranenſem vrbem præterfluit, in cuius ſuburbio eſt pons ille, qui inſcriptionem ſeruat. Hanc quia perperam à Maſſono deſcripta eſt, hîc ex fide, oculatus teſtis, repræſentabo.

MINERVAE
BELISANAE
SACRVM
O VALERIV..
MONTAN..

Solis Conuenis cum Auſciis ius latij à Romanis in Aquitaniâ datũ fuiſſe, diſcimus ex Strabone Geograph. lib. 4. Idem Author in Conuenarum Regione Thermas Oneſias præſtantiſſimas celebrat, quæ niſi eædem ſint cum iis quæ in Pyrenæis montibus *Bagneres de Luſſon* nuncupantur, probabile eſt ipſas vetuſtate exaruiſſe: Extant nihilominus ad ſeptẽ circiter milliaria à B. Bertrandi Fano Aquæ *Encauſsiæ*, potu ſaluberrimæ & totâ Galliâ celebres. Quam munita eſſet olim Conuenarum ciuitas, quamque difficilis ipſius expugnatio, docent illa quæ de rebus ad eam geſtis inter Guntramni Regis exercitum & Gundobaldum (qui ſe filium Clotarij Regis dicebat) necnon oppidanos, pro illo ſtantes, à Gregor. Turon. lib. 7. cap. 35. 36. 37 & 38. commemorantur: Eiuſdem

à Guntramni militibus euerſæ. excidium miſerabile exponit cap. 38 Gregor. his verbis. *Nocte verò ſequenti, ij qui primi erant omnes Theſauros, quos in Vrbe reperire potuerunt, cum miniſteriis Eccleſiæ clam abſtulerunt. Mane verò reſeratis portarum valuis, immiſſo exercitu, omne vulgus incluſum in ore gladij trudiderunt Sacerdotes quoque Domini cum miniſtris ad ipſa Eccleſiarum altaria trucidantes. Poſtquam autem cunctos interfecerunt, vt non remaneret mingens ad parietem, omnem Vrbem cum Eccleſiis reliquiſque ædificiis ſuccenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes.* Ipſius verò inſtauratæ beneficium debent Conuenæ B. Bertrando, ſuo Antiſtiti, teſte Vitali, Alexandri III. Romani Pontificis Protonotario, in Bertrandi vitâ, *Clauſtrum*, inquit, *fecit ... Canonicos inſtituit ſub regula S. Auguſtini, in monte quippe domus non erat, & ecce temporibus huius ſancti, meritis exigentibus ſuis, homines acceſſerunt & in monte Ciuitatem habitationis reædificarunt. Et locus qui multis temporibus deſertus fuerat habitatores recepit.* Inde eſt, quod relicto Lugduni & Conuenarum nomine, San-Bertrani appellationem Ciuitas iſta accepit.

Comitatus Conuenarum, ab ortu Pagis Coſeranenſi & Volueſtrio, ab occaſu Bigorrâ & Magnoaco, à Meridie Pyrenæis montibus & valle Aranâ, à Septentrionibus Aſtaracenſi Comitatu & Tholoſano territorio definitur. Vrbium clariſſimæ *San-Bertranus, Inſula Dodonis, San Gaudentius* & *Mons Regalis*: duæ tamen poſteriores, iamdudum à dominio & Ditione Comitum Conuenarum abſceſſerunt, & *Mons Regalis* cum vicino agro Leomanenſibus Vicecomitibus, San-Gaudentius verò & continentes aliquot vici Bearnenſibus Regulis paruerunt: ſed nos hîc veterem Comitatus Conuenarum

uenarum ſitum repræſentamus, ideòque etiam, non *Coſeranenſem* modo Pagum, verum *Mureti* quoque & *Sammathani*-Ditones, illius Comitatus finibus excludimus.

Stemma Comitum Conuenenſium.

VETERVM huius Regionis Comitum memoria, iniuriâ temporum & noſtrorum incuriâ Scriptorum excidit. Solum nobis licuit ex antiquo monumento, vnius nomen eruere *Raimundi*, qui ſimul cum germanis ſuis *Ludouico, Ademaro, Garſia* & *Amelio* Conuenis dominabatur, ætate Odonis Archiepiſcopi Auſcienſis, hoc eſt, circa annum 980. Erant hi fratres, filij *Enardi*, nepotes verò *Anerij*, quos pariter Comites Conuenarum fuiſſe arbitramur. De poſteris Raimundi, eiuſque fratrum nihil habeo perſpectum vel cognitum, vſque ad Bernardum, qui, anno 1138, & aliquot ante, Comitatum gerebat; id porrò vetuſtis Tabulis conſtat, Comites iſtos, Conuenarum Regionis dominium liberum & abſolutum, neminique Clientelari iure obnoxium tenuiſſe, ante annum 1244, quo Bernardus 4. eam inter beneficia Raimundi Comitis Tholoſani, huius nominis vltimi, cenſeri voluit, & ſic ex Alodio in feudũ mutauit; vt falli Petrum Beloium, in comment. ad Edictum Regium anni 1307, conſequens ſit, dum Comites Conuenarum, perinde ac Fuxenſes & Inſulanos à *Torcino* primo Tholoſano Comite inſtitutos fuiſſe, exindéque vniuerſos Comitibus Tholoſanis obnoxios manſiſſe pronuntiat.

Bernardus Comes Conuenarum, circa annum 1130. Interfectus ad *Sanggruntium* Coſeranorum oppidum, temporibus *Petri* Coſeranenſis Epiſcopi. Filium habuit

Bernardum. Huius etiam forſan filius fuit *Guido*, qui, nomine *Bertrandæ* vxoris, *Auræ* Dynaſta fuit, à quo poſtea *Bartanorum Auræ Dynaſtarum*, *Vicecomitum Aſterienſium & Larbuſtiorum Baronum* familiæ propagatæ ſunt.

Bernardus 2. an patri ſuperſtes fuerit ambigo. Vxor *N. ſoror Raimundi Tholoſæ Comitis*, filij Conſtantiæ. Liberi, *Bernardus*, qui in Comitatu patri vel auo ſucceſſit: & (niſi me fallo) *Rogerius* Comes Palliarenſis, Caput ſtirpis Coſeranenſium Vicecomitum, ac *Arnaldus* huius frater, *Dalmaſani* Dominus.

Bernardus 3. Comes Conuenarum Bernardi 2. & ſororis Comitis Tholoſæ filius, tres habuit *vxores.* Prima fuit *Stephania* Comitiſſa Bigorræ, è quâ vnicam ſuſcepit filiam, *Petronillam.* Altera vxor, *Maria* Montiſpeſſulani Domina, è qua natæ ſunt ei duæ filiæ, *Mathildis* & *Petrona.* Harum altera *Centullo* Aſtaracenſi Comiti, altera *Sanctio Bartano* nupſit. Poſteà tamen ob conſanguinitatem, quæ inter Bernardum & Mariam intercedebat, huius matrimonij Vinculum ſolutum fuit. Tertia vxor Bernardi erat *Beatrix*, quæ filios ei peperit *Bernardum*: & *Arnaldum-Rogerij*, qui Epiſcopus Conuenarum extitit. *Bernardi* 3. præterea filium fuiſſe arbitror *Bernardum Conuenenſem Saueſij* Dominum. Duxerat etiam Bernardus aliam vxorem *G. A. Bartani* filiam, ſed has nuptias Iudex Eccleſiaſticus irritas pronuntiauit. Obiit anno 1223.

Bernardus 4. Comes Conuenarum. Duas habuit vxores. Prior fuit Th. è quâ ſuſcepit filiam (forſan *Margaritam*, Henrico Comiti Rutenenſi nuptam.) Altera vxor, *Cecilia* Raimundi-Rogerij Fuxenſis Comitis filia. Liberi ex hâc: *Bernardus* 5. & *Arnaldus-Rogerij* ex Præpoſito Eccleſiæ Tholoſanæ, Epiſcopus eiuſdem deſigna-

tus, & à ſummo Pontifice conſecratus, Româ rediens, obiit in itinere anno 1297. Durauit Bernardus ad annum 1309 & vltrà.

Bernardus 5. Comes Conu. Vxor, *Lora Monfortia*, Philippi Monfortij, Caſtrenſis Comitis filia. Liberi, *Bernardus* 6: *Petrus-Raimundi*, Vicecomes *Serreriæ*: *Guido*: *Arnaldus-Rogerij*, primò Epiſcopus Lombarienſis, deinde Claromõtanus: *Ioannes-Raimundi*, qui Archiepiſcopus Tholoſanus & Cardinalis Portuenſis, ac ſanctæ Ruſinæ extitit: & *Simon* qui deſignatus Epiſcopus Magalonenſis obiit ante conſecrationem. Filiæ *Cecilia*, vxor Bernardi 4. Aſtaracenſis Comitis, & *Eleonor* vxor *Gaſtonis-Phœbi* Fuxenſis Comitis. Bernardus anno 1335 naturæ conceſſit.

Bernardus 6. Comes Conu. tres habuit vxores. Prima N. filia Bernardi 6. Comitis Armaniacenſis. Altera, *Margareta* Turenæ Vicecomitiſſa (ex neutra liberos habuit.) Tertia, *Matha*, Bernardi Iordani Inſulani Dynaſtæ filia, Bertrandi Inſulæ Comitis ſoror. Liberi ex eâ, *Ioannes* poſthumus, qui parum vixit: Cecilia vxor Iacobi Vrgelli Comitis & Vicecomitis Agereſij, filij Alfonſi IV. Regis Aragonum: *Margareta*, quę coniugio N. Reginaldi Pontij filij à parentibus deſtinata fuerat, ſed interim obiit: *Ioanna*, quæ Petro-Raimundi 2. huius nominis Comiti Conuenarum, patrueli ſuo, impetratâ à ſummo Pontifice veniâ, nupſit. *Helionardis* ſiue *Alienor*, vxor Guilielmi Bellifortij Turenæ Vicecomitis, *Matha* & *Beatrix* Cœnobio ſacrarum Deo Virginum à patre teſtamenti tabulis dedicatæ.

Petrus-Raimundi, Ioanni, Bernardi 6. fratris filio, in tenerâ ætate extincto, ſucceſſit in Comitatu Conuenarum, ſubmotis Ioannis ſororibus, Bernardi fratris &

Mathæ filiabus; quod grauis & exitioſi in hâc familia belli ſeminarium fuit: *Mathâ*, filiarum ius, ope & auxilio Bernardi-Iordani patris & Bertrandi fratris, vindicante. Anno tandem 1350, celebratæ inter Petrum-Raimundum, ſuperioris Petri-Raimundi filium, & *Ioannam*, Mathæ filiam, nuptiæ (procurante id Ioanne Cardinali, vtriuſque coniugis patruo) omnem hanc controuerſiam compoſuerunt, & Conuenarum populo exoptatam pacem attulerunt. Vxorem habuit Petrus-Raimundus 1. *Conſtantiam*, liberoſque ex eâ, *Petrum-Raimundi* 2. *Helionardim* (quæ Comiti Palliarenſi primùm connubio iuncta, eô vitâ functô, alteras, cum Guiraldo Motano, Bertrandi Motani Bouchagij & Claromontis Domini filio, nuptias confecit) & *Ioannam*, Geraldi Vicecomitis Feſenſaguelli & Bruleſij vxorem. Anno 1341 teſtamentum condidit, eôque ipſo è viuis exceſſiſſe videtur.

Petrus-Raimundus 2. Comes Conuen. Vxor *Ioanna*, Bernardi patrui filia. Liberi ex eâ *Helionardis*, primùm Bertrando Inſulæ Comiti, huius nominis 2, poſtea eo defuncto, *Ioanni* 2. Aruerniæ & Boloniæ Comiti nupta: *Margareta*, quæ parentibus in Comitatu ſucceſſit, & *Agnes* quæ innupta obiit. Teſtamentum condidit Petrus anno 1375, nec diu deinceps vixit.

Margarita Comitiſſa Conuenarum, tres ordine habuit maritos. Primum, *Ioannem* 3. Armaniacenſem Comitem, in cuius thalamo duas peperit filias, *Ioannam* & *Margaritam* (de vtriuſque coniugiis dixi in ſtemmate Armaniacenſi) Alter *Margaritæ* Comitiſſæ Conuen. vir fuit *Ioannes Armaniacus*, Geraldi Vicecomitis Feſenſaguelli filius natu maior, è cuius matrimonio breui diſceſſit. Tertius denique Mathæus Fuxius, Ioannis Comitis

Fuxij frater, à quo malè accepta & diutino carcere vexata, Carolum VII. Regem implorauit, atque ex authoritate illius libertate receptâ, huius beneficij gratiam, Carolum Comitatus hæredem ſcribens, rependit. Anno 1461 poſt Caroli patris interitum, Ludouicus XI Rex, hunc Comitatum, *Ioanni*, Armaniacenſis Comitis Ioànnis 4. filio notho, vtendum fruendum, filiiſque iuſto connubio procreandis, arbitratu ſuo, tranſcribendum conceſſit. Eô deinde, abſque maſculâ ſobolê, anno 1472, extinĉto, eundem Comitatum Rex denuò, *Odeto Aydio* Leſcuni Dynaſtæ pari lege tenendum tradidit: Cuius itidem virili prole, Henrici pronepotis morte (quæ circa annum 1548 accidit) deletâ, longo interuallo interruptam Conuenarum regionis poſſeſſionem fiſcus iure ſuo repetiit.

Bartani Dynaſtæ.

QVONIAM *Bartana* Dynaſtia, vulgò *la Barte*, quæ olim Vicecomitatus nomenclaturam tulit, *Auræ* quoque Ditio, quæ à quingentis circiter annis, in Bartanorum Dynaſtarum authoritate fuit, intra limites veteris Comitatus Conuenarũ conſiſtunt, non decuit nobilem hanc & antiquam familiam ſilentio hoc loco præterire.

Sancius Vicecomes Bartanus, annis 1076 & 1083. Frater *Aimericus*.

Augerius Bartanus, filius Sancij.

Arnaldus Bartanus, circa annum 1180. Filiam habuit G. quæ matrimonium Bernardi 3. Comitis Conuenarum iniit, quod tamen irritum fuit.

Geraldus Bartanus, primùm Epiſcopus Tholoſanus, deinde Archiepiſcopus Auſcienſis, fuit ex gente & familiâ Bartanorum Dynaſtarum, florebat annis 1160,

1190. & aliis proximè conſequutis.

Sanctius Bartanus, Auræ Dominus, circa annũ 1200, vixit ad annum 1227. Vxor *Matildis*, filia Bernardi Comitis Conuenarum, ex Mariâ Montepeſſulanâ. Filius Arnaldus-Guilielmus.

Arnaldus-Guilielmus Bartanus, Auræ & Magnoaci Dominus, vixit ad annum 1259. Filias reliquit *Veronicam* Arnaldo-Bernardo, Geraldi 5. Comitis Armaniacenſis fratri, anno 1263 nuptam, & *Bruniſſendam* Bertrandi Fumelli vxorem, quæ, ſorore præmortua, paternam hæreditatem adiit.

Bruniſſenda Bartana, cum Bertrando Fumello coniuge dominabatur Bartæ, Auræ & Magnoaco anno 1283. Vixit Bertrandus ad annum 1326. Liberi, *Arnaldus-Guilielmus*: *Bertrandus-Fumellus*: *Sibylla* Vxor Bertrandi Durofortij, Claromontis ſuperioris Domini: & *Gauſſanta*.

Arnaldus-Guilielmus Bartanus. Vxor *Maſcaroſa*, filia Geraldi 5. Comitis Armaniacenſis. Liberi, *Geraldus*: *Arnaldus-Guilielmus* Epiſcopus primò Lactorenſis, deinde Albienſis: *Rogerius Monteſquiui* in Caturcino pago Dominus. Filia N. Poiolſij Domino nuptæ. Duos inſuper reliquit filios nothos, vtrumque nomine *Guilielmum*.

Geraldus Bartanus, quatuor habuit vxores. 1. *Trenca Linhana*. 2. *Helienor Saluſſia*, ex qua nulli liberi. 3. *Miramonda Boneuillana*. 4. *Bruniſſena Lautrecia*. Liberos reliquit. *Ioannem* hæredem, *Sauram* nuptam Guigoni Rupis Domino, Vicecomiti Lautrecenſi; & *Maſcaroſam*, quæ Ioannis Comitis Aſtaracenſis vxor fuit. Obiit Geraldus anno 1352.

Ioannes Bartanus, Baroſſæ, Neſteſij, Ciutadeſij, Auræ

& Magnoaci Dynaſta. Vxorem duxit primò *Margaritam Madalhaniam Canconis* Baroniæ, in Agennenſi Pago, Dominatricem. Eâ mortuâ denuò aliam duxit, *Ioannam Lebretiam*, patre *Amaneuo* Lebretio Vertullij Dynaſtâ, *Berardi* Riuntij Domini filio, *Amaneui* Lebretenſis Dynaſtæ & *Roſæ* Burgenſis nepote, matre verò Mabiliâ Scoſſanâ Langoiranâ genitam. Ex neutrâ ſuſcepit liberos; Itaque moriens hæredem reliquit Armaniacenſem Comitem.

Pontifices Conuenarum.

SVAVIS, ſubſcripſit Concilio Agathenſi anno 506.

Præſidius, Concilio Aurelianenſi 2, anno 533.

Amelius, Aurelianenſi 5, anno 549.

Ruſinus, Matiſconenſi 2, anno 585.

Abrahamus, anno 788.

Inuolatus, anno 879.

Atonus ſiue *Atho*, circa annum 950.

Guilielmus, anno 1035.

Bernardus, anno 1056. Interfuit Concilio Tholoſano.

Guilielmus 2. anno 1068.

Bertrandus, Attonis Raimundi, Caſtri Iϛtij Domini, ex vxore N. ſorore *VVilielmi* Comitis Tholoſani, cognomento *Taillaferij* filius, anno 1086 & inde ad annum 1120. Fuit in Diuorum numerum relatus.

Rogerius, Nirus, annis 1130, & 1143.

Arnaldus.

Arſius, Concilio Lateranñ. anno 1179.

A. hoc eſt, idem *Arſius*, vel *Arnardus*, vir miræ ſanctitatis, ſtrenuam contra hæreticos Albigenſes anno 1212 operam nauabat. Videndus P. Vallis Sernenſis Monachus cap. 65. & 72 hiſtoriæ Albig.

G. hoc eſt *Geraldus, Guilielmus* vel *Garſias,* anno 1216, & inde ad annum 1227.

Arnaldus-Rogerij, filius Bernardi 3. Comitis Conuenarum, annis 1244 & 1246.

Frater Arnaldus, anno 1257 & anno 1260.

Geraldus, anno 1260.

Bertrandus, annis 1263 & 1265.

Bernardus, ab anno 1276 ad annum 1289.

Ab anno 1289, ad annum 1294 ſedes Pontificia vacat.

Bertrandus Guttus, anno 1097. Anno 1300 fuit traductus ad Epiſcopatum Burdigalenſem, & inde ad Pontificatum Maximum, aſſumpſitque nomen *Clement. V.*

Boſo Salignacus, ex Archidiacono Medulenſi fit Epiſcopus Conuenarum, gerebat id munus anno 1310.

Stotus, anno 1321.

Guilielmus, anno 1324. & inde ad annum 1336, quo Lutetiæ in conſeſſu Regis ſedebat, inter conſiliarios, teſte Ioan. Tilleto.

Hugo, ab anno 1337 ad annum 1350.

Bertrandus Cagnacus aliàs *Caniliacus,* ab anno 1354 ad annum 1371, quo ab Vrbano V. factus eſt Cardinalis. Obiit XIV. Kal. Iulij anno 1374.

Guilielmus, ab anno 1372 ad annum 1381.

Amalinus vel *Amalaricus* Lautrecus. Anno 1385 fit Cardinalis titul. S. Euſebij à Clemente VII. Obiit Auenioni VII. Id. Iunij anno 1390: *ex Ciacconio.* Anno 1375 Pontificatum Coſeranenſem gerebat.

Manaldus, ab anno 1393 ad annum 1408.

Geraldus Auranus, poſt Manaldi mortem, Epiſcopus deſignatur Canonicorum ſuffragiis anno 1422, Martinus tamen Pontifex Maximus Geraldi electionem, minimè gratam habuit, ideò ſcilicet, quia Canonicis antea

antea ſignificauerat placere ſibi eâ vice Epiſcopum arbitratu ſuo inſtituere: Itaque, reiecto Geraldo, Petro Fuxenſi Cardinali, quem nuper à Pontificatu Laſcurrenſi reuocauerat, Conuenarum Eccleſiæ procurationem perpetuam permiſit.

Petrus Fuxenſis Cardinalis, annis 1426, 30, 33 & 37 Eccleſiam Conuenarum adminiſtrabat.

Grimoaldus, Epiſcopus Conuen. anno 1442.

Arnaldus-Raimundi anno 1451, & anno 1462.

Annis 1464 & 1465 Eccleſia Pontifice orbata.

Ioannes, Epiſcopus Conuen. ab anno 1471 ad annum 1281, III. Kal. Maij.

Anno 1484, deſideratur Pontifex in Eccleſia Conuenarum.

Ioannes Fuxius, annis 1495 & 1497 Epiſcopus Conuenarum & Prior Neruienſis. Obiit VI. Kal. Nouembris anno 1501.

Gaillardus Hoſpitalis Olorenſis, Canonicus Eccleſiæ Conuenarum, à Canonicis in locum Ioannis Fuxij demortui ſufficitur XIV. Ian. eodem anno 1501, cui tamen negotium faceſſit Amaneuus Cardinalis, qui Pontificatum illum à ſummo Pontifice impetrauerat, nihilominus Gaillardus vt causâ ſuperior, ſic iudicio victor fuit.

Anno 1515 Kal. Martij Eccleſia Pontifice deſtituta, item anno 1518 pridie Nonas Septemb.

Ioannes Mauleonius, ex antiquâ & clarâ Mauleonenſium Baronum familia ortus, anno 1521 Canonicorum ſuffragiis in Pontificium munus euehitur, quo egregiè functus eſt ad annum vſque 1551.

Ioannes Bertrandus, ex primo Præſide Tholoſano Epiſcopus Conuenarum. Huic anno 1555 verſionem

Gallicam quorumdam Platonis tractatuum dicauit Ludouicus Regius. Fuit poſtea euectus ad Archiepiſcopatum Senonenſem, & ad Cardinalis, ac Franciæ Procancellarij dignitates. Eius Elogium ſcripſere Petramellarius & Ciaccon. Obiit anno 1560 pride Nonas Decembris.

Petrus Lebretius, Ioannis Lebretij Nauarræ Regis filius naturalis. Anno 1561, Orator Antonij Borbonij & eius vxoris *Ioannæ* Nauarræ Reginæ ad Pium IV. Pontif. Max. miſſus. Interfuit etiam Concilio Tridentino. Hunc antea Religioſæ vitæ votum in Monaſterio Hiraxenſi in Nauarra emiſiſſe, & Veremundi nomen habuiſſe teſtatur Anton. Yepes tom. 4. Cent. 4. Chronici Benedictini, vbi etiam ſingulare ingenium ipſius laudat.

Carolus Borbonius, Antonij Borbonij Nauarræ Regis filius naturalis, Epiſcopus Conuenarum: deinde traductus ad Pontificatum Lactorenſem, & inde ad Archiepiſcopatum Rothomagenſem.

Vrbanus Sangelaſius, Lanſacus.

Ægidius ſiue *Gillius Souureus*, conſecratus anno 1617 menſe Martio, poſtmodùm traductus ad Eccleſiam Antiſſiodorenſem.

Bartholomæus Donadeus Grieſcus.

De Ditione Ripariæ.

ANTEQVAM è Regione Conuenarum diſcedamus, inſpicienda eſt *Ripariæ* Ditio, quæ in illis finibus eſt ſita. *Riparia* dicitur tractus ille, qui, inter *San-Bertrani* & *San-Gaudentij* oppida, vtramque Garumnæ fluminis ripam attingit, vnde etiam *Ripariæ* nomen inuenit. Vrbes complectitur duas, *Montem-Regalem* & *Valen-*

tinam. Leomanienſes olim Vicecomites Ditionem hanc (incertum quo iure) Conuenarum Comitum imperij immunem ſibi aſciuerunt. Poſtmodum Elias Talayrandus Petracoricenſis Comitis filius, Vicecomitatu Leomaniæ, illique annexis Dynaſtiis, ab vxore Philippâ donatus, *Ripariam* Philippo Pulchro Regi, titulô venditionis ſeu permutationis tradidit: à quo, illa, & à poſterioribus Regibus noua ſenſim incrementa accepit, pluribus vicis atque oppidis, *Pardiacenſis*, *Aſtaracenſis*, *Bigorrenſis*, *Magnoacenſis*, & *Conuenenſis* Comitatuum, Iuridico Riparienſi attributis. Iuridici etenim illorum locorum, tum Eccleſiaſtici, cum militares, Potentiorum vim atque iniuriam non ferentes, Reges in conſortium iuriſdictionis (*Pareagium* appellant) patrocinij & tutelæ causâ aduocarant, & inde ius Regibus in illis locis quæſitum fuerat. Conſtat autem *Riparienſis* Ditio (præter ipſum *Ripariæ* Pagum) his vicis ſeu oppidis. In *Pardiacenſi* Comitatu, Bellomarcheſio & Marciaco, in *Aſtaracenſi*, Simorrâ, in *Bigorra*, San-Seuero Ruſcitaniæ, & Tornayo, in *Magnoacenſi* Galano, in *Conuenenſi* Boloniâ, & San-beato, & inſuper *Tria* & *Sancta-fide*. Hæc indicare operæpretium fuit, nequis putet, quicquid hodie *Ripariæ iuriſdictionis*, hoc eſt Ditionis, nomine continetur, vnicum Pagum aut territorium continens eſſe. Malè faciunt etiam qui hanc Ditionem cum *Verdunenſi* (quæ ad Gaſconiam Tholoſanam ſpectat) confundunt, atque ex vtrâque vnicam faciunt: ſunt enim diuerſæ & (ſi cogendorum vectigalium rationem excipias) nihil commune inter ſe habent.

De Gaſconiâ Tholoſanâ.

QVAMQVAM cateruas Vaſconum, quæ à Pyrenaica

Regione, in Nouempopulaniam, habitandi gratiâ, commigrarunt, ad Garumnam penetraſſe in confeſſo eſt, eos tamen qui in Tholoſanorum aruis, quæ trans Garumnam erant, conſederunt, illius ciuitatis Ducum imperium perferre coactos fuiſſe fide non caret. Siquidem ab omni memoriâ Vaſcones, qui, ad Garumnam, confinem Tholoſæ agrum accolunt, in illorum Ducum ditione ac poteſtate fuiſſe, vetuſtæ agrariarum illius tractus profeſſionum Tabulæ perſpicuè demonſtrant. Sic *Condomeſium* quoque & *Bruleſium*, Vaſconiæ Pagos, ad *Agennenſem*, ſeu Dynaſtiam, ſeu Præfecturam (quæ Tholoſanæ olim pars fuit) antehac pertinuiſſe ſuprà monui. Porrò quidni ſuſpicemur, bellũ illud quod, Carolo Magno Rege, inter *Chorſonem* & *VVilielmum* Tholoſanos Duces, & Adelericum Vaſconem, atque alios eiuſdem gentis, geſtum narrat Author vetuſtus vitæ Ludouici Pij ad annũ 787, ex hac occaſione coortum fuiſſe, è contumaciâ nimirum Vaſconum Tholoſanis Ducibus ſubeſſe recuſantium? Quod autem eo bello Vaſcones à VVilielmo ſubactos fuiſſe refert idem Author, id non vtique de vniuerſis Vaſconibus accipiendum eſt, ſed de iis tantùm qui propinqua Tholoſæ loca incolebant, quique conſecutis temporibus in Tholoſanorum Ducum Ditione ac poteſtate extiterunt. Cæteros enim cum à Burdigalenſibus Ducibus ac Fidentiaci Comitibus regerentur, Tholoſanorum quoque Ducum imperio aut adminiſtrationi obnoxios fuiſſe, nulla ratio perſuadet. Omnem autem illum Vaſconiæ tractum, qui inter Vicecomitatum Leomaniæ, Fidentiacenſem & Conuenenſem Comitatus, & Garumnam fluuium interiectus (& in plures Dynaſtias ac Ditiones, pleraſque anguſtas, diuiſus) Tholoſanis Ducibus

ſubiectus erat, cum nullo hactenus proprio vel certo nomine deſignaretur, Gaſconiæ Tholoſanæ vocabulo expreſſimus. Ditiones illius primariæ, & quas referre alicuius operæ ſit, hæ ſunt *Dynaſtia Inſulana* (nunc *Comitatus Inſulæ Iordani*) *Vicecomitatus Gimoëſij*, pars *Vicecomitatus Feſenſaguelli* quæ, citra *Ratzium* amnem, in diœceſi Pontificis Tholoſani iacet: *Ditio Verduni*, & *Mureti* ac *Sammathani* Caſtellaniæ ſeu Ditiones. Ambæ hę nunc ad Comitatum Conuenarum pertinent, cui iamdiu fuerunt annexæ. In *Sammathani* Caſtellania eſt Epiſcopatus *Lomberienſis*, de quo mox agam. De *Vicecomitatu Feſenſaguelli* antea dixi. *Vicecomitatui Gimoëſij*, qui à *Gimona* fluuio nomen adeptus eſt, non vnicus, ſed plures viri nobiles atque primarij olim dominati ſunt, ſed tandem partem illius ſibi vendicarunt *Armaniacenſes* Comites, aliam verò *Terridenſes* Dynaſtæ. *Verdunenſis Iudex*, non *Verdunenſibus* tantum, & *Granatenſibus*, qui ad Garumnam ſiti ſunt, ſed *Gimontenſibus* quoque & *Belmontenſibus*, qui *Gimonæ* amni incumbunt, ius dicit. *Gimontium*, *Alfonſum* Tholoſanum & PictauienſemComitem: *Belmontium* verò, *Euſtachium Bellomarcheſium* Seneſcallum Tholoſanum & *Abbatem Grandis Syluæ* conditores agnoſcunt.

Dynaſtia Inſulana ab oppido *Inſula* ad *Sauam* fluuium ædificatâ, ſic dicta eſt. *Inſula Iordani* vulgò dicitur, à *Iordani* appellatione in illius oppidi Dynaſtarum gente familiari. *Caſtellum Ictium*, locum hunc principiò (antequam ciuibus frequentaretur & vrbis formam indueret) vocatum fuiſſe teſtatur Vitalis protonotarius in B. Bertrandi Conuenarum Pontificis vitâ. Magnum certè à multis ſæculis fuiſſe, Inſulanorum Dynaſtarum in Aquitaniâ nomen, negari haudquaquam poteſt:

Ideòque Philippus Valeſius Rex Bertrandum, id temporis Inſulę Dominum, Comitem dixit, & Vicarium ſuum in prouinciâ Occitaniâ conſtituit. Horum Dynaſtarum ſtemmâ, Epiſcoporum Lomberienſium ſeriem, quamprimùm apponendam, proximè ſequetur.

Pontifices Lomberienſes.

LOMBERIVM oppidum ad *Sauam* fluuium, in Sammathani Caſtellaniâ ſeu Ditione, conditum eſt. Antiquum ibi Monaſterium Fratrum Ordinis ſancti Auguſtini à multis annis florebat. Illud ſummus Pontifex Ioannes 22. anno 1317 in Epiſcopatum conuertit. Fuitque creatus primus Antiſtes *Arnaldus-Rogerij*, *Bernardi 6.* huius nominis Conuenarum Comitis, ex vxore *Lorâ Monfortiá* filius.

Arnaldus-Rogerij anno 1320, traductus poſtea ad Claromontanam Eccleſiam.

Iacobus Columna, anno 1335 & 1338.

Antonius, annis 1342 & 1348.

Rogerius, annis 1355 & 1360.

Guilielmus Durofortius ab anno 1363. XVI. Kal. Maij ad XVIII. Kal. Maij anni 1375.

Ioannes, anno 1390.

Petrus Pariſius, X. Kal. Martij anno 1396.

Raimundus Bretenneus, anno 1416.

Arnaldus Mirapicius, anno 1417.

Petrus Fuxius Cardinalis, adminiſtrator perpetuus.

Geraldus Garſias, 1460.

Sanctius-Garſias, ab anno 1466 ad annum 1472.

Ioannes Grolayus aliàs *Villerius*, anno 1477, & inde ad annum 1493, quô ab Alexandro VI. Pontif. Max. in Cardinalium Collegium cooptatur, fuit Orator Regis

Chriſtianiſſimi, & Abbas ſancti Dionyſij: eruditione quantus vir fuerit, libri ab eo editi teſtãtur. Scripſit enim in libros ſententiarum, Sermones ad populum, collationes habitas cum Clero & Orationem ad ſummum Pontificem & Cardinalium cœtum. Obiit Romæ anno 1499. *Ciacconius.*

Dionyſius Villerius, anno 1499. & 1510.

Sauaricus Orueſanus, annis 1512 & 1528.

Bernardus Orueſanus, ab anno 1528, ad annum 1537.

Antonius Oliuerius, anno 1556.

Petrus Ancrauanus, anno 1590. Obiit XV. Kal. Nouembris anno 1598.

Ioannes Daffiſius, ab anno 1598, ad annum 1614. Obiit hoc anno ineunte menſe Februario.

Bernardus Daffiſius.

Joannes Daffiſius, anno 1628.

Stemma Dynaſtarum ac Comitum Inſulæ.

ATTO RAIMVNDVS vir nobilis & generoſus Dominus Inſulæ, vulgò *la Ille*: *Vxor* N. filia VVilielmi Comitis Tholoſani, cognomento *Taillaferri*. *Liberi* Raimundus patris hæres: *Bernardus*, qui primò Canonicus & Archidiaconus Tholoſanus, deinde Epiſcopus Conuenarum extitit & tanta integritate & pietate vixit, vt poſt mortem Sanctorum albo aſcribi meruerit. Et *N. Andoſilei* Dominus, pater VVilielmi Auſcienſis Archiepiſcopi.

Raimundus Inſulæ Dominus, Raimundum, vt puto, Comitem Tholoſanum, neceſſarium ſuum, Hieroſolymam ad bellum ſacrum ſequutus, ibi ſub Chriſtianorum Principum ſignis meruit, meminit illius Raimundus

Agiles in hiſtoria illius Belli fol. 162 edit. Bongarſ.

Iordanus, Inſulæ Dominus, anno 1132. *Vxor Alues*, filia Godofredi Murelli. *Filius* Bernardus Iordani.

Bernardus-Iordani Inſulæ Dynaſta: Hic ciuibus Inſulanis primus leges dedit, quæ adhuc extant. *Vxor* N. *Filius* Iordanus 2.

Iordanus 2. Inſulæ Dominus: *Vxor Guilielma* aliàs *Eſcarona*, filia Galterij Tarridij. *Filius* Iordanus 3. Hic Vicecomitatum Gimoëſij emit anno 1195 ab Arnaldo Montacutio cognato ſuo.

Iordanus 3. Inſulæ D. *Vxor* Sclarmonda. *Liberi* Bernardus-Iordanus, patris hæres. *Iordanus*, *Launaci* Dominus: *Otho Tarridius*, cui pater legauit mediam partem Vicecomitatus *Gimoëſij*. (Hic ex vxore Elide plures reliquit liberos, vnde originem duxere *Tarridani* Gimoëſi Vicecomites:) *Bertrandus* Epiſcopus Tholoſanus: *Roſterius*: & filia *Eſcarona*. Teſtamenti tabulæ à Iordano 2. obſignatæ annum habent 1200 aſcriptum, quibus (aſſentiente Raimundo Tholoſano Comite, Domino ſuo) diſertis verbis canit, vt in poſterum, in hæreditate Dynaſtarum Inſulæ adeundâ, liberi virilis ſexus, etſi gradu remotiores, filiabus potiores eſſent.

Bernardus-Iordani 2. Inſulæ D. *Vxor India* Tholoſani Comitis filia, quam duxit anno 1206. (Hęc antea fuerat nupta Guillaberto, filio Petri Ermengaui Lautrici.) *Liberi* Bernardus-Iordani 3. patris hęres: *Iordanus*, qui fratri Bernardo, ſine liberis maſculis mortuo, ſucceſſit in Dynaſtiâ Inſulanâ, & *Maſcarona*, quæ anno 1222 cum Guilielmo Bernardi Lauaurio nuptias confecit. Teſtamentum condidit anno 1227.

Bernardus-Iordani 3. Inſulæ D. *Vxor Engleſia*, filia Bernardi Mareſtanhij. *Filia vnica Alpaſia*, 1° Geraldo Forceſio,

Forceſio, deinde Arnaldo Montacutio in matrimonium collocata. Obiit anno 1236.

Iordanus 4. Bernardi Iordani frater, ſummotâ Alpaſiâ fratris filiâ, Dynaſtiam Inſulanam occupauit: ex lege à Iordano 3. auo, tabulis teſtamenti, familiæ indictâ. Binas confecit nuptias. *Vxor* 1. *Faydida*, filia Odonis Caſaliboni Domini. *Liberi* ex eâ *Iordanus* 5: *Bertrandus-Iordani* Dominus Maliuicini, Montanhaci, Corbariuæ ſancti Pauli, Pibracij, Auſunæ, & Seneſcallus Vaſconiæ nomine Regis Franciæ. *India* vxor Bertrandi Caluomontij: *Ioanna* vxor Amalarici Vicecomitis Narbonenſis. *Altera vxor* Iordani 4. fuit Vaqueria Montillia, vidua Petri Vicecomitis Lautrecenſis, è quâ filiam ſuſcepit *Galcerandam* quæ Stephano Columnæ, nepoti Iacobi S. Mariæ in viâ lata Cardinalis, anno 1286 nupſit. *Filius naturalis* Iordani, Arnaldus. Obitus anno 1288.

Iordanus 5. Inſulæ D. *Vxor* Guilielma Durofortia. *Liberi*, *Bernardus-Iordani* 4: *Iordanus* Dominus Caſaliboni, Corneillani & Montgaillardi, ob pleraque flagitia ab ipſo perpetrata anno 1323 Lutetiæ capite plexus. *Faydida*, vxor Ermengaudi Comitis Vrgellenſis: *Condoria* vxor Arnaldi Raimundi Vicecomitis Tartaſſienſis: *Margarita* vxor Arnaldi Deueſij Vicecomitis Caramanni: & *Alpaſia*. Obiit Iordanus, circa annum 1305.

Bernardus-Iordani 4. Inſulæ D. vxores habuit duas. *Vxor* 1. Margareta Fuxia, Rogerij Bernardi Fuxi Comitis, ex vxore Margareta Bearnẽſi Vicecomitiſſa, filia. *Liberi* ex eâ, *Bertrandus* 1: *Gaſto*: *Iordanus* (vir Indiæ Durofortię Clarimontis Dominæ:) & *Matha* vxor Bernardi 6. Conuenarũ Comitis. *Vxor altera* Berenguela è nobili N. Cataloniæ gente. *Filia* ex eâ *Audia* vxor Ioannis Montauzerij Domini. Obiit Bernardus annò 1341.

Bertrandus Inſulæ D. primus in ea gente Comitis titulum, Philippi Valeſij Regis beneficio, obtinuit, cuius etiã Vicarij munere in Occitanâ Prouinciâ functus eſt. Anno 1345 in obſidione *Brageraci* Petracorici oppidi, dum ſtrenui & impigri Ducis munia obit, graui vulnere ſaucius, in hoſtium manus venit. Vxorem habuit *Iſabellam Leuiam*, & ex eâ filium *Ioannem.*

Ioànnes Comes Inſulæ. Anno 1350, authore Marqueſio Spinæo curatore ſuo, *Ioannam Lebretiam Bernardi Ezij*, Lebretij Dynaſtæ, ex vxore *Mathâ Armeniacâ* filiam, ſecum in matrimonio coniunxit. Liberi, *Bernardus Ezij*, qui immaturâ morte præreptus eſt, & *Bertrandus* 2.

Bertrandus 2. Inſulæ Comes: *Vxor* Helionor Petri-Raimundi 2. Conuenarum Comitis filia, ex quâ nullos ſuſcepit liberos. Obiit anno 1369, relicto tantum filio naturali *Iordano*: & *Iordano Inſulano* Clarimontis Domino, propinquo ſuo, hærede inſtituto.

Iordanus Inſulanus Iordani, ex Indiâ Durofortia vxore Clarimontis Dominâ, filius: Bernardi-Iordani, Inſulæ Domini, nepos, in Comitatum Inſulanum Bertrandi 2. teſtamento vocatus, illum occupat anno 1370. Duas habuit vxores. Prior fuit *Cecilia*, filia Centulli 4. Comitis Aſtaracenſis, è quâ filium ſuſcepit, qui à Gaſtone Comite Fuxenſi bello captus, in ipſius cuſtodiâ morte abſumptus eſt. Altera vxor *Margarita Terridana*, è quâ nullis ſuſceptis liberis, circa annum 1410, à vitâ diſceſſit. Aliquot ante obitum annis Comitatum illum & totum id, quod ex Vicecomitatu Gimoëſij poſſidebat, Ioanni Borbonio Duci grandi pecunia vendiderat, qui rurſum ea Bernardo Armaniacenſi Comiti alienauit.

De Comitatu Vaſconiæ Citerioris, cum ſtemmate Fuxenſium Comitum, Bearni Regulorum & ſeriê Vicecomitum & Epiſcoporum illius Regionis.

CAPVT XIII.

DECVRSIS breuiter aliis Comitatibus ac Vicecomitatibus, quos ſupra in diuiſione Vaſconiæ Aquitanicæ enumerauimus, vna nobis adhuc reſtat peragranda *Vaſconia Citerior*, cum Vicecomitatibus eâ comprehenſis. Conſtabit autem ea tribus Pagis vel Regionibus, *Vaſcitania* ſeu *Vaſcorum Regione*, *Baionenſi Præfecturâ* & *Bearnenſi Prouinciâ*. Vaſcitaniæ deſcriptionem iam cap. 5. huius libri tradidimus, ſtemmata tantum ſuperſunt Inſignium in eâ familiarum explicanda. *Baionenſem* Præfecturam (ſub quâ Vicecomitatus *Aortenſis* & *Maritimenſis* comprehenduntur) & Bearnenſem Prouinciam (quæ Vicecomitatum Olorenſem ambitu ſuo amplectitur) diu dubitaui vtri Vaſconię, vlteriori, an citeriori tribuerem; ſed tandem, dum iis excluſis, nimium citerioris fines coarctari, & in anguſtum adduci conſidero, placuit (donec certiora afferantur) ambas citeriori aſcribere. Accedit (ad Baionam quod ſpectat) authoritas Thomæ VValſinghani, qui in hypodigmate Neuſtriæ, ad annum 1239, hoc oppidum Vaſcitaniæ Caput fuiſſe diſertè teſtatur. Ab hac itaque ordiamur.

Quæ hodie *Baiona*, fuit olim *Lapurdum*. Huius nominis origo è Vaſcâ linguâ petenda eſt, non tamen à *baï ona*, id eſt bonum pignus, vt viſum eſt Ste-

phano Garibayo, ſed à *Baia-une*, quæ vox locum vel regionem portus ſignificat. Eſt enim ſita hæc vrbs ad confluentem duorum amniũ *Aturri* & *Niui*, III. tantum milliarium ſpatio ab Oceano diſiuncta: Eòque, æſtu & acceſſu maris ſingulis diebus ſtatis vicibus intumeſcentis adiuuante, cuiuſuis magnitudinis nauigia in illam facilè appellunt. Itaque hac occaſione, atque opportunitate loci (qui Galliæ atque Hiſpaniæ pœnè confinium occupat) inuitati, crebri illuc commeant mercatores, ex Galliâ, Angliâ, Flandriâ atque Hiſpaniâ. Antiquiſſimum eſſe hoc oppidum conſtat ex Notitiâ vtriuſque imperij, quæ ſedem Tribuni cohortis Nouempopulanæ *Lapurdo* ſtatuit. Hallucinantur qui hic *Aquas*, *Auguſtas*, Ptolemęi vel *Tarbellicas* Auctoris Itinerarij ponunt, quarum neque nomen, neque ſitum alij in hoc tractu vrbi pręterquam illi, quę *Acs* dicitur, competere poſſe, iamdiu obſeruarunt viri docti. Vetuſtatem inſuper Baionæ arguit veterum mœnium forma, aliarum vrbium, non vulgaris antiquitatis, ſtructuræ accommodata: vt monuit Elias Vinet. in Auſonij carmen de Burdegala. Huius tamen vrbis etymon Ioſeph. Scal. lib. 2. Auſon. lection. cap. 7. à *Boijs* deducit, populis Burdigalæ finitimis, qui vulgò *Buchij* dicuntur, vultque dictam Baionam, quaſi *Boionam* Lapurdum autem, ait, eſſe *Lordam*, exiguum Leuitaniæ vicum, in Comitatu Bigorrę. Sed fefellit ratio virum doctum, Lapurdum enim, cuius Auctor notitiæ Imperij, Gregor. Turon. & alij meminere, non aliud eſt quam Baiona: quę, etiam ab hinc quingentos circiter annos, illud nomen ſeruabat, & Epiſcopi atque Vicecomites iſtius vrbis, *Lapurdenſes* audiebant, non *Baionenſes*. Agnouit hoc tandem Scaliger ipſe; nam in poſteriori editione lectionum Auſon. (quę ex officina Si-

monis Millangij Typographi Burdig. anno 1590 prodiit) deletis quę de Lorda, commentatus fuerat, hęc in eorum locum ſubſtituit. *Boiatum* (ſupple ciuitas) *hoc eſt Baiona, quaſi Boiona, quæ olim dicebatur Lapurda, vbi erat præſidium Romanorum. Hodie territorium eius ciuitatis nomen retinet, vocatur enim Lapord & pagus Lapurdenſis.* Iam, vt Baiona à Boijs dicta fuerit, neque id vllam veri ſimilitudinem habet. Diſtat enim Boiorum vicus ſeu *Buchium* à *Baionæ* oppido, duorum ad minimum itinere dierum, & inter vtrumque interiectę ſunt hę quatuor Prępoſiturę ſeu Ditiones, *Bornium*, *Marenſinum*, *Maremnium*, & *Senhanſium*. Atqui in Notitia veteri ciuitatum Gallię, in Nouempopulaniæ regione deſignatur Boatium ciuitas. Sit ita ſanè; ſed quid hoc ad Lapurdum ſeu Baionam? an non alio loco illa conſiſtere potuit? Enimuerò eadem Notitia ſatis indicat, hanc ciuitatem Boatium aliam eſſe à Baiona ſiue Lapurdo, dum eam in Burdigalenſi pago ſtatuit, ſic enim legitur in Vetuſto illius exemplari manuſcripto Bibliothecę Illuſtriſſimi Thuani, *Ciuitas Boatium, quod eſt Boius in Burdigalenſi.* Pręterea, Itinerarium Antonini, Burdegalam ab Aſturica Hiſpanię ciuitate petentes, per Aquas Tarbellicas Boios ducit, ſtatuitque interualla ab Aquis Tarbellicis, id eſt ab oppido *Acs*, (quod primus nos docuit Scaliger) Boios vſque, millia paſſuum XLVII, at è Boijs Burdegalam vſque XVI tantum, quod Baionę conuenire nequaquam poteſt, cum ea longius diſtet Burdegalâ, quam Aquę Tarbellicę. Scaligeri ſententiam ſequuti ſunt Elias Vinet. comment. in epiſt. 1. Auſonii, Paul. Merul. Coſmogr. parte 2. lib. 3. cap. 34. & Andr. Fauynus lib. 2. hiſt. Nauarricę, vbi, quod *Boionam* adhuc ab incolis dici pro *Baiona* aſſerit, negant id incolę verum eſſe.

Nunc ad Lapurdum redeo. Celebrat Sidonius lib. 8. epiſt. 12. Lapurdenſes locuſtas, quo genere piſcis (*Langoſta* eſt indigenis, at *Carabis* Plinio lib. 9. cap. 31.) nunc etiam abundare Baionenſem oram, norunt qui in eâ aliquamdiu commorati ſunt. Noſtrorum quoque, primæ ſtirpis, Regum tempore, Lapurdum non ignobile oppidum fuiſſe hinc arbitrari licet, quod illud, inter alias celebres Aquitaniæ ciuitates, Childebertus Rex ſibi cum Guntramno Rege depactus eſt. Apud Gregor. Turon. lib. 9. cap. 20. in exemplo pactionis vtriuſque Regis. *Pari conditione* (ſunt verba pactionis) *ciuitates Meldis & duas portiones de Syluanectis, Turonis, Pictauis, Abrincatis, Vicoiuli, Coſeranis, Lapurdo & Albige domnus Childebertus Rex cum terminis à præſenti die ſuæ vindicet poteſtati.* Sub Anglis Regibus, Aquitaniæ olim imperium obtinentibus, ſecundum dignitatis locum *Baionæ*, inter Gaſconiæ ciuitates, tribuit Math. Vueſtmonaſt, primâ ſede (vt decuit) Burdigalæ reſeruatâ. Ciuium inuiolata ſemper erga Principes ſuos fides hanc vrbem magnoperè commendat. Belleforeſtus non paucis, huic verò nugator quiſpiam egregiè impoſuit, cum nemini armato illam ingredi, præterquam Regi & Regij ſanguinis Proceribus, licere aſſeruit. Conſimilis genij eſt cognomen *Ciuitatis nobilium*, oppido *Aquarum Tarbellicarum*, ab eodem Authore additum, ex eo quod Anglis in Aquitaniâ rerum potientibus à XII nobilibus, vt ait, regeretur, quorum vnuſquiſque turrim, in eâ, haberet ſuæ genti cognominem. Nam hoc quoque cum vetuſtioribus Scriptoribus indictum, & in fide dignis monumentis hactenus illectum fuerit, perinde pro ludicro haberi debet. Nihilo certiora ſunt eâ quæ de tribus tumulis aquariis, in agro Aquenſi, Lunæ creſcentis ac decre-

ſcentis viciſſitudines imitantibus idem Scriptor prodidit.

NON præteribo ſingulare, in hac orâ, Neptuni factum. Ab hinc ducentos circiter annos, *Aturri* fluuij oſtia, (per quæ is ſe in Oceanum, ad tria à Baionâ milliaria, exonerabat) congeſtis ventorũ vi, & marinæ tempeſtatis impetu immenſis arenarum cumulis, velut molibus quibuſdam, obſtructa fuerant. Hic caſus Baionenſibus, non maris ſolùm vſum abſtulit, ſed multo etiam grauiora incommoda inuexit: agris eorum, & non exiguâ parte vrbis, redundantis amnis effuſionibus ſubmerſis. Poſt aliquod tempus, nouo exitu flumini, ad vicum *Meſſanges* (nunc *Boucau vieux*, qui ſex circiter leucis Vaſconicis Baionâ diſtat) comparato; Baionenſes aliquantulum ſubleuati ſunt: lóginquus tamen fluuij cum mari coitus difficilem nauigationem faciebat. Itaque munificentiâ Regiâ, & Prouincialium collationibus ſuſtentati, priorem alueum humanâ operâ peruium facere aggrediuntur; ſed multorum annorum labore fruſtra in hoc opere conſumpto; tandem, noſtra memoria, vel fors, vel Diuini numinis fauor ipſos voti cópotes fecit. Exorta enim grauis tempeſtas, omnes illas arenas, quæ fluminis oſtia inſederãt, illicò diſſipauit. Huius cœleſtis beneficij memoriam is populus ſolẽni ſupplicatione, quot annis, celebrat.

TERMINI Baionenſis Præfecturæ ſunt ab ortu Bearnenſis Prouincia & inferior Nauarra: ab occaſu Oceanus: à Septentrionibus Aquenſis Præfectura: à Meridie verò montes Pyrenæi & Vidaſſo amnis. Peccant non leuiter Belleforeſtus, eumque ſequutus Merula parte 2. lib. 3. cap. 34. Coſmogr. dum Lapurdi ſeu Baionæ iuriſdictionem aiunt, *protendi vltra flumen Iron, vſque ad fanum D. Ioannis, cui cognomen de Luz, quod Franciæ regnum ab Hiſpaniâ ſeiungit.* Vicum enim, *Iron*

dictum in eo tractu eſſe ſcimus, in ipſius Hiſpaniæ limite ſiue veſtibulo: fluuium tamen huius nominis non nouimus. Fanum verò D. *Ioannis Luzi*, vtriuſque Regni terminum eſſe negamus: procurrunt enim Galliæ fines vltrà hoc oppidum, ad VI. aut VII. milliaria Hiſpaniam verſus, ad fluuium ſcilicet vſque Vidaſſonem. Baiona olim non ſecus ac pleræque alię Vaſconię Aquitanicæ ciuitates, Vicecomitum propriorum dominatum paſſa eſt, illorum nomina quotquot ex vetuſtis ſchedis aut tabulis noſſe hactenus licuit, hic ſubiicio.

Vicecomites Lapurdenſes, ſeu Baionenſes.

FORTVNIVS-SANCIVS Vicecomes Lapurdenſis & frater eius *Lupus Anerius*, viuebant tempore Auſtindi Archiepiſcopi Auſcienſis, hoc eſt circa annum 1060. Filium habuit Fortunius-Sanctius, Ramirum-Sanctij, qui ſe Eccleſiæ Baionenſi deuouit: & filiam *Reginam Tortam*, quæ patris hæres fuit.

Regina Torta virum habuit *Sanctium Garſiam*, illumque, hoc matrimonio, Vicecomitatus Lapurdenſis conſortem fecit.

Garſias-Sanctius, Sanctij Garſiæ & Reginæ Tortæ filius, ſucceſſit matri in Vicecomitatu Baionenſi. *Vxor* Vrraca. *Filius* Bertrandus.

Bertrandus Vicecomes Baionēſis. Duas habuit vxores. *Vxor* I. Tota Orqueyena. *Vxor altera* Ataresa. *Liberi*, (vtro coniugio nati incertum) Petrus Bertrandi: Arnaldus Bertrandi: (vterque ordine parenti in Vicecomitatu ſucceſſit) VVilielmus Bertrandi (qui Epiſcopus Aquenſis extitit) & *filia* N. nupta N. *Saltano Dynaſtæ*. Vixit Bertrandus ab anno 1140. ad annũ 1170. & vltrà.

Petrus-

Petrus-Bertrandi, Vicecomes Baionenſis, paucis annis patri ſuperſtes fuit, obiitque ſine liberis.

Arnaldus-Bertrandi, Vicecomes Baionenſis, poſt fratrem. Hic cum officio ſuo & muneri erga *Ricardum*, Henrici Angliæ Regis filium, Aquitaniæ Ducem, deeſſet, Ricardus anno 1177 comparatis Burdegalæ copiis, Baionam contendit, quam vrbem cum obſidione cinxiſſet, breui expugnauit. Habuerit necne vxorem ac liberos Arnaldus non conſtat: ſucceſſor enim ipſius in Vicecomitatu fuit *VVilielmus-Raimundi* ſororis filius.

VVilielmus-Raimundi Saltanus, Bertrandi Vicecomitis ex filia nepos, Vicecomitatum Lapurdenſem obtinebat anno 1193. In hoc puto defeciſſe Vicecomitum illorum nomen ac poteſtatem, (quamquam ad annum 1205 Bertrandi Vicecomitis Baionenſis, in quibuſdam monumentis mentionem fieri video) quippe, non ita multò poſt, hanc Dynaſtiam cum Aquitaniæ Ducatu confuſam fuiſſe conſtat. Ioannes autem Rex Angliæ & Dux Aquitaniæ, primus Baionę *Maioris* & Decurionum, (quos *ſcabinos* & *iuratos* vocant) Collegium inſtituit & eam Reipublicę formam ciuibus dedit, quę aliquot ante annis Rupellanis pręſcripta fuerat.

Pontifices Lapurdenſes, ſeu Baionenſes.

B. LEO primus Baionæ Epiſcopus, cum Rothomagenſem Pontificatum gereret, à Romano Pontifice in Hiſpaniam, ad erigendos & confirmandos Chriſtianos, à Sarracenis vexatos, legatus, Baionam appulit: ibique dum vitæ exemplo & ſacris Concionibus rem Chriſtianam ſummoperè promoueret, à Piratis & facinoroſis hominibus, quorum vitia inſectabatur, cæſus in Di-

uorum numerum referri meruit. Floruit Carolo Simplici Rege. Ioannes Dadreus Theolog. & Canonicus Rothomagenſis, in Catalogo Epiſcoporum Rothomagenſium, *Vittonem* hunc vocat. In veteribus tamen Baionenſis Eccleſiæ monumentis, & in antiquis Breuiariis non aliter quam Leo nuncupatur.

Arſius, temporibus Benedicti VII. Pontificis Romani, circa annum 980.

Raimundus Vaſatenſis Epiſcopus, præfuit etiam huic Eccleſiæ. Viuebat anno 1040.

Raimundus 2. ſuperioris nepos, fratris vel ſororis filius, ætate Auſtindi Archiepiſcopi Auſcienſis, circa annum 1063.

Bernardus, Monachus Ordinis N. è Pago Aſtaracenſi oriundus, ab anno 1080 ad annum 1119, quô ad Archiepiſcopatum Auſcienſem euectus fuit.

Garſias, anno 1120.

Raimundus Martrius, circa annum 1130.

Arnaldus Lupus Beſſabatus.

Arnaldus Formatellus, anno 1149.

Fortanerius, circa annum 1160.

Petrus Bertrandus.

Ademarus, interfuit Concilio Lateranenſi anno 1179.

Bernardus Lacarranus, anno 1186, & inde ad annũ 1206. Anno 1190 à Ricardo Angliæ Rege & Duce Aquitaniæ parti copiarum, quas ad ſacrum bellum parabat, præfectus, in Paleſtinam profectus eſt. *Rog. Houeden.*

Raimundus-VVilielmi Donſacus, ab anno 1213, ad annum 1250.

Sanctius Haxius vel *Hachius*, electus anno 1256. Hanc Eccleſiam rexit ad annum vſque 1275.

Dominicus vel *Domenionus Manxius*, annis 1279 & 1296.

Arnaldus-Raimundi Montanus, electus anno 1303.

Petrus Maritimenſis ſiue *Maremnius*, annis 1309 & 1310.

Bernardus Villanus, anno 1315 electus & confirmatus.

Petrus San-Ioannius, Monachus ab anno 1318 ad annum 1341.

Guilielmus Vitalis San-Ioannius, anno 1369.

Bartholomæus Riberanus, Monachus, anno 1373.

Garcias Euguius Monachus Auguſtinianus annis 1385 & 1390.

Anno 1392 vacat ſedes Pontificia.

Menendus Garſias Monachus, anno 1397.

Petrus Vernetus, anno 1411.

Guillielmus-Arnaldus Bordanus, anno 1413 & 1419, & inde ad annum 1439.

Iacobus, Monachus Ordinis Dominicanorũ Fratrum.

Ioannes Barrerius, ab anno 1479 ad annum 1500.

Bertrandus Lahetus, anno 1507.

Ioannes Bellayus 1529. poſtea Cardinalis.

Stephanus Poncherus, ab anno 1542 ad annum 1550.

Ioannes Fraxineus, eodem anno 1550 & anno 1552. fuit Legatus ac Orator Henrici II. Regis in Germania. *Iacob. Aug. Thuan.*

Ioannes Monſterius, anno 1561.

Ioannes Soſſiondus, ab anno 1567 ad annum 1580.

Iacobus Maurinus, anno 1590.

Bertrandus Etchauſſius, traductus ad Archiepiſcopatum Turonenſem anno 1617.

Claudius Ruellius traductus ad Epiſcopatum Andegauenſem.

Raimundus Montanus, obiit anno 1637.

Franciſcus Foquetus Epiſcopus deſignatus eodem anno.

Vicecomites Aortenſes, vulgò *Vrtenſes.*

VICECOMITATVS Aortenſis Præfecturam Baionenſem à Meridie claudit, quâ parte ipſe Præfecturam Aquenſem habet oppoſitam, ex aliis verò *Aturro* & *Gauero* amnibus vndique clauſus peninſulæ formam exhibet. Primarius in eo vicus *Petraforata*, vulgò *Peyrehorade*, ibique in prærupto colle, extantes adhuc veteris arcis Vicecomitum reliquiæ, *Aſpremontii* Caſtelli nomen ferunt. Horum Vicecomitum familia, ab antiquo Vaſconiæ Ducum ſæculo, longa ſerie deducta, ad noſtram vſque ætatem peruenit.

Lupus Garſias Vicecomes Aortenſis, & *VVilielmus Garſias Pulionius* frater eius, circa annum 1060. viuebat etiam temporibus Gregorij VII. Romani Pontificis. Filium reliquit *Lupus* Sanctium Lupi.

Sanctius-Lupi Vicecomes Aortenſis.

Arnaldus Raimundi Vicecomes Aortenſis.

VVilielmus Raimundi, anno 1156 ad annum 1170.

Lupus Garſias, ab anno 1177 ad annum 1212.

Ricardus Vicecomes Aortenſis.

Raimundus Vicecomes Aortenſis. Habebat fratrem nomine Arnaldum Lupi Aſpremontium. Viuebat anno 1263.

Arnaldus-Raimundi 2. Vicecomes, circa annum 1320 & anno 1341. Huius forſan ſoror erat *Miramonda Aſpremontia*, Arnaldi VVilielmi Acrimontani Dynaſtæ vxor.

Arnaldus Raimundi 3. ſuperioris nepos. Vxor 1. *Amaneua Bertullia*, quam duxit anno 1356. Altera *Aſſalida Pontia*, è quâ ſuſcepit filium Ioannem.

Ioannes, Vicecomes Aortenſis anno 1374. ſub tutelâ *Aſſalidæ* matris. Anno 1395 vxor *Ioanna Abella*, filia *Berengarij Apiliæ*, Conſiliarij & Maioris domus Petri Regis Aragonum, è quâ natus eſt Ludouicus.

Ludouicus Vicecomes Aortenſis. *Vxor* N. filius Petrus.

Petrus Vicecomes Aortenſis, anno 1500. Vxor *Quiteria*, Rogerij Acrimontani Dynaſtæ, ex Helenâ Bearniâ vxore, filia. Filius *Adrianus*.

Adrianus, Vicecomes Aortenſis: *Vxor* N. filius *Ioannes*:

Ioannes 2. Vicecomes Aortenſis: Vxor *Eſter Bearnia Sangeneſia*. Liberi, Antoninus: Armanus, & filiæ N: N.

Antoninus Vicecomes Aortenſis. Vxor *Amata Lonſia*.

PRÆFECTVRÆ Baionenſi ad ortũ proximè ſuccedunt Inferior Nauarra, & Bearnenſis Principatus. In illâ duæ vetuſtiſſimæ & nobiliſſimæ familiæ etiam nunc clarent, *Acrimontana* & *Luxetana*; de quibus alias ex profeſſo agendum erit. Hic verò nobis in præſenti leuiter attingendus eſt.

De Principatu Bearnenſi.

BEARNENSIS Principatus ex duobus antiquiſſimis Vicecomitatibus conflatus eſt *Benearnenſi* & *Olorenſi*, quibus poſtea acceſſere *Montanerenſis* & *Orſalenſis*. Duobus item Epiſcopatibus, Laſcurrẽſi & Olorenſi *Benearnum*, antiqua Ciuitas (cuius Auctor Itinerarij Antonini & Notitiæ Ciuitatũ Galliæ, necnon Gregorius Turonenſis meminere) huic Principatui nomen fecit: ſed quænam eſſet hæc ciuitas non leuis inter doctos contentio eſt. Ioſeph. Scaliger quem ſequuntur multi *Orteſium* eſſe exiſtimauit, quod oppidum ad extremam iſtius Principatus oram, & extra vtrumque illius Epiſcopatum, in Aquenſi diœceſi ſitum eſt. Mihi tamen

longè probabilior videretur ſententia eorum, qui *Laſcurrim* eſſe pronuntiant, niſi obſtaret authoritas Itinerarij Antonini, quod ab Aquis Tarbellicis Benearnum vſque XVIIII. tantum milliarium ſpatium interponit: id enim Laſcurri conuenire neutiquā poteſt. Diſtat qnippè hæc ciuitas ab Aquis Tarbellicis XI. ad minimum leucis Vaſconicis, in quibus XXXIII. plus minus paſſuum millia continentur. TERMINI illius Principatus ſunt ab ortu Bigorræ Comitatus, ab occaſu Baionenſis & Aquenſis Præfecturæ, à Septentrionibus Scialocenſis & Taurſanenſis Pagi, à Meridie verò montes Pyrenæi & Vicecomitatus Solenſis: Vrbes præcipuæ *Palus* ſedes Parlamenti & Cameræ Rationum, *Laſcurris*, Epiſcoporum domicilium, *Orteſium*, *Iluro* ſeu *Oloro*, Caput olim Vicecomitatus, nunc Epiſcopatus eiuſdem nominis, *Nayum*, *Morlaſium*, *Nauarrenſium* (totius regionis propugnaculum) & *Saluaterra*.

Vicecomites Bearnenſes.

VETERES Vicecomites Bearnenſes primus è tenebris in lucem eruit illuſtriſſimus & eruditiſſimus Petrus Marca, in ſupremo Nauarræ Aquitanicæ Senatu Præſes, è cuius litterario penu accuratam ipſorum hiſtoriam auidè expectamus. Nos interea vt inſtituti noſtri ratio poſtulat illorum ſeriem hic attexemus.

Gaſto-Centulli Vicecomes Bearnenſis, temporibus Benedicti VII. Pontificis Romani, & VVilielmi Sanctij Vaſconiæ Ducis, circa annum 980.

Centullus Gaſto Vicecomes Bearnenſis, & *Gaſto Centullus* Bearnius ipſius vel filius vel frater, ſub Rege Hugone & VVilielmo Sanctio Vaſconiæ Comite, circa annum 990.

Centullus Vicecomes ſub Sanctio Vaſconiæ Duce, circa annum 1020, forſan idem cum præcedenti.

Centullus-Gaſto 2. ſuperioris Centulli-Gaſtonis filius, Vicecomes Bearnenſis & Olorenſis ſub *Bernardo Tumapalerio* Vaſconiæ Duce, circa annum 1050. *Vxor* N. *Liberi*, Gaſto, Centullus, Amita. Interfectus à *Solenſibus* ante annum 1058.

Gaſto Vicecomes Bearnenſis, circa annum 1060.

Centullus filius Centulli Gaſtonis Vicecomes Bearnenſis & Olorenſis. Duas habuit vxores. Prima fuit *Giſla*, è qua ſuſcepit *Gaſtonem* & *Raimundum*. Poſtea eâ dimiſsâ *Beatricem* Bigorræ Comitiſſam duxit, eoque iure Bigorram in poteſtate habuit. Nati ſunt ei ex Beatrice *Bernardus* & *Centullus*, de quibus egi in ſtemmate Comitum Bigorræ. Fuit hic quoque occiſus in valle *Tena* in Aragoniâ, poſt annnm 1077.

Gaſto, Centulli filius Vicecomes Bearnenſis & Aquẽſis, egregiam in Hieroſolymitano bello nauauit operam. *Vxor* Atalesa, Sanctij Comitis Ayuarij, filij naturalis Ramiri Regis Aragonum, filia. *Liberi*, Centullus, & Guiſcarda. Obiit pugnans contra Mauros in Hiſpania anno 1131.

Centullus Vicecomes Bearnenſis Gaſtonis filius, à Mauris ad Fragam interfectus anno 1134.

Guiſcarda Vicecomitiſſa Bearn. nupſit Petro Gauarreti Vicecomiti: peperitque filium Petrum.

Petrus Gauarretus Bearnenſis Vicecomes, anno 1147. *Vxor* N. liberi *Gaſto* & *Maria*.

Gaſto Vicecomes Bearnenſis, fuit etiam Comes Fidentiaci. *Vxor* Sanctia, Garſiæ-Ramiri Nauarræ Regis filia. Obiit ſine liberis.

Maria Vicecomitiſſa Bearn. poſt fratrem. Paulòpoſt

annum 1170 virum ſibi aſciuit è primaria gente Principatus Cataloniæ *Guililemum Moncadum*. Liberi, *Gaſto*, *VVilielmus-Raimundi* & *Conſtantia* nupta Didaco Lupi Viſcayæ Domino.

Gaſto filius Guilielmi Moncadi & Mariæ, cognomento *Bonus*, ſucceſſit matri in Vicecomitatu Bearnenſi, circa annum 1177, ſub tutelâ Peregrini Caſtellazueli Nobilis Aragonij. *Vxor* Petronilla Bigorræ Comitiſſa. Obiit ſine liberis, circa annum 1216.

VVilielmus-Raimundus poſt Gaſtonem fratrem Vicecomes Bearn. *Vxor* Guilielma Caſtri veteris Domina. *Filius* Guilielmus Moncadus. Obiit in bello Balearico anno 1229.

Guilielmus Moncadus Vicecomes Bearñ. *Vxor* Garſendis. *Filius* Gaſto.

Gaſto Vicecomes Bearnenſis. *Vxor* 1. Matha, Petronillæ Bigorræ Comitiſſæ, ex Boſio Maſtaſio marito filia. *Liberi* ex ea *Conſtantia*, nupta primò Henrico filio Ricardi Regis Alemanniæ, deinde eo in Italia interfectô Alfonſo, Iacobi 1. Aragoniæ Regis filio natu maximo. Ex neutro liberos ſuſcepit: *Margareta*, vxor Rogerij Bernardi Comitis Fuxenſis: *Matha*, vxor Geraldi Comitis Armaniacenſis: & *Guilielma* nupta Petro, Petri 3. Aragonum Regis filio. *Altera vxor* Gaſtonis *Beatrix* filia Ducis Sabaudiæ. Ex qua nulli liberi. *Liberi naturales* Bernardus Aſpeſius, Raimũdus Canonicus Apamienſis, Arnaldus VVilielmus & *filia* N. nupta Arnaldo VVilielmo Andoinſij Domino. Obitus anno 1290.

Quandoquidem matrimoniô, inter Rogerium Bernardum Fuxenſem Comitem & Margaritam Vicecomitiſſam Bearnenſem initô, ambæ familiæ Comitum Fuxenſium & Vicecomitum Bearnenſium in vnam coaluere,

coaluere, expedit illorum Comitum ſtemma ab origine repetere: in quo contexendo, ſicubi à ſententiâ vulgarium Fuxenſis hiſtoriæ Scriptorum diſceſſero, me id nonniſi Auctoribus domeſticis monumentis facturum recipio.

Bernardus filius ſecundogenitus *Rogerij* Comitis Carcaſſonenſis, ex *Adalaſia* vxore primus Comes Fuxenſis anno 1062. *Vxor* Beatrix Biterrenſis. *Filij duo*, dictus vterque Rogerius.

Rogerius, Bernardi filius natu maior Comes Fux. *Vxor* Arcendis. Filius Rogerius 2. Obitus circa annum 1095.

Rogerius 2. Comes Fuxenſis anno 1196. item anno 1111. ſub tutelâ Rogerij patrui. *Vxor* Stephania. *Filius* Rogerius 3.

Rogerius 3. Comes Fuxenſis. *Vxor* Eximena. *Filius* Rogerius-Bernardus. Obiit ante annum 1249.

Rogerius Bernardus Comes Fuxenſis. *Vxor* 1. *Cecilia Ferrana*, filia Raimundi Berengarij Comitis Barcinonenſis. *Filius* ex ea Raimundus-Rogerij, hæres. *Vxor altera*, *Cecilia*, filia Raimundi Trincauelli Vicecomitis Biterrenſis, & Comitis Carcaſſonenſis. *Liberi* ex eâ Rogerius, & filiæ N. N.

Raimundus-Rogerius Comes Fux. anno 1188. *Vxor* Philippa. *Liberi*, Rogerius-Bernardus, hæres: Aymericus: Lupus: Sclarmonda vxor Bernardi Alioni, Doneſani Dynaſtæ: & Cecilia vxor Bernardi 4. Comitis Conuenarum. Obitus anno 1222. in obſidione oppidi Mirapiſcenſis.

Rogerius-Bernardus 2. Comes Fux. *Vxor* 1. Ermeſſenda filia & hæres Arnaldi *Dynaſtæ Caſtriboni*. Liberi ex ea, *Rogerius* 4. qui vtrique parenti ſucceſſit, & *Sclarmonda* nupta, vt ferunt, Cardonæ Vicecomiti. *Altera vxor Er-*

mengardis, filia Aimerici Vicecomitis Narbonenſis, è quâ nata eſt, vt puto, *Cecilia*, altera Rogerij-Bernardi filia, Vicecomiti Vrgellenſi in matrimonium collocata.

Rogerius 4. Comes Fuxenſis: *Vxor* Bruniſſena Cardonia. *Filij*, Rogerius-Bernardus, hæres. Et Petrus qui, niſi fallor, ante patrem obiit. *Filiæ*, Sibylla *vxor* Aimerici 6. Vicecomitis Narbonenſis: Agnes, *vxor*, Eſquibati Comitis Bigorræ: Philippa, *vxor* Arnaldi Hiſpani, Vicecomitis Coſeranenſis, & Sclarmonda *vxor* Regis Inſularum Balearium. *Filia naturalis* Marqueſia, nupta Petro Andreæ. Obitus anno 1264.

Rogerius-Bernardus Comes Fuxenſis: *Vxor* Margarita Vicecomitiſſa Bearnenſis. *Liberi*, *Gaſto*, hæres: *Conſtantia* vxor Ioannis Leuij, Mirapiſcis Domini: *Margarita* vxor Bernardi Iordani, Inſulæ Domini: *Matha* vxor Bernardi Comitis Aſtaracenſis: *Bruniſſena* vxor Eliç Talayrani Comitis Petragoricẽſis. Obitus circa annũ 1306.

Gaſto 1. Comes Fuxenſis & Bearñ. Vicecomes. *Vxor* Ioanna Arteſia. *Filij* Gaſto, hęres: *Rogerius* Bernardi Vicecomes Caſtriboni: *Robertus* Doneſani Dominus, Epiſcopus Vaurenſis. *Filiæ*, *Margarita*: *Blanca* vxor Ioannis Grallij, & *Ioanna* nupta anno 1330. Petro Comiti Empuriarum, filio Iacobi 2. Regis Aragonum. *Liberi naturales*. Raimundus Arnaldus: Lubatus: Bearneſa vxor Anerij, filij Raimundi Arnaldi Gerſereſti Domini. Obitus anno 1315.

Gaſto 2. Comes Fuxenſis & Vicecomes Bearñ. *Vxor* Alienora Bernardi 5. Conuenarum Comitis, ex Lora Monfortia vxore, filia. *Filius* Gaſto Phœbus. *Liberi naturales*, *Arnaldus-Guilielmus*: *Petrus* vir Florentiæ Biſcayæ Dominę: *Bearneſa* vxor primò Arnaldi Raimundi Vicecomitis Aortenſis, deinde Raimundi Arnaldi Ca-

ſtronouani: & *Margarita*. Obitus Hiſpali in Hiſpania anno 1343. menſe Septembri.

Gaſto 3. cognomento Phœbus. *Vxor* Agnes Philippi Ebroicenſis & Ioannæ Nauarræ Reginæ filia. *Filius Gaſto*, qui nullis è Beatrice Armaniacâ ſuſceptis liberis ante patrem extinctus eſt. *Filij naturales* Bernardus Dux Medinæceli: Ioannes: Gratianus. Obiit Gaſto 3. anno 1390. Kal. Aug.

Matheus Fuxius, Vicecomes Caſtriboni (*Filius* Rogerij Bernardi 2, ex vxore Giraldâ Nauallia; *Nepos* Rogerij Bernardi 1. Vicecomitis Caſtriboni, *Pronepos* Gaſtonis Comitis Fuxenſis & Vicecomitis Bearn.) ſucceſſit in vtraque Dynaſtia Gaſtoni Phœbo cognato ſuo ſine liberis mortuo. *Vxor* Ioanna, filia Ioannis Regis Aragonum, ex Matha Armaniaca. Obiit ſine prole anno 1399.

Iſabella Mathæi ſoror ſucceſſit fratri Mathæo. *Maritus* Arcembaldus Graillius Capitalis ſiue Dynaſta *Buxij*, Petri filius, Petri nepos & Ioannis pronepos. *Liberi*, *Ioannes*, hæres: *Gaſto*, Dynaſta Buxij, Vicecomes Benaugij & Caſtilionis: *Arcembaldus* Baro Nauallius: *Petrus* Cardinalis: *Matheus* vxorio iure Comes Conuenarum. Obitus circa annum 1403.

Ioannes Comes Fuxenſis & Vicecomes Bearn. *Vxor* 1. Ioanna filia Caroli 3. Nauarræ Regis, ex vxore Eleonorâ, quæ obiit abſque prole. *Vxor altera*, Ioanna Caroli 1. Lebreti Dynaſtæ, ex Mariâ Sulliacâ vxore filia *Liberi*, Gaſto, hæres, & Petrus Lautreci Vicecomes. *Vxor* 3.: Ioanna Aragonia; ex quâ nulli liberi. *Filius naturalis* Bernardus Gerdereſti Dominus. Obiit circa annũ 1436.

Gaſto 4. Comes Fuxi & Bearni Dominus. *Vxor* Eleonora, Ioãnis Aragonij & Blancæ Nauarræ Reginæ filia. *Filij Gaſto* (qui relictis ex vxore Magdalena Caroli VII.

Regis filiâ duobus liberis *Franciſco Phœbo* & *Catharinâ*, obiit viuis parentibus) *Petrus* Cardinalis, *Ioannes* Vicecomes Narbonę & Comes Stampenſis, & *Iacobus*. *Filiæ, Maria* vxor Guilielmi Marchionis Montferratij. *Ioanna*, vxor 1° Ioannis 5. Armaniacenſis Comitis, deinde eo mortuo Ioannis Aſterienſis Vicecomitis. *Margarita* vxor Franciſci Britanniæ Ducis: *Catharina* vxor Gaſtonis Fuxij Candalæ Comitis: & *Leonor* quæ innupta obiit. Obitus anno 1472, menſe Iul. ad Roncauallim.

Franciſcus Phœbus, Gaſtonis & Magdalenæ filius, ſucceſſit *Gaſtoni auo* in Comitatu Fuxenſi & Dynaſtiâ Bearnenſi, Eleonoræ autem auiæ in Regno Nauarræ. Obiit ſine liberis anno 1482.

Catharina ſoror Franciſci Phœbi ſucceſſit fratri in Nauarræ Regno & in Comitatu Fuxenſi, ac Dynaſtiâ Bearnenſi. Nupſit Ioanni Lebretio de vtriuſque progenie dixi ſupra cap. 10.

Pontifices Bearnenſes ſeu Laſcurrenſes.

B. GALACTORIVS martyr Epiſcopus Benearnenſis, adfuit Concilio Agathenſi anno 1056.

Sauinus Epiſcopus Benearnenſis, in Concil. Matiſc. 2. anno 588.

B. Iulianus, temporibus Theodorici Francorum Regis & Ebroini Maioris Palatij, circa annum 680.

Raimundus 1. Epiſcopus Vaſatenſis & Laſcurrenſis, anno 1040.

Raimundus 2. circa annum 1060.

Gregorius Abbas ſancti Seueri 1068.

Bernardus, circa annum 1072.

Sanctius, affuit dedicationi Eccleſiæ Oſcenſis, circa an-

num 1096. Viuebat etiam anno 1101.

Guido, annis 1115 & 1127.

Arſiuus.

Gaſto.

Raimundus, 1150.

Guilielmus 1170.

Sancius Anerius 1200. & 1205.

Raimundus Benacus, annis 1214 & 1220.

Bertrandus Motanus, ab anno 1247, ad annum 1256.

Arnaldus Morlanus, anno 1286.

Sanctius, anno 1288.

Raimundus Ogenius, annis 1293 & 96.

Arnaldus, anno 1297, & anno 1317 cum cognomento *Arbuſij*.

Guilielmus-Arnaldus Saltanus, anno 1321.

Raimundus Andoinſius, anno 1330 & 1345.

Arnaldus-Guilielmus Andoinſius, annis 1352, & 1356.

Bernardus, anno 1362.

Odo, anno 1368 & ſequentibus vſque annum 1400.

Ioannes, anno 1402.

Petrus Fuxius, poſtea Cardinalis ab anno 1405 ad annum vſque 1422 (quo à Martino Pontifice Max. reuocatur) hanc Eccleſiam rexit.

Arnaldus Salinius, anno 1427.

Arnaldus Abadianus, annis 1428 & 1432.

Petrus Fuxius Epiſcopus Albanenſis adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ Laſcurrenſis, annis 1433 & 1436.

Ioannes Leuius, anno 1473.

Robertus Spinæus, annis 1480 & 1491.

Bonifacius Petrucius, anno 1496.

Amaneuus Lebretius Cardinalis adminiſtrator huius Eccleſiæ anno 1513.

Ioanns Salanus, 1519.

Paulus Bearnius, annis 1527 & 1530.

Iacobus Fuxius, anno 1551.

Ioannes Capdeuillanus, anno 1554.

Georgius Armagnacus Cardinalis, adminiſtrator perpetuus, anno 1555. traductus hinc ad Archiepiſcopatum Tholoſanum primò, deinde ad Auenionenſem.

Ludouicus Lebretius, ab anno 1556, ad annum 1569.

Ioannes Iagotus.

Ioannes Petrus Abadianus, ab anno 1600 ad annũ 1609,

Ioannes Saletanus, ab anno 1609 ad annum 1632.

Ioannes-Henricus Saletanus.

Pontifices Olorenſes.

B. GRATVS Epiſcopus Olorenſis in Concilio Agathenſi, anno 1506.

Licerius Concil. Pariſ. 4. anno 573 Matiſconenſi 2. anno 585, vbi legitur Lucerius.

Raimundus, circa annum 1040.

Stephanus, circa annum 1050 & 1063.

Amatus, anno 1070 erat Legatus ſummi Pontificis in Aquitania: fuit traductus poſtea ad Archiepiſcopatum Burdegalenſem.

Odo Abbas Generenſis & Epiſc. Olor. 1096 & 1101.

Rogerius.

Arnaldus, anno 1114 Epiſc. Olor. & Prior Morlañ.

Arnaldus Iſeſtus, anno 1140.

Bernardus, anno 1170 & deinceps ad annũ vſque 1205. Anno 1179 interfuit Concilio Lateran.

Bernardus Morlanus, annis 1220 & 1238.

Petrus, annis 1250 & 1254.

G. id eſt, *Guilielmus* vel *Geraldus*, anno 1255.

Rogerius, eodem anno 1255.
Compainhus, annis 1260, 64 & 85.
Bernardus, anno 1288.
Gaillardus, 1290 & 1303.
Guilielmus Arnaldus, 1316.
Arnaldus Valenſunus, ab anno 1324 vſque ad annũ 1341.
Bernardus, 1343.
Petrus Eſquironus, anno 1363 & deinceps ad annũ 1369.
Guilielmus Aſſatus, 1375.
Sancius, Monachus.
Arnaldus VVilielmi, anno 1399.
Petrus Auſcienſis Archiepiſcopus, adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ Olorenſis, anno 1407,
Arnaldus Raimundi, anno 1436.
Garcias, 1455 & 1465.
Sancius Caſanouanus ætate Franciſci Phœbi.
Ioannes Pardalhanus.
Coſmus Pacius electus ſub Alexandro VI. Pontifice Romano.
Amaneuus Lebretius Cardinalis, adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ Olorenſis anno 1500, cuius tamen poſſeſſione breui deturbatus fuit à Raimũdo Arnaldo Beonio, qui à Canonicis ex Archidiac. in Epiſcopum electus fuit.
Raimundus Arnaldi Beonius, annis 1501. & 1518.
Ioannes Fuxius, aliàs *Iacobus*, 1534.
Geraldus Roſſellus, 15 0.
Claudius Reginus, ab anno 1562 ad annum 1580.
Arnaldus Maytius ab anno 1599 ad annum 1610. Huius curâ, & vigiliis, Eccleſia Bearnenſis, iampridem aduerſariæ Religionis factioſorum artibus non modice labefactata, anno 1610 in antiquum ſtatum reſtituitur.
Arnaldus Maytius, ſuperioris Arnaldi fratris filius.

Vicecomites Solenſes.

BEARNENSI Principatui ad Occidentem & Meridiem obiacet *Sola* aliàs *Seula*, Fredegario *Subola* Romanis forſan *Sibylla*, vnde Sibyllates populi Plinio lib. 4. cap. 19. Inter illius Vicecomites numerantur.

Raimundus-Guilielmus, cognomento *Salamaca* Vicecomes Solenſis, circa annum 1040, & deinceps ad annum 1060. *Liberi*, Guilielmus Fortis & Arnaldus Fortis.

Guilielmus Fortis, ab anno 1080 ad annum 1118.

Centullus.

Nauarra cum marito *Augerio Miramontio*, anno 1150.

Bernardus-Sanctius, anno 1178.

Raimundus-Guilielmus 2. anno 1187 & deinceps ad annum 1200. *Vxor*, vt puto, Felicia. *Liberi*, Raimundus-Guilielmus 2. & Guilielmus Fortis.

Raimundus Guilielmus 2. ab anno 1240 ad annum 1254. *Vxor* Marqueſa. *Liberi* Augerius: Arnaldus-Raimundus.

Augerius Vicecomes Solenſis anno 1260. *Vxor* Miramonda Butzia. *Liberi* Corbaranus (extinctus patre ſuperſtite, relictâ filiâ Miramondâ:) Augerius: Ioannes, & Miramonda, quæ nupſit Guilielmo Caumontis in Gaſconiâ Dynaſtæ. Augerius Dux belli præſtantiſſimus, cum iuſtas cum Edoardo Aquitaniæ Duce inimicitias ſuſcepiſſet, relictâ Aquitaniâ in Nauarram ſe recepit, vbi illuſtrem Mauleoniorum, *Rada* Dominorum, familiam produxit, obiitque Vexillarij regni munere functus anno 1318.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
IN NOTITIA VTRIVSQVE
VASCONIÆ MEMORABILIVM.

A

A & Ac in fine nominum Vaſconicorum poſita articuli ſunt, non autem terminationes nominum. 36. 37
Abarcæ cognomentum Sanctio-Garſiæ Regi, huius nominis 2. ſoli conuenit. 185. & ſeqq.
Abbates ius ſuffragij in Comitiis Nauarræ habentes. 103
Acrimontana familia. 549
Acrimontani Dynaſtæ. 514. 487
Acs. V. Aquæ Auguſtæ.
Adelericus Vaſco & eius bellum contra Chorſonem & VVilielmum Tholoſanos Duces. 551
Adrianus Papa an conſultus fuerit à Nauarris Eneconem Ariſtam Regem electuris. 262
Adurenſes Pontifices aliàs Vicoiulienſes, Martianenſes, & forſan etiam Vaſconenſes dicti. 462. 463
Adurenſium Pontificum Catalogus. 463. & ſeq.
Æram nuſquam pro anno Chriſti poni, 287. 288. eius legendæ in vetuſtis Tabulis difficultas, 191
Aghon Deus cultus à Bigorrenſibus. 507
Aialanorum ſtirpis origo. 377
Alagonis Eccleſia Archiepiſcopo Auſcienſi donata. 452
Alaricus Rex commentitius Aragonum. 134
Alaua non eſt pars Cantabriæ veteris, 5. 6. 7. ſed Vardulorum regionis, 6. vnde ſic dicta, 143. 144. Alua etiam contractè dicta apud nonnullos ſcriptores, *ibid.* Aſturienſibus Regibus olim ſubiecta, 144. 145. quando in ditionem Nauarræ Regum venerit, 145. quando Caſtellæ annexa, *ibid.* quatenus Caſtellæ Comitibus ſubiecta fuerit. *ibid.*
Alauæ ſitus & deſcriptio, 143. & ſeq. fines, 152. vrbes. 150. 151. 152
Alauenſes ſibi dominos arbitrio ſuo eligebant. 145. & ſeq.
Albanus Dux Nauarræ Regem incautum fraude opprimit. 353
Alcaldi Nauarræ iudices. 120. 121.
Aldebrandi nomen pro Ildebrando, id eſt Gregorio 7. in foro Suprar-

bienſi ſcriptum. 262
Alduyda & Alduydenſes ſaltus. 252. 253
Alferez. V. Vexillarius.
Alfonſi primi Regis Aragonenſis mortis genus, 323. elogium. *ibid.*
Alfonſus Ramiri, Caſtri veteris Dominus, cuius filius eſſet. 316
Altafailla. V. Tafailla.
Alua Vardulorum vrbs. 143
Amaia vrbs Cantabriæ. 10
S. Amandus. 393. 433
Amanugus Vaſco tempore Pipini Regis. 488
Amanum portus. 153
Amorozius. V. Aureolus.
Amuna vxor Garſiæ-Sanctij curui Gaſconiæ Comitis. 415
Andoſilla vrbs Nauarræ. 90
Aortenſis Vicecomitatus. 539
Aortenſium Vicecomitum ſtemma. 548
Aquæ Auguſtæ aliàs Tarbellicæ, nomen vrbis hodie *Acs* dictæ, & cur ſic dicta, 466. 467. à Romanis condita, 468. antiquitatis veſtigia in eâ, *ibid.* eſt hodie Caput Seneſcalliæ Landarum, 470. à Ricardo Comite Pictauienſi expugnata, 406. 471. titulus ciuitatis nobilium ei attributus commentitius. 542
Aquarum Tarbellicarum ſitus. 396
Aquenſis vicus, *Bagneres*. 506
Aquenſium Pontificum Catalogus. 474. & ſeqq.
Aquenſium Vicecomitum Catalogus. 471. & ſeqq.
Aquiſa furua, expanſis alis, inſigne Sanctij huius nominis vltimi Nauarræ Regis. 355
Aquilifer. V. Vexillarius.
Aquitania propriè dicta, 469. Arecomica anteappellata. *ibid.* & 470
Aquitania quando à Romanis ſubacta. 468. 469
Aquitaniæ nomen vnde manauerit. 467
Aquitaniæ Primatus. V. Primatus.
Aragonenſium Annalium Authoris anonymi quę ſit auctoritas. 184
Aragones an iidem cum Rucconibus vel Rocconibus. 134
Aragoniæ Comitatus ſitus in Vaſconum regione. 23
Aragoniæ Comitum genealogia. 365. & ſeqq.
Aragoniæ etymon, 132. 133. ſitus & fines, *ibid.* primus Comes quis. 135
Aragoniæ Regni titulus quando cœperit. 136. 308. 309
Aragus fluuius Eulogio. V. Arga.
Arcium in Pyrenæis à Vaſconibus conditarum veſtigia. 586
Arecomica, pro Aquitaniâ, 470. non erat olim tertia pars Galliæ, ſed continebatur ſub Celticâ, 470
Arga fluu. 76. Aragus dictus Eulogio. *ibid.*
Arimbertus Dux Dagoberti Regis à Vaſconibus fuſus. 388
Ariſta Rex. V. Enecus.
Ariſtæ nominis etymon. 252
Armaniaci Comitatus olim ſub Fidentiacenſi comprehenſus, 489. eius ſitus & deſcriptio, 491. Comitum ſtemma. 492. & ſeqq.
Armentegui Alauæ vicus & ſedes Epiſcopalis. 151
Arnaldenſes ſolidi vnde dicti. 425
Arnaldus Dux Gaſconum, 419. eius genus, *ibid.* Vaſconum Princeps. 423.
Arocelitani populi Plinio. 90
Aſinarius vel Aſenarius Comes ad Pyrenæum captus. 258
Aznarij Aragoniæ Comitis genus, falsò ab Eudone Aquitaniæ Duce peti, 366. & ſeqq. Verum genus, 368. 369. fuit citerioris Vaſconiæ Comes ſub Pipino Aquitaniæ Rege, à quo poſtea defecit. *ibid.*

Aſtaraci deſcriptio, 499. Comitatus origo, *ibid.* & 425. Comitum genealogia, 499. & ſeqq.
Aſterienſis Vicecomitatus. 506
Aſterienſium Vicecomitũ ſtemma. 512. & ſeqq.
Ateresia arx quando & à quo condita. 135. 290
Ateresius Ioannes Eremita. 136
Athanagię nomen malè tributum à nonnullis Pompeloni. 78
Aturrenſes populi, vulgò *Ayre*, vnde ſic dicti. 461
Aturrenſium oppidum Vicus Iulius dictum. *ibid.*
Aureolus Comes quaſdam arces tenuit circa Suprarbium, 219. eo mortuo Amorozius illas arces occupauit. *ibid.*
Auſcij populi vel Auſci, aut Auxitani, 444. 445. eorũ fines olim latiſſimi vſque ad Pyrenæum & Oceanum. 445
Auſcienſiũ Pontificum Catalogus. 448. & ſeqq.
Auſtroualdi Ducis Franci inanes contra Vaſcones expeditiones. 387. 392
Autrigones populi, Allotrigæ dicti Straboni, 7. eorum Regionis ſitus. 5. 7

B

B & V conſonantis ſonus promiſcuus in plerìſque vocibus Hiſpanicis & Vaſconicis, 56. 399. 400
Bacallao piſcis. 175. 401
Bagneres olim Aquenſis vicus, 506. ab Aquis ſalubribus ſic dictus. *ibid.*
Bahalucus Dux Sarracenorum, Suprarbiũ, eiuſq; confinia tenuit. 219
Baigorriæ pagus & Vicecomitatus, 248. Baigoer, Beigur, & Bigur aliquando dictus. *ibid.*
Baigorritani Vicecomites. 248. 249. 250
Baia Vaſconicè eſt portus. 49. 540
Baiona vrbs Caput Vaſcitaniæ ſeu Vaſcorum Regionis. 407. à Ricardo Comite Pictauienſi expugnata, 406. dicta olim Lapurdum, 539. nominis etymon, 540. ſitus. *ibid.*
Baionenſes Vicecomites, 544. & 545. Pontifices. 545. & ſeqq.
Baionenſis præfectura, 539. eius termini. 543
Baionenſis territorij limes olim Oïarço. 165
Baionenſis diœceſis termini, 173. Ipuſcoæ magna pars olim eâ comprehendebatur, 172. quando diſtracta. *ibid.* & 173
Baionenſi Pontifici ſubiecti pagi. 404
Bartani Dynaſtæ & Vicecomites. 525. & ſeqq.
Baſci & Biſcaini, qui dicti à Gallis. 2
Baſci. V. Vaſci.
Baſclonia pro Vaſcorum regione. 406
Baſcones pro Vaſconibus. 399
Baſconia pro Vaſcorum regione. 399
Bearnenſis Principatus deſcriptio, 549. 550. pagi eo comprehenſi, *ibid.* termini eiuſdem. 550
Bearnenſium Vicecomitum ſtemma, 550. & ſeqq. Pontificum Catalogus. V. Laſcurrenſes.
Beaumontiorum nomen in Nauarram vnde manarit, 343. Beaumontiæ familiæ origo & propagines. 344
Begerri populi iidem cum Bigerris Bigerrionibus & Bigorrenſibus. 505
Behetriarum iuris explicatio. 148. 149. 150. vocis etymon. 48. 49
Berengerius Dux Vaſconiæ & Burdigalæ. 429. 432
Beliſana, Mineruæ cognomentũ. 519

Bellomarcheſium vrbs Pardiaci à quo conditum. 502
Belmontij vrbis conditor quis, 533
Benearnum ciuitas. 549. 550
Bernardus Dux, Comes & Marchio Ripacurciæ è Suprarbio Mauros eiicit. 221
Bernardus Luſcus. V. Luſcus Bernardus.
Bernardus Tumas Palerius. V. Tumas Palerius.
S. Bertrandus Conuenarum Pontifex, 527. ciuitatem illam inſtaurauit, & Canonicos in eâ inſtituit. 520
Bigerri & Bigerriones. 505
Bigorræ ſitus. ibid. & 549
Bigorrenſium Comitum ſtemma, 507. & ſeqq. Pontificum ſeries. 514. & ſeqq.
Bilbao vrbs. 154
Biſauus, de proauo, vel vlteriori auo. 293. 294
Biſcaya non eſt pars Cantabriæ, ſed Autrigonum regionis, 5. ſub Alaua alias comprehenſa. 143. 144
Biſcayæ deſcriptio, etymon, vrbes, priuilegia, facultates à pag. 152 ad pag. 157.
Biſcayæ Comitũ origo incerta, 371. eorumdem ſtemma. 373. & ſeqq.
Biſcayæ dominium ad quos pertinuerit, 157. & ſeqq. quando Harenſibus abrogatum, & quando reſtitutum. 159
Biſcainorum priuilegium quô vniuerſi nobiles naſcuntur, 161. 162. mores atque indoles. 174. 175
Bituriges Viuiſci. V. Viuiſci.
Bladaſtes Dux à Vaſconibus fuſus & occiſus. 387
Boij quantum diſtent à Baionâ. 541
Bruleſium, Gaſconiæ ditio pertinet ad Agennenſem diœceſim. 444
Bulla Gregorij 2. Pontificis Romani de inſtitutione Aſturienſis & Nauarrici Regni verba faciens ab authore hiſtoriæ Apologeticæ Nauarræ regni edita, falſa. 199. & 200
Bullæ Zachariæ Papæ, Garciæ Simenio inſcriptæ apud Andr. Fauynum, falſitas. ibid.
Burdigala à Mauris occupata, 431. à Normannis capta, 418. 431. olim à Gaſconiâ diſtincta, ſed poſtea ei annexa, 430. à quo & cur ſub Nouempopulaniâ comprehẽſa, ibid à Mauris occupata. 431
Burdigalenſis Comitatus quando Gaſconiæ Principatui acceſſerit. 432
Burdigalenſium Comitum Catalogus. 431. 432
Burdigalenſium Pontificum Catalogus. 433. & ſeqq.
Burgundio Comes Fidentiacenſis. 489

C.

CAgoti. 414. 415
Caia mater Ramiri Regis primi Aragoniæ. 309
Calagurris vrbs olim Vaſconiæ, 22. 23
Calagurritani Fibularienſes, 25. Sertorio adhærent & vltima quæque pro eo patiuntur. 27. 28. 140. 141
Calagurritani, à Iuuenale ſub Vaſconibus, & ſub Cantabris promiſcuè comprehenſi, 17. iampridem auulſi à cæteris Vaſconibus, 137. eorum fortitudo & fides erga Sertorium. 140. 141
Calagurris Fibularia erat Vaſconum vrbs, 137. eadem cum Calagorina, ibid. eius celebritas. 142
Callaica olim dicebatur totus trans Durium tractus & comprehendebat Cantabros & Aſtures. 16
Camarica vrbs Cantabriæ. 10

Camera computorum Nauarræ. 22
Camerorum familiæ origo. 377
Campenſium familiæ origo. 377
Cantabri victi à Legatis Auguſti, 19. item à L. Lucullo. 20
Cantabri Conifci. 7. 9
Cantabri ab Auguſto ad plana deducti & quò. 16. 17
Cantabria ſita erat olim vbi nunc pars Legionenſis regni & Caſtellæ veteris. 16
Cantabria vrbs an fuerit. 8. 18
Cantabria à Francis poſſeſſa, 13. à Siſebuto bello acquiſita & Gothorum regno annexa, 21. à variis populis direpta. ibid.
Cantabriæ deſcriptiones variæ, 4. 5. reiectæ. 5. & ſeqq.
Cantabriæ fines, 8. 9. vrbes. 10
Cantabriæ nomine Rioja quo ſæculo deſignata. 17
Cantabricæ linguæ appellatione hodie linguam Vaſcam deſignari etiam à doctis. 2. 3. 36. 37
Cantabricum bellum ab Auguſti Legatis quo loco geſtum, 13. 14. 15. falli eos qui in Ipuſcuâ geſtum putant, item qui in Nauarrâ, 12. de hoc bello quorumdam recentiorum Scriptorum commenta. 19
Cantabrorum mores iidem qui Luſitanorum. 34
Cantabrorum nomina propria rudia olim. 43
Cantabrorum nomine hodie Vaſci deſignantur, 2. 37. à quibuſdam autem Biſcaini, Ipuſcuates & Alauenſes, 3. à nonnullis Nauarri, ibid. ab aliis Biſcaini ſoli, ibid.
Cantabrorum robur ſub Auguſto interiit. 19
Capoti. 414. 415
Cares vrbs Nauarræ aliàs Puente la Reyna. 88
Carenſes populi Plinio. ibidem.
Cariſti ſub Vardulis comprehenſi. 5
Cariſtorum ſitus. 5
Caroli crux vbi ſita. 406
Caroli Magni exercitus à Vaſconibus cæditur ad Roncauallim. 31
Carolus Magnus Vaſcones ſubigit & Nauarros, 30. 31. Pompelonis mœnia diruit. 31
Carolus Vianæ Princeps eiuſque bellum contra patrem Ioannem, 351. Vxor & liberi naturales, 352. Hiſtoria Regum Nauarræ ab eo quo tempore ſcripta. 357
Calcantenſes. 25
Caſcantum municipium Romanorum. 90
Caſtellæ Comites ante Ferdinandum Gundiſalui filium obſcuri & viribus infirmi erant. 420. 421
Caſtellum Ictium. 533
Caſtrilobom Domini. 311. 312
Catenæ in prœlio contra Miramamolinum geſto, perruptæ à Sanctio Nauarræ Rege, 356. illarum fragmenta ab eodem Rege Nauarram delata, & in templis appenſa, 358. an fuerint inſignia Nauarræ Regum. 356. & ſeqq.
Celia potionis genus. 41
Celtiberi ab Annibale ad Romanos tranſeunt. 27
Cetra quibus Hiſpanorum in vſu fuerit. 41
Chronicum Nauarræ Regũ Theobaldo Regi aſcriptum. 235. 236
Citerior Vaſconia. V. Vaſconia Citerior.
Clementia vxor Sãctij Nᵃ cognomento incluſi, marito ſuperſtes fuit, & cui iterum nupſerit. 331
Cocolobis genus vitis. 41
Collegium Canonicorum Roncauallenſiũ, 96. Tutelenſium. ibid.
Comitatus & Vicecomitatus, & Comitum ac Vicecomitum no-

mina promiſcuè ſæpè vſurpata. 253. 254
Comitia Nauarræ nunc tertio quoque anno celebrantur. 103
Comitia quis indiceret in Nauarrâ. de cauſis, loco, & tempore quibus indicebantur & de perſonis ex quibus conſtabant, 112. munera quæ, in iis, Regibus offerebantur. quo titulo id fieret. 113. parciùs olim fiebant, poſtea anniuerſaria reddita ſunt. *ibid.*
Comitia de quibus cauſis cognoſcerent, 115. mortuo ſine liberis Rege nouus Rex in iis eligebatur. *ibid.*
Comitiorum extraordinariorum cauſæ in Nauarrâ. 114. & ſeqq.
Concilia Nauarræ. V. Comitia.
Condomienſis Pagus, 441. pertinet ad Agennenſem Præfecturâ, *ibid.* Pontificatus à quo inſtitutus. *ibid.*
Condomienſium Pontificum ſeries, 442. & ſeqq.
Coniugationes verborum Vaſconicorum. 60. & ſeqq.
Conſtabularij munus, quando cœpit in Nauarra, 111. factum eſt hæreditarium in familiâ Beaumontiâ. *ibid.*
Conſtabulariorum Nauarræ Catalogus. 364
Conſulis vox pro Comite. 471
Conuentus Nauarræ. V. Comitia.
Conuenarum Comitatus olim liber, & alodialis. 521
Conuenarum Comites quo tempore Tholoſanorum Comitum clientes & vaſſalli facti ſint, *ibid.* eorum ſtemma. *ibid.*
Conuenarum ciuitatis origo, 384. 517. excidium, 520. inſtauratio, *ibid.* antiquitatis veſtigia in ſuburbano conſpicua. 518. 519.
Conuenarum Comitatus deſcriptio. 520
Conuenenſium Pontificum Catalogus. 527
Coronationis Nauarræ Regum ſolemnia. 116. 117. 119. 120
Coſſio Vaſatum vrbs. 459
Curia pro populi conuentu. 75
Curia maior Nauarræ olim Senatum repræſentabat, ſed poſtea ab ea appellatum eſt ad conſiſtorium Regis. 121. 122

D

DEua fluuius. 5
Declinatio nominum Vaſconicorum. 57. & ſeqq.
Dialecti variæ Vaſcæ linguæ. 72
Donationes à Nauarris Regibus ſuis fieri ſolitæ. V. in Comitia.
Durango, vrbs Biſcayæ, videtur olim ad Alauam pertinuiſſe & de eius amplitudine. 153. 154
Durangi ditio olim à Biſcaya ſeparata proprios Comites habuit. 372
Dureta pro lignei ſolij genere. 42

E

EBlus Comes ad Pyrenæum captus & Cordubam miſſus. 258
Eclypſis Solis inſignis tempore Ludouici Pij. 417
Eluſa, & Eluſates. 445
Eluſanorum Pontificum ſeries, 447. 448
Eluſanus Pagus ad Armaniacenſem Comitatum pertinuit. 491
Eluſaberris Auſcorum vrbs. 445
Emeno Princeps Aquitanicus iuuit Pipinum contra Carolum Caluum, 422. erat frater Turpionis Comitis Engoliſmenſis, *ibid.* forſan idem cum Iminone ſeu Imone Comite Petracoricenſi. *ibid.*
Eneca, Garſiæ Eneconis Regis filia, quibus nupſerit. 229

Eneco Ariſta primus Nauarræ Rex, 224. diuerſus ab Enecone Ximenonis, 246. 247. de eius gente & patria, 247. & ſeqq. tempus regni. 268. 269
Eneconis Ariſtæ duas diuerſas electiones finxit Blanca. 261
Epiſcopi Alauenſes. 152
Eprenio Francorum magnus Dux. 421
Equi Nauarrici optimi. 132
Era. V. Æra.
Ergauicenſes populi. 25
Errores in numeris ærarum frequentes in veteribus monumentis. 186. 237. 242. 286
Eudonis Aquitaniæ Ducis genus & progenies. 366. 367. 368
Eylo Alauæ Comes. 145

F

FAbuloſa multa de Rerumpublicarum & Regnorum originibus tradita à Græcis. 213. 214
Fabuloſa quædam, circa Nauarræ regni initia, à nonnullis Scriptoribus tradita. 214. 215
Fama vulgi infida & fallax in rebus antiquis recenſendis. 213
Felicia vxor Sanctij-Ramiri Regis Aragon. erat filia Hilduini Comitis Rocienſis. 321
Feſenſaguelli Vicecomitatus deſcriptio, 497. Vicecomitum genealogia. 498. 499
Fidentiacenſes Comites dicti etiam Auſcienſes, 489. eorum ſeries & Genealogia. 489. & ſeqq.
Fidentiacenſis Comitatus deſcriptio. 489
B. Firminus Pompelonenſis ciuis fidem Chriſti variis populis prædicat, 78, Martyrio afficitur, *ibid.* & 79
Fiterij monaſterium, 97. 98. 99
Flauiobriga. 153
Florentia vrbs Gauræ à quo condita. 497
Fontarrabia vrbs. 168
Fori ſeu iura ſingularia quorumdam Nauarræ populorum. 209
Fortunius Garſiæ Rex Pompelonenſis quando vixerit, 225. 226. vnicus fuit, non duplex, & poſt Ariſtam regnauit non ante, 183. & ſeqq. à Mahomede Rege Cordubenſi captus fuit, 273. fit Monachus. 276
Formacei parietis genus. 40
Fuxenſium Comitum ſtemma. 533

G

G, poſt S, mutatur in C, in Vaſcâ linguâ. 55
Gaheti & Goti. 414. 415
Gallecia portio erant Cantabri & Aſtures. 16
Galliæ nomine Nauarra cur deſignata à Sampyro. 272
Galactorius Comes Burdigalenſis. 386. 431
Garacharius Comes Burdigalenſis. 431
Garſias-Eneconis Rex vnicus fuit non duplex, poſt Ariſtam regnauit non ante. 183. & ſeqq. & 235
Garſias-Ramiri Rex N. 279. 323. eius auus incertus, licet certum ſit Sanctij Penalenij Regis fratrem fuiſſe, 324. 325. Vxor Chriſtina non Eluira, 323. fuit Montiſonis Dominus. 325
Garſias-Sanctij curuus Gaſconiæ Comes, 425. eius vxor & liberi. *ibid.*
Garſiæ-Sanctij 1. Nauarræ Regis ætas, 229. 230. annus obitus, 231. liberi. *ibid.*
Garſias-Simeni Rex poſt Ariſtam non ante regnauit, 183. & ſeqq.

eius ætas, 234. annus obitus. 242. 273
Garſias-Simiri à Vaſconibus ſeu Vaſcis Princeps electus. 256
Garſias-Sanctij tremulus Rex, 230. annus obitus 232
Garſias Rex Nauarræ Sanctij maioris filius ſucceſſit matri in parte Caſtellæ Comitatus, 304. 305. 306. à quo interfectus. 304
Garumna fluuius Aquitaniæ & Vaſconiæ communis terminus. 391
Gaſcones à Vaſconibus appellationem & originem trahunt. 3. & 390.
Gaſconum mores. 414
Gaſcones à Francis deficiunt & Ducem ipſi eligunt. 419
Gaſconia propriè dicta, eſt pars Aquitanicæ Vaſconiæ, 443. eius fines. 444
Gaſconia vaſtata à Normannis, 416. 417. 418. quando iuncta Aquitaniæ. 430
Gaſconia Tholoſana, 532. Pagi eâ comprehenſi. 535
Gaſconiæ Duces dicebantur etiam Marchiones. 428
Gaſconiæ Ducum Catalogus à tempore Caroli Magni vſque ad Sanctium 1. Ducem. 415. & ſeqq.
Gaſconiæ Ducum ſtemma à Garſiâ-Sanctij curuo incipiens. 429
Gauarreti Vicecomitatus. 444
Gauarreti Vicecomites. 484
Gaubertus Fabricius quo tempore ſcripſerit. 217
Gaufredus frater Ducis Aquitaniæ Gaſconiam Bernardo Tumapaletio eripuit. 429. 430
Gauræ Comitatus. 497
Generibus carent Vaſconica nomina, 57. verba verò eius linguæ genera habent. 71
Genialis Dux Vaſconibus à Francis impoſitus. 387
Geſum pro genere iaculi, eſt vox Hiſpanica. 42
Gimoëſij Vicecomitatus. 533
Gimontij vrbis conditor quis. 533
Go ſyllaba, veteribus Hiſpanis pro præpoſitione cum. 55
Gramontij. V. Acrimontani.
Graccuris vrbs olim in Vaſconia, 22. 23. eius etymon, 55. 56. vetus nomen Illiturgis, 90. ſitus. 23. 90. & 91
Gubernatorum Nauarræ Catalogus. 360. & ſeqq.
Gueuara latro Biſcayæ dominatur, 160. Garciæ Ramiri Regis electionem procurauit, 279. ab ipſo Comitis & Principis Nauarrorum titulum accepit. ibid.
Guilielmus Dux Burdigalenſium à Normannis captus. 418
Guilielmus Comes Burdigalenſis captus ab hoſtibus liberatur à Gaſconiæ Duce. 432
Guipuſcoa. V. Ipuſcoa.
Gurdus eſt vox Hiſpanica. 42

H

HArenſis cognomen quando à Biſcayæ Comitibus, primò aſſumptum. 375
Haritzeta. V. Ariſta.
Hatto Eudonis Aquitaniæ Ducis filius. 367
Hermandatus iuriſdictio, origo ipſius, leges & ſtatuta, 122. & ſeqq. Iuncta olim dicta, vnde Supraiunctarij illius Duces, 129. diuerſi ab aſſertoribus pacis. ibid.
SS. Hemiterij & Chelidonij patria & martyrium. 138. 139
Hijo Dalgo nobilem Hiſpani imitatione Vaſconum dixerunt. 54
Hiraxenſe Monaſterium. 97
Hiſpani 300. in Italiam miſſi ad reuocandos populares qui pro

Annibale militabant. 27
Hiſpaniæ populorum linguæ olim inter ſe diuerſæ. 44
Hurdaſpal in Roncalenſi pago. 103

I

IAcca Vaſconum vrbs,23. eius territoriũ Aragonenſe dictum. 131
Iaccetani populi diuerſi à Iaccæ vrbis incolis,23. iidem fuiſſe videntur cum Lacetanis. 24
Iberus fluuius Vaſconis cognomen tulit, item Cantabri amnis, 17. apud Nauarros oritur & ſub Dertuſa mari miſcetur. 31
Idanuſa vrbs. 23
Ili vel *Iri* Vaſconicè eſt vrbs. 55
Illiturgis vrbs aliàs Graccuris. 90
Ilumberritani populi. 25. 90
Imo Petragoricenſis Comes, 419. idem forſan cum Iminone Principe Aquitanico. 422
Incluſus cognomen Sanctij Nauarræ Regis huius nominis vltimi. 331
India ſoror Comitis Tholoſani quibus nupta. 356
Induo Dux Nauerrorum. 259
Infantaticum. 350
Inferior Nauarra. V. Nauarra inferior.
Inica & Inicus. V. Eneca & Enecus.
Inſignia Nauarræ Regum. 354. & ſeqq.
Inſulæ-Iordani Dynaſtarum ſtemma. 535
Inſulæ-Iordani Dynaſtia quo tempore Comitatus titulo inſignita, 444. & 533. vnde ſic dicta. 533
Ioanna Nauarræ & Franciæ Regina, eiuſque virtutes. 339. 340
Ioanna Philippi Ebroïcenſis Nauarræ Regis & Ioannæ Reginæ eius vxoris filia Cœnobium Longi-Campi ingreſſa. 341
Ioannes-Henrici Lacarrarum ſtirpis Caput. 338. 339
Ioannis Munionis Laræ Domini ſtemma. 380
Ioſci. V. Viuiſci.
Ipuſcoa olim dicta Vardulia. 5. 6
Ipuſcoæ etymon, 163. ſitus & deſcriptio, 164. & ſeqq. vſque ad pag. 175. dominium ad quos pertinuerit, 170. 171. 172. pars maxima in diœceſi Baionenſi ſita olim, & quando ab ea diſtracta, 172. 173. eadem pars Comitibus Vaſconiæ ſubiecta. 402. 403
Ipuſcoanorum mores, artes & ingenia. 174. 175
Irançu Monaſterium. 102
Iruna Vaſcones vocant Pompelonem. 77
Iſabella Caroli Regis Nauarræ filia, vxor Ioannis Comitis Armaniaci. 349
Iſarnus, Iſarni Comitis Ripacurcienſis filius. 284
Iturîſſa vrbs erat in Vaſtanèſi pago. 24. 25. 87. falluntur qui Sangoſſam fuiſſe putant. *ibid.*
Iuliobriga an ſit *Aguilar de Campo*, an *Santander*, an Lucronium. 10. 11
Iuliacenſis Vicecomitatus. 444
Iura ſingularia Pagorùm aliquot atque oppidorum Nauarræ. V. Fori.
Iuriſiurandi à Regibus Nauarræ præſtandi forma. 75. 117. item alia à populo Regibus ipſis præſtandi. 119
Iuriſiurandi à Biſcaiæ Dominis populo ſuo præſtari ſoliti forma. 161

L

L in Vaſconicâ linguâ mutatur, ſæpè in R. 55
Lacarræ Ablitenſes Mareſcalli munus primi geſſerunt in Nauarrâ. 111

Lacarranus Martinus Henriquez vexillarij munere functus in Nauarrâ. 111

Lacarrarum Abliten ſium origo. 338. 339

Lacetani iidem videntur eſſe cum Iacetanis, 24. erant proximi Ilergetibus & Auſetanis. ibid.

Lactoræ vrbis antiquitas. 478 Lectora, ibid. fuit Caput Leomanienſis Vicecomitatus. ibid.

Lactorenſes Pontifices. 481. & ſeqq.

Lagardia vrbs olim in Vardulis erat, vel in Cariſtis. 7

Lalanæ Larreani nobiles. 251

Lampagia Eudonis Aquitaniæ Ducis filia cui nupta. 367

Lana Nauarræ optima, exportatur in longinquas regiones. 132

Lancea eſt vox Hiſpanica. 42

Laræ Domini Biſcayæ Comites & eorum genealogia. 380. & ſeqq.

Larraga vrbs Nauarræ. 90

Laſcurrenſes Pontifices. 554. & ſeq.

Lapurdenſes locuſtæ. 542

Lapurdenſes Pontifices. 545. & ſeqq.

Lapurdenſes Vicecomites. 544. 545.

Lapurdenſis Pagi deſcriptio. 401

Lapurdum oppidũ, 401. idem cum Baiona, ibid. 539. & ſeqq. eius etymon, 401. antiquitas. 541. 542

Latro Gueuara. V. Gueuara.

Latrocinia à militari iuuentute extra patriam facta olim laudi dabantur non crimini apud Hiſpanos & Germanos. 388

Lebretenſis Dynaſtia, 444. & 487. Lebreti vicus, ibid. familiæ antiquitas, & ſtemma Ioannis Lebretij & Catharinæ Nauarræ Reginæ. 488

Legerenſe Monaſterium, 97. quando conditum. ibid.

Legum Nauarricarum ferendarum ratio. 75

Leomanienſes Vicecomites. 480. & ſeqq.

Leomanienſis pagus. 478

Leonellus Caput ſtirpis Nauarræ Mareſcallorum. 347

Leuitanenſis Vicecomitatus. 506

Leuitanenſium Vicecomitum ſtemma. 510. & ſeqq.

Leuuigildus Rex Vaſconiæ partem occupat & Victoriacum condit. 22.

Liberi naturales quid iuris in hæreditate paterna olim haberent. 316. 317

Lingua Vaſconica. V. Vaſconum lingua.

Linguæ Latinæ aſſuefaciebant Romani populos victos. 35

Linguæ lõginquitate temporis mutationi obnoxiæ. 38. 39

Litteræ quædam Vaſcis peculiares. 56

Liutardus Comes Fidentiacenſis. 489

Lomberienſis Epiſcopatus quando inſtitutus. 534

Lomberienſium Epiſcoporum Catalogus. 534. 535

Lugdunum Conuenarum. 517

Lupanerienſis Vicecomitatus. 444

Lupanerienſium Vicecomitũ ſtemma. 485. & ſeqq.

Lumbier vrbs Nauarræ. 90

Luppus Dux Vaſconum, non Gaſconibus, ſed Vaſcis tantum imperabat. 413

Lupus-Centulli fuit nobilis Vaſco, non tamen Dux Vaſconum. 413

Luſcus Bernardus fuit Comes Fidentiacenſis, non autem Armaniacenſis. 490

Luſitanorum mores, 32. 33. 34. communes cum omnibus montanis Septentrionalibus Hiſpaniæ populis. 34

Luxæ Domini Hominium Regi

Nauarræ præſtitum. 264.265
Luxetana familia nobilis & antiqua. 549

M

MAgnoaci pagi deſcriptio. 504
Magrada fluu. hodie Vidaſſo. 87
Maiorinus ſeu Merinus Nauarris eſt Præfectus. 75
Maliuicini Vicariatus erat olim pars Bigorræ, & quando ab ea diſtractus. 505
Manlaſcus fluu. 23
Marciacum vrbs Pardiaci à quo conditum. 502
Marchionis titulus à Ducibus Gaſconiæ vſurpatus. 428
Mareſcalli munus quando cœperit in Nauarra, & à quibus geſtum. 111. 112
Mareſcallorum Nauarræ Catalogus. 364. 365
Margareta Garciæ-Ramiri Regis Nauarræ vxor, Rotronis Perticenſis non filia, ſed neptis ipſius ſorore nata. 326
Maritimenſis Vicecomitatus. 539
Martianenſes Vicecomites. 483
Martianenſis Vicecomitatus ſitus in Gaſconiâ propriè dictâ. 444
Martinus Henriquez. V. Laccarranus.
Martuæ nomen falsò impoſitum à nonnullis Pompeloni. 78
Marzellæ Monaſterium puellarum Sanctia Nauarræ Regina condidit. 329
Mauleo vrbs. 402
Medullius mons Minio imminet, 9. eius ſitus. 13
Melſus fluuius. 9
Menditar Vaſconicè eſt Montanus vel Montium incola. 74
Menlaſcus fluuius, 166. idem cum Magrada Melç & cum Vidaſſone. 167
Mentarra Vaſconicè eſt montanus ſeu montium incola. 74
Merini. 121
Merinus. V. Maiorinus.
Meſnada & Meſnadarij. 108. 109
Metarra ſeu *Mitarra* Sanctij Gaſconiæ Ducis cognomentum quid ſignificet. 423
Metropolitana ſedes Nouempopulaniæ quãdo Elusâ Auſcos tranſlata. 447. 448
Minij fontes in Cantabria. 9
Minius fluu. comprehendit etiam Silum. 14. 15
Miranda Alauæ vrbs. 144. 151
Miranda Aſtaraci vrbs à quibus condita. 499
Mitio Dux Nauerrorum. 259
Momerana. V. Munina.
Monaſteria celebriora Nauarræ. 97. & ſeqq.
Monaſterium S. Crucis Burdigalæ à quo inſtitutum. 432
Monaſterium ſancti Ioannis Pinnatenſis. V. Pinnatenſe.
Monaſterium S. Seueri in Gaſconia à quo conditum. 460
Mons Regalis Ripariæ vrbs à Comitatus Conuenarum iuriſdictione iamdiu ſeparata. 520
Montaneriẽſis Vicecomitatus olim ad Bigorram pertinens, nũc Bearnenſis Principatus pars. 506. 549
Munera à Nauarris Regibus dari ſolita. V. in verbo *Comitia*.
Munimina Froilæ Regis Legion. Vxor Alauenſis erat. 22
Munina Froilæ Regis Aſturienſis vxor, quo genere orta. 191
Munio Biſcaiæ Comes, 158. 275
Mureti Ditio extra veteris Comitatus Conuenarum fines ſita. 521.

iamdiu tamen illi Comitatui annexa. 533
Muza Abenkaci, contra Cordubæ Regem rebellat, vrbes aliquas capit & ſe tertium in Hiſpania Regem iubet appellari, ab Ordonio 2. Regē vincitur. 269

N

NAgera quando in Nauarræ Regū poteſtatem venerit. 290
Naturales liberi. V. Liberi.
Naua Vaſconicè eſt planities montibus proxima, *ibid.* inde *Nauar*, pro planæ regionis incolâ. *ibid.*
Nauarræ Collegium Lutetiæ. 340
Nauarræ etymon, 74. fines, 73. diuiſio in 5. Præfecturas & earum nomina, 75. natura regionis, fertilitas & ſalubritas, 132. vrbes à pag. 76. ad pag. 91.
Nauarræ nobilium gradus diuerſi. 104
Nauarræ regni finis & cum Caſtellâ coniunctio. 353. 358
Nauarra inferior quas ditiones cōplectatur, 401. 402. fuit pars Nauarræ Regni, 248. 405. quando Aquitaniæ Ducibus ſubiecta fuerit, 406. quando à Nauarræ Regibus recuperata. 407
Nauarræ Inferioris ſitus & deſcriptio, 401. 402. 549. nominis ratio. 248
Nauarræ Gubernatorum & Seneſcallorum Catalogus. 360. & ſeqq.
Nauarræ Reges. V. Reges.
Nauarræ regni origo, 259. 260. variæ de eà opiniones. 175. & ſeqq.
Nauarri aute Ludouici Pij Regis ætatem nullos proprios Reges habuerunt. 177. & ſeqq.
Nauarri Aſturiæ Regibus ſubiecti fuerunt primum, 180. deinde Mauris. 181. 182
Nauarris potiſſimum Vaſconum nomen conuenit, & ab iis ad alios Vaſcones manauit. 73
Nauarrorum nomen quando cœperit & quâ de causâ, 74. reipublicæ forma vetus, 75. mores, & ingenia. 130. 131
Nauarrorum Regio Vaſconiæ veteri reſpondet. 3
Nerua fluuius. 6
Neſua fluuius. *ibid.*
Nicetius Comes Aquenſis. 470
Noëga vrbs. 9
Noëgauceſia vrbs. 10
Nomina propria Hiſpanica corrumpere ſolent Celtæ ſcriptores. 260
Nonnati cognomen cur Arnaldo primo Aſtaracenſi Comiti datum. 280. 499
Nouempopulania à Vaſconibus occupata, 389. 390. ab iiſdem Gaſconia dicta. 390

O

In O deſinentia nomina Latina tertiæ declinationis O in genitiuo producunt. 399
in O deſinentia nomina Vaſconica Latinè per Vs maſculinum efferri ſolent. *ibid.*
Oiarço & Oiarçune, 165. 169. olim diuidebat Baionæ territorium ab Hiſpaniâ. 165
Oiaſſo, V. Oidaſſuna.
Oidaſſuna vrbs, 23. eius ſitus Fontarabiæ conuenit. *ibid.* & 167. 168
Olitum, Nauarræ vrbs, olim *Ologitis*, Vaſconicè *Erriberri*, 87. etymon, *ibid.* quando Præfecturæ prærogatiuam obtinuerit, *ibid.* ſitus, fertilitas & amœnitas. *ibid.*
Oliuæ Monaſterium. 99. 100. 101
Olorenſis Vicecomitatus. 549

Olorenſes Pontifices. 556. & ſeqq.
Oñate vel Oñaz vrbs. 169
Oncſiæ Thermæ. 519
Ordo militum Pacis in Auſcienſi Prouincia à quo inſtitutus. 454
Ordunia vrbs. 153
Orſalenſis Vicecomitatus. 549
Otho Dux Vaſconiæ & Aquitaniç. 429

P

PAnon vel Peñon. 257
Pardiniacenſis ſeu Pardiacenſis Pagus ex Aſtaracenſi decerptus. 501. 502
Pardiacenſium Comitum genealogia. 502. & ſeqq.
Petrus Bearnius Biſcayæ Comes. 381
Petrus Rota Epiſcopus Pompelonenſis, inſtaurauit ſuam Eccleſiam, & Canonicos ad Regulam B. Auguſtini retraxit. 94
Philippa Tholoſæ Comitiſſa, VVilielmi Aquitaniæ Ducis vxor, videtur fuiſſe antea nupta Aragoniæ Regi. 522
Philippus Franciæ Rex Regnum viuens filio Ludouico tradidit. 281
Pinnatenſe Monaſteriũ aliàs S. Ioannis de Pinna, 136. à Garſia Simini Rege ædificatum & locupletatum. 137
Plaſencia vrbs. 169
Pompelon Nauarræ Metropolis, 5. 76. vnde ſic dicta. *ibid.* *Pompeiune* etiam vocata, *ibid.* & 77. eius ſitus, 76. vernaculum nomen *Iruna*, 77. à Pompeio aucta, 78. item ab Alfonſo Rege Nauarræ & Aragon. *ibid.* quando Gothis ſubeſſe cœperit, 79. à Sarracenis inuaſa, *ibid.* iiſdem à Carolo Magno erepta, *ibid.* quando à Vaſconum Regibus primò occupata. *ibid.*
Pompelonenſis Pōtificatus & diœceſis. V. Pontificatus.
Pompelonis mœnia diruit Carolus Magnus. 30. 31
Pompelonis obſidio ſub Carolo Magno. 182
Pontificatus Pompelonenſis: eius fines, amplitudo & dignitas, 91. & ſeqq. à Mauris valdè vexatus, 93. à quibus Regibus potiſſimùm ſuſtentatus & inſtauratus. *ibid.*
Procerum Nauarræ iura & priuilegia. V. Ricos.
Portaria & portus pro faucibus Pyrenæorum montium. 405
Portus Sizaræ nunc porta Hiſpaniç. 406
Portus victoriæ Iuliobrigenſium. 11
Primatus Aquitaniæ quæſtio inter Bituricenſem & Burdigalenſem Archiepiſcopos, à Clemente V. Papa dirempta. 432
Proconſulis vocabulum pro Vicecomite. 471
Prolis nomen etiam pro libetis non legitimis vſurpatum. 314
Prudentius poeta erat Calagurritanus, non autem Cæſarauguſtanus. 139. 140
Puente la Reyna vrbs Nauarræ, aliàs Gares dicta, 88. à quo aucta, *ibid.* error eorum qui à Ioanna Regina Henrici Regis filia ſic dictam putant. 89
Pyrenaica regio à Vandalis, Sueuis & Alanis vaſtata. 385

Q

QVintilianus Rhetor ex vtrâ Calagurri eſſet oriundus, 137. eius elogium. *ibid.* & 138
Quercus inſigne veterum Nauarræ

& Aragoniæ Regum, 355. vnde id proceſſerit. 252

R

RAdę Dominorum ſtirpis Caput quis. 558
B. Raimundus Calatrauæ Ordinis inſtitutor è quo loco oriundus. 98
Raimundus Garciæ Nauarræ Regis filius fratricida ad Mauros fugit. 320
Ramirus Aragonenſis Rex primus, 309. an fuerit legitimus filius Sanctij maioris, 309. & ſeqq. eius matris nomen. 314. 316
Ramirus Garciæ Nauarræ Regis filius Rhodæ interfectus, 319. 320. auus Garciæ-Ramiri Regis. 325
Ramirus Montiſonis Dominus, Garciæ-Ramiri Regis pater. 325
Regalis, *Regij* & *Regni* voces Ducibus & Comitibus attributę. 192. 193
Reges Nauarræ geminos pro ſingulis quidam finxerunt. 176. 183
Reges Nauarræ quibus rebus obnoxij eſſent erga populum & Proceres, ſeu Ricos. 75
Regis inaugurandi ritus apud Nauarros. 116. 117
Regum filij natu minores in ſucceſſione regni maioribus natu aliquando prælati. 310. 311
Regum Nauarræ genealogia à pag. 267. vſque ad pag. 354.
Regum Nauarræ ſeries, à Roderico Tolet. & Çurita tradita, manca. 224. & ſeqq.
Regidores. 121
Regulenſe Monaſteriũ Squirs olim dictum, à Normannis destructum & à quo inſtauratum. 462
Regulenſis pagus etſi Ciſgarumnanus pertinebat ad Duces Gaſconiæ. 444
Remiſtagnus Eudonis Aquitaniæ Ducis filius. 367
Rici homines dicebantur in Hiſpaniâ Barones ſeu Optimates, 104. quare ſic dicti, *ibid.* creabantur à Regibus, 105. 106. præcipuè tempore inaugurationis Regum, 107. formula creationis. 105. 106. 107
Ricorum hoc eſt Procerum Nauarræ ius cum Rege de rebus magnis conſultandi & à Mauris parta cum Rege partiendi, 75. item inter priuatos ius dicendi, 75. 121. alia item iura & prærogatiuæ eximiæ, 105. 263. 264. 265. 266. honorarium. 107
Riparia inferior erat olim pars Bigorræ, & quando ab eâ diſtracta. 505
Riparia Ditio intra Conuenarum Comitatus fines ſita, 530. eius deſcriptio, 530. 531. Pagi eâ comprehenſi, *ibid.* ſeparata eſt à Verdunenſi Ditione. *ibid.*
Rioia à quibus pro Cantabria ſumpta & an ſit propriè Cantabria, 7. olim Beronum regio dicta. 5
Roccones & Rucconcs videntur iidem fuiſſe cum Aragonenſibus. 134
Rodericus Garciæ-Ramiri Regis Nauarræ filius nothus, 327. eius vitia. 328
Roncalenſium antiquæ priuilegij tabulæ. 185. & ſeqq. 204. & ſeqq.
Roncalenſium priuilegium nõ vnicum, ſed duplex, & diuerſis tabulis perſcriptum. 243
Roncauallenſis ædes quando & à quibus condita & aucta. 94. 95. 96.
Roncauallis vrbs olim, nunc vicus. 88

S

S minutâ figura ſcriptum in Vaſconicâ ſeu Vaſcâ linguâ.

pronuntiandum vt, ç. 45
Sada fluuius. 9
Salati flumen. 519
Saleni populi. 9
Salia fluuius. 9
Sammatani Ditio olim extra fines Conuenarum Comitatus, 521. iamdiu tamen illi annexa. 533
San-Bertrani oppidum. V. Conuenæ.
Sanctia, Sanctij cognomento Sapientis Nauarræ Regis vxor, 328. eius pietas. *ibid.*
Sanctij nomen in Nauarræ Regum familiam vnde manarit, 370. quãdo in Caſtellæ Comitum familiã vſurpari cœperit. 421
Sanctius-Garſiæ 1. huius nominis Rex Nauarræ, 229. poſt Ariſtam regnauit, non ante. 183. & ſeqq.
Sanctius Garſiæ 1. huius nominis Nauarræ Rex frater fuit, non filius Fortunij Regis, 233. Gaſcones ſibi ſubiecit, 424. Pompelonem obſidione liberauit, 425. Gaſconiam Garciæ curuo filio dedit, *ibid.* falſa ſunt quæ de eius ortu poſthumo narrantur. 278. 279
Sanctius Garſiæ cognomento *Abarca* diuerſus à Sanctio-Garſiæ Rege Enneconis Regis nepote. 226. & ſeqq.
Sanctius-Garſiæ Rex Nauarræ Penaleni occiſus, 318. 319. Penalenius inde à nonnullis Scriptoribus cognominatus. *ibid.*
Sanctius-Ramiri Rex Aragonenſis quo anno & menſe Pompelonenſe regnum adeptus ſit. 321
Sanctius Vaſconiæ Citerioris Comes fuit frater Azenarij, 369. à Gaſconibus Dux eligitur, 419. 420. fuit Carolo Caluo rebellis, *ibid.* à Muza captus & in vincula coniectus, 422. an Caſtellæ Comitum genere ortus. 420. 421
Sanctius 2. Gaſconiæ Dux quo genere ortus, 423. quare Mitarra dictus. 424
Sanctius Maior Nauarræ Rex fuit Dux Gaſconiæ. 429
Sanctius Dominus Atareſij quo tempore vixerit. 290. 291
Sancti Stephani vallis. 282
Sangaudentium à Comitatu Conuenarum diſtractum. 520
Sangaudentij ciuis fuit B. Raimundus, Calatrauæ Ordinis in Hiſpania inſtitutor. 98
Sangoſſa Nauarræ vrbs, à quibus condita, 85. olim forſan *Andeluſium*, 86. malè creditur fuiſſe Ituriſſa. 87
San-Sebaſtiani oppidum. 167
Sanuincentium vrbs olim Vardulorum, vel Cariſtorum. 7
Schiminus & Siminus. V. Ximinus.
Scipio in Hiſpania, 26. plures populos à ſocietate Annibalis in Romanorum ſocietatem auertit. 26. 27
Segeſama vrbs Vacceorum. 15
Seneſcallorum Nauarræ Catalogus, 360
Senocus Eluſanus Epiſcopus eiuſq; pater Palladius Vaſconibus authores ſunt vt à Clotario Rege deficiant. 387
S. Seuerinus. 433
Siguuinus corruptè ſcriptum pro Siminus. 255
Siguuinus, vel Siminus à Ludouico Pio à Comitatu Vaſconiæ remotus. 256. 257. 258
Siguinus Dux ſeu Comes Vaſconum & Burdigalenſium à Normannis captus & interfectus. 415
Silus fluu. 9. Minij nomine comprehenſus, 14. 15. Minio abundat. 15
Smaragdus, inſignium Nauarræ Regum vmbilicum occupat, & quã

de cauſà, 359. eius figura. *ibid.*
Sola Pagus olim Nauarræ Regibus ſubiectus, 407. ſub Auſcis comprehenſus, 445. eius deſcriptio. 402
Sola Vicecomites. 393. 558.
Sotiates, Sontiates & Sotiani, idem populus. 446
Stella vrbs Nauarræ, à quibus condita & aucta, 79. 80. 81. 83. leges eius ciuibus datæ. 81. 83
Subola vallis apud Fredegarium eſt *Sola* Pagus, 392. 393. Plinio forſan Sibylla. 558
Suprarbienſe forum, id eſt ius, 207. 209. differt à iure generali Nauarrico. 210
Suprarbienſiū Regum titulus Garſiæ-Ximeni & aliis Regibus qui illum proximè conſequuti ſunt falſò à nonnullis aſcriptus, 201. & ſeqq. à Sanctio Maiore Rege primum aſſumptus. 222
Synodus Burdigalenſis. 435
Synodus Sanctonenſis. 435
Synodus Tholoſana ſub Hug. Albo Legato Apoſtolico. 463

T

T erat olim milleſimi numeri nota, non autem nongenteſimi. 288. 297. 298
Tafailla vrbs Nauarræ, 89. eius ſitus & amœnitas. *ibid.* olim Altafailla dicta. *ibid.*
Tarbelli Aquitaniæ populi, 385. illorum Regio. *ibid.*
Tarbellicæ Aquæ. V. Aquæ Tarbellicæ.
Tarbenſes Pontifices. V. Bigorrenſes Pontifices.
Tartaſſij vrbis ſitus, 472. etymon nominis. *ibid.*
Tartaſſienſium Vicecomitum genealogia. 473. & ſeqq.
Taureta, genus ſolij lignei Vaſcis. 42
Taurinus Præſul Auſcienſis. 417
Tauropolium ſacrificij genus. 478. 479
Taurſauenſis Vicecomitatus. 444
Termeſtini cuiuſdam in tormentis conſtantia. 42. 43
Tibiæ Vaſcæ. 34. 35
Tholoſa Ipuſcoæ vrbs. 168
Totilus Vaſconum Dux. 416. 417
Tomichius quo tempore vixerit, & de eius hiſtoriæ vanitate. 216
Tremulus, cognomen fuit Garſiæ-Sanctij, Regis Nauarræ huius nominis 2. 301
Trinepos. 293. 294
Tritauus, pro abauo vel vlteriori auo. 293. 294. 295
Tritium metallum Beronum oppidum, 7. an ſit Najara. *ibid.*
Tritium Tobollicum, 6. diuerſum ab alio Tritio Vardulorum oppido. 7
Tumas Palerius, fuit Dux Gaſconiæ, 429. deiectus ab illo Comitatu, *ibid.* fit Monachus. 430
Turiſſa. V. Ituriſſa.
Turpino falsò attribuitur fabuloſa hiſtoria Caroli Magni, & quando ea ſcripta videatur. 397. 398
Tutela vrbs Nauarræ, 84. quando Mauris erepta, *ibid* Rotroni Perticenſi Comiti data, *ibid.* Suprarbienſi iure regebatur, *ibid.* Collegium Canonicorum quando ibi inſtitutum. 96

V

VAccæi proximi erant Cantabris. 15
Vaccæi, pro Vaſcis aut Gaſconibus. 396. 397. pro ſolis Vaſcis. *ibid.*
Vaſcuence eſt lingua Vaſca. 23
Vaifarius Aquitaniæ Dux fuit Hunaldi,

naldi, non Eudonis filius. 367
Varduli, Straboni Bardietæ & Bardyali. pag. 6
Vardulorum ſedes à Vaſconibus occupatas videri. 21
Vardulorum regionis ſitus. 5
Varea Beronum vrbs an ſit Lucronium. 7
Vaſatenſes Pontifices. 460. & ſeqq.
Vaſates populi. 459
Vaſatum oppidum, *ibid.* ſitus illius. *ibid.*
Vaſcæ tibiæ. 34. 35
Vaſci & Vaſcitani qui, 253. ſunt reliquiæ veterum Vaſconum, 394. eorum mores. 408
Vaſcitania ſeu Vaſcorũ regio olim regni titulum habuit. 407. quando annexa Gaſconiæ. 405
Vaſcitaniæ ſitus, 400. 401. Comites ſeu Principes. 405
Vaſcitaniam Caſtellæ vel Nauarræ Reges ſibi aſſeruerunt. 407. 408
Vaſconenſes Epiſcopi. 462. 463
Vaſcones Annibalem ſequuntur in Italiam, 26. Cannenſi prœlio interſunt, *ibid.* ab Annibale diſcedentes Romanis ſe iungunt, *ibid.* in eorum fide ſemper manſerunt, 27. à Romanis amicè habiti ſunt, nec vnquam bello petiti. 28
Vaſcones, in Germania Romanis victoriam ferè amiſſam aſſerunt. 28
Vaſcones olim, qui hodie Nauarri. 73
Vaſcones planam regionem Gothis dimittunt & in montes ſe recipiunt, 74. libertatem ſtrenuè defendunt, 266. Regem cur elegerint, *ibid.* quando ex Hiſpaniâ in Aquitaniam migrarint. 384. 385. 386. auguriis dediti erant. 393
Vaſcones proximi Ilergetibus & Lacetanis. 27
Vaſcones ſub Gothis, Vardulorum Autrigonum & Aquitanorum Regiones occupant. 25
Vaſcones à Carolo Magno ſubacti. 30
Vaſcones armis leuibus vtebãtur, 31. galeæ vſum contemnebãt, 26. linguam ſuam hactenus retinuerunt. 36
Vaſcones à Vuamba Rege domiti. 30
Vaſcones Aquitanici à Theodorico & Theodoberto Regibus victi, 387. item ab Ariberto Aquitaniæ Rege, *ibid.* à Dagoberto deficiũt, *ibid.* ab huius exercitu vaſtantur, *ibid.* pacem petunt, & Dagoberto ſe ſubmittunt. 392
Vaſcones Nouempopulaniam occupant, 389. de tempore huius occupationis, 390. & ſeqq. quare latrocinij infamati, 388. Pipino Regi ſe ſubiiciunt. 391
Vaſcones Tholoſæ proximos agros incolentes, Tholoſanis Ducibus ſuberant. 532
Vaſconia Citerior olim Regibus Nauarræ ſeu Aragoniæ ſubiecta fuit, ſed non ſupremo iure, 426. 427. quando rurſus annexa Vaſconiæ maiori ſeu vlteriori. 428
Vaſconia Citerior ſeu inferior, 443. pagi eâ comprehenſi, 539. eius ſitus & fines. 402
Vaſconia Curta. 401
Vaſconia Maior. 409
Vaſconia maior, ſuperior, vlterior. 425. 443
Vaſconiæ veteris fines. 22. 23
Vaſconiæ Aquitanicæ populi, 400. 539. ſitus & fines, 409. eius nomine Aquitania ſecunda, à quibus comprehenſa & quare, 409. 410. 411
Vaſconiæ Aquitanicæ in varios Comitatus & Vicecomitatus diſtributio. 443. & ſeqq.

Vaſconiæ à Mauris occupatæ. 431
Vaſconiæ pars à Leuuigildo Rege occupata. 22
Vaſconum lingua, Gallis *Baſca* ſeu *Biſcaina*, Hiſpanis *Vaſcuence*, 2. 3. vbi hodie in vſu, 36. an eadem cum veteri Hiſpanicâ, variæ opiniones à pag. 3. vſque ad pag. 44
Vaſconicorum vocabulorum cum Hiſpanicis conformium ſyllabus à pag. 45. vſque ad pag. 56.
Vaſconicæ linguæ declinandi & coniugandi ratio, 57. & ſeqq. Dialecti variæ. 72
Vaſconum varia in Hiſpania bella contra Gothos, & eorum ſucceſſus, 29. 30. alia contra Sarracenos *ibid.* prœlium contra Francos ad Roncauallim. *ibid.* 31. & 32
Vaſconum veterum mores, 32. 33 34. iidem ac Luſitanorum, 34. Aruſpicinæ peritia, *ibid.* habitus ac veſtiendi ratio pacis tempore. 35
Vaſconum hodiernorum mores. 175
Vaſconum nomen ſolâ declinandi ratione à Vaſcorum nomine differt. 395. 398. 399
Vaſconum ſeu Vaſcorum bellum contra Ludouicum Pium Regem & Pipinum eius filium. 254. & ſeqq.
Vaſconum primæ ſedes in Aquitaniâ, 386. excurſiones in agrum Nouempopulaniæ, & ex eo bella cum Francis. 386. 387. 388
Vaſconum veterum vrbes. 25. 24
Vaſculi & Vaſcli ſeu Baſcli pro Vaſcis. 397. 400
Vaſcus in recto rectè formatur à *Vaſco* indigenarum. 34
Vaſtanenſis pagus olim Vaſcitaniæ Comitibus ſuberat. 402. 403
Vela. V. Gueuara.
Velarum nobilis familia in Alaua, 147. habuit Alauæ Dominatum, *ibid.* item Biſcayæ. 160
Verdunenſis Ditio. 533
Vermeo vrbs. 153
Vexillarij munus in Nauarrâ quale, quando cœpit & quamdiu durauit, 110. 111. in eius locum ſucceſſit Conſtabularij officium. 111
Vexillariorum Nauarræ Catalogus. 363. 364
Viana Nauarræ vrbs, 89. quando Principatus titulo decorata. *ibid.*
Vicecomitatus & Comitatus, & Vicecomitum ac Comitum nomina promiſcuè vſurpata. 253. 254
Vicecomitum appellatio rara ante Caroli Simplicis tempora. 254
Vinum Nauarræ laudatiſſimum, præcipuè planæ Regionis. 132
Viriles, genus torquis virilis. 40
Viuiſci, & Vbiſci ſeu Ioſci pro Burdigalenſibus. 431
Victoriacum vrbs Vaſconiæ à Leuuigildo condita, 22. videtur eadem eſſe cum Victoriâ Alauæ vrbe. *ibid.* & pag. 150
Vierço Tierra. 8. 9
Vinnij montis ſitus. 13. 14
Virouesca Autrigonum oppidum. 7
Viſcaia. V. Biſcaia.
Vnctionis ritus quando à Nauarræ Regibus vſurpari cœptus. 119. 120
Vne Vaſconicè, eſt locus. 76. 540
Vrbs vnâ & eadem duplex nomen ſæpè ſortitur apud Vaſcones. 150. 151
Vrbes Nauarræ, *buenas villas* dictæ, 88. ius ſuffragij in Comitiis habent earum Legati. *ibid.* & 91
Vrdaxienſe Monaſterium, 102. 103 an ſit idem cum Vrdaſpalenſi, *ibid.* ſitum eſt in diœceſi Baionenſi. 103
Vrdiales caſtrum olim ad Biſcaiam pertinebat. 156
Vrraca VVilielmi-Sanctij Ducis Gaſconiæ vxor cuius filia eſſet. 283. 428

Vrraca, Sanctij Abarcæ Regis vxor cuius filia eſſet, 284. 285. Claræ cognomentum habuit. *ibid.*
Vrraca, vxor Garſiæ Enecconis Regis è quâ familiâ oriunda. 370
Vulgi Fama. V. Fama.

X

XIminus Rex Nauarræ, Enecconis Regis pater. 234. 235
Ximini vox corrupta in Sihiminum & Siguuinum deflexit. 255

Y

YMo. V. Imo & Imino.

Z

Z in Vaſconicâ ſeu Vaſcâ linguâ pronuntiandum vt ts, vel ds. 45

FINIS.

Omiſſa vel alieno loco poſita & errata inſigniora lectori maximè aduertenda.

PAg. 90. lin. 7. poſt vocem populi adde, niſi potius ſibi eſſent loco Araciel dicto ad iberum. pag. 145. lin. 22 poſt vocem oppugnatione, adde ab Alfonſo Caſteliæ Rege. p. 175. li. 5. dele Sanctio. p 223. li. 19. pro Iniciique l. Garciæque. p. 225. lin. 27. pro Ximenonis l Garciæ. pag. 356. li 29 poſt Nauarrico adde in æde Dominicanorum fratrum in Cippo Philippi Ebroicenſis, Nauarræ Regis & Ioannæ Reginæ eius vxoris. p. 397. li. 14. poſt ſum adde Hugone Monacho Vizeliacenſi, & p. 401 lin. 14. pro pyraticam faciebant ſcribe piratas receptabant, p. 466 poſt lineam 1. adde Petrus Fuxius Epiſcopus Adurenſis qui anno 1476 fuit creatus Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani. Obiit Romæ 1490. p. 480. li. 26. pro Bernardi l. Geraldi, lin. 28 l. Bermundi Saluij. p. 488 in genealogia poſt Mat. Phœbus adde Franciſcus. p. 498. lin. 3 pro Rogerio l. Geraldo & poſt lineam 5. adde Giraldus Comes Armaniacenſis, Vicecomes Feſenſaguelli anno 1215. pag. 507 lin. 29. poſt incertum adde Huius temporibus inſtitutum fuit à Sanctio Vaſconiæ Duce S. Petri Generenſis Cœnobium. pag. 509 lin. 17. pro Alix l. Peronella, lin. 18 pro Perona ſiue Peronella l. Alix ſiue Elis natu maior. pag. 523 .lin. 2. & 3 dele Durault & quæ ſequuntur & ſcribe Obiit Bernardus 4 anno 1241 prid. Kal. Decemb. lin. 13. & 14. dele Bernardus & quæ ſequuntur & ſcribe, Durauit Bernardus 5. ad annum 1311. lin. 29. poſt dedicatæ adde Bernardus anno 133. natura conceſſit.

Errata leuiora Librarij aut operarum.

PAg. 8. lin. 26. l. notis. pag 17. lin. 18 & 29. pro nunc ſcribe modo. pag. 23. lin. 14. l. Idanuſam. lin. 22. l. Vaſconiâ. p. 42. lin. 23. dele nullatenus l. nulla ratione. p 49. l. 7. pro quibus l. quo. pag. 52. lin. 8. l. accommodatur. p. 55. lin. 5. l. paſſeculorum. p. 54. in fine lineæ 4. adde V. idem. p 83. lin. 8. ac de dele de. p. 90. lin. 24. l. Lacurriaga. p. 96 lin. 27. dele incliros. p 98 lin. 7. pro cognomento l. nomine p. 104. lin. 21. pro à l. è. p. 108. lin. 15. pro ab l. ex. p. 115 lin 14 l. præfert. p. 151. lin. 28. l. nobilis. p 161. lin. vir. l. principalis. pag. 163. lin. 16. l Tyuſcoa. pag 168 lin 19 l. Gallia. lin. 22. l curriit. lin. 25. pro ſiue l. fine. pag. 178. lin 5. l. compuliſſe pag. 181. lin 15. l. pie faſiendo pag. 182. lin 3. dele ſe. pag. 186. lin. 9. l. certo. pag. 190. lin. 3. dele &, lin 4 l. ſeipſos, lin. 5. dele lo. pag. 193. lin 8 l 772. pag 194 lin. 26. l. interiore. pag 196. lin 24 l lib. 1. pag. 197 lin. 12. pro tenus l. ratione. pag 198. lin. 25 l. fundos. pag 212. lin. 25. pro tenus l. ratione pag. 217 lin 25. l. 1499 pag. 218 lin 32. l. nec. pag 222. lin 9. pro à, l. in. pag 224. lin. 2. l. præteritis, lin. 15 l. primum pag 228 lin 6. poſt 15. adde 24 pag 230 lin 3. pro outtareous l. nullomodo. pag. 232. lin 31 pro interim l. inſuper pag. 237. lin. 20. pro Commentarium l. Catalogum. pag. 239. l. contractarum, lin. 25. l. Pompelonis. pag. 241. lin 27. dele ſe, lin. 32. pro nullatenus, l. nequaquam. pag. 248. lin. 5. pro Aſturum, l. Aturrum. pag. 25. lin. 27 pro latium, l. latium pag. 255. lin. 32 l. paruum. pag. 281 lin. 15. poſt inter adde ſe. pag. 327. lin. 25 l. Pompelonem. pag. 348 lin 12. l. nupſit. pag 357. lin. 29. l. curâ pag. 360. lin 5 poſt equitum adde ſeu. pag. 379. lin. 9. poſt re adde con. p. 384. lin. 6. l. meminerit. pag. 416. lin. 26, l. 842. vel 845. pag. 448. lin. 19. l. Archiepiſcoporum. pag. 454. lin. 1. & 2. l. Pontifices, lin 24. l. allegit. pag. 458. lin. 28. l. 1186 pag. 466. lin 18. poſt fratrum adde Burdigalæ. pag. 481. lin. 14. l. Monlezunius. pag. 483. lin. 1. l. Orſanus, lin. 14. l. Barconus. pag. 484. lin. 18. l. auguſtæ. pag 485. lin. 21. l. Mathildim. pag 486. lin. 20. l. Ioannis. pag. 487. lin. 4. l. vxoris. pag. 505. lin. 2. l. Comites.

A01 1473597

C
12:

Digitized by Google